

1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

ACTA SANCTAE SEDIS

EPHEMERIDES ROMANAE

A SSMO D. N. PIO PP. X

AUTHENTICAE ET OFFICIALES

APOSTOLICAE SEDIS ACTIS PUBLICE EVULGANDIS

DECLARATAE.



Volumen XLI

ANNO 1908

ROMAE

DIRECTIO
VIA GIULIA, 141.

ADMINISTRATIO
VIA S. NICCOLÒ DA TOLENTINO, 74.

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

ACTA SANCTAE SEDIS

EPHEMERIDES ROMANAE

A SSMO D. N. PIO PP. X

AUTHENTICAE ET OFFICIALES

APOSTOLICAE SEDIS ACTIS PUBLICE EVULGANDIS

DECLARATAE.



Volumen XLI

ANNO 1908

ROMAE

DIRECTIO
VIA GIULIA, 141.

ADMINISTRATIO
VIA S. NICCOLÒ DA TOLENTINO, 74.

ACTA ROMANI PONTIFICIS

LITTERAE APOSTOLICAE

SS. D. N. Pii div. prov. PP. X quibus ritus ruthenus constituitur in Statibus foederatis Americae Septentrionalis.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Ea semper fuit Apostolicae Sedis peculiaris quaedam ac propria sollicitudo ut varii ac diversi, quibus exornata splendet catholica Ecclesia, diligenter custodirentur ritus, quemadmodum provisa plura et statuta a Decessoribus Nostris, in venerabiles maxime liturgias Orientalium Ecclesiarum, perspicue declarant.

Iam, illud Nobis enarratur, Ruthenos catholicos, numero plurimos, ex Hungaria et Galicia in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis migrasse, suaque ibi collocata sede, complura sibi comparasse templa, singularum dioecesium probantibus Episcopis, iisdemque, ut par est, sacra eos potestate moderantibus. Dignam sane quae maximis extollatur laudibus, eorum caritatem Praesulum arbitramur, qui, summo studio miraque sollicitudine, catholicis dissimili ritu filiis praesto adhuc esse non desivere. His quidem Episcopis visum est, facilius posse Ruthenorum ritum adservari integrum et consentaneo decore administrari; posse etiam fideles ruthenos, hoc tali accedente praesidio, efficacius contra pericula armari, quibus, schismaticorum civium opera, patent, si Episcopus iisdem ritus rutheni detur. Nos autem eiusmodi amplexi sententiam, rationumque, quas supra memoravimus, permoti momentis, id consilii suscepimus, Episcopum deligere ac nominare, qui, potestate opportune instructus, illud enitatur et contendat ut ritus graecus ruthenus, variis in missionibus Foederatarum Civitatum, incorrupte servetur.

Huius Episcopi munus quo aptius cum ordinaria iurisdictione Episcoporum cohaereat qui iis praesunt dioecesibus ubi Ruthenorum sodalitates sitae sunt, quaedam Nos, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum sacri Consilii Christiano Nomini Propagando Negotiisque Orientalis Ritus cognoscendis, statuenda, pro rei gravitate, censuimus, id certo rati, horum adiumento praescriptorum, nihil assequendis commodis obstiturum, animorumque concordia, quae debet viros e sacro ordine populosque utriusque ritus coniungere, iri consultum.

CAPUT I

De Episcopo rutheni ritus

Art. I. Nominatio Episcopi rutheni ritus pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, Apostolicae Sedi est omnino reservata.

Art. II. Episcopus rutheni ritus sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate est, ac sub vigilantia Delegati Apostolici Washingtoniensis. Iurisdictionem autem ordinariam nullam habet, sed tantummodo sibi delegandam a singulis Ordinariis in quorum dioecesi Rutheni commorantur. Eius officium est circa ritus rutheni integritatem vigilare, sacra olea pro Ruthenis conficere, ecclesias rutheni ritus dedicare, Confirmationem Ruthenis ministrare, pontificalia in ecclesiis Ruthenorum peragere, et, praehabitis in singulis casibus litteris dimissoriis Ordinarii loci, clericos rutheni ritus ordinare.

Art. III. Salvo iure et officio Ordinarii loci, Episcopus rutheni ritus visitationem missionum ruthenarum inire poterit, praehabita in scriptis licentia eiusdem Ordinarii, qui illi conferet facultates quas concedendas iudicaverit.

Art. IV. Episcopus rutheni ritus in visitatione rationes ab unoquoque rectore missionis exposcet administrationis bonorum missionis eiusdem, curabitque ne rector nomine ac iure

proprio ea retineat, pro quorum acquisitione fideles quovis modo subsidia contulerint; simul autem operam dabit, ut iuxta leges sive dioecesanas, sive constituta in III Plenario Concilio Baltimorensi, ea bona vel quamprimum transferantur sub nomine Ordinarii loci, vel alio tuto ac legali modo ab eodem Ordinario approbando firmiter adscripta sint et maneant favore missionis.

Art. V. Peracta visitatione, Episcopus rutheni ritus certiorem faciet de statu morali et de oeconomica administratione missionis visitatae Ordinarium loci, qui opportune decernet quae ad bonum missionis in Domino expedire censuerit.

Art. VI. Controversiae, si quae exoriantur inter Episcopum rutheni ritus et Episcopos dioecesanos, deferantur, in devolutivo tantum, ad Delegatum Apostolicum Washingtoniensem, salva, item in devolutivo, appellatione ad Apostolicam Sedem.

Art. VII. Donec aliter ab Apostolica Sede decernatur, ordinaria residentia Episcopi ritus rutheni erit in urbe Philadelphia.

Art. VIII. Ad constituendam annuam stipem pro sustentatione Episcopi ritus rutheni concurrere debent singulae ruthenae communitates, eidem solvendo annuam praestationem instar cathedratici, iuxta praxim et normas vigentes in dioecesibus Civitatum Foederatarum, in quibus missiones ruthenae constabilitae inveniuntur.

Art. IX. Episcopus rutheni ritus tertio quoque anno plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali missionum proprii ritus exhibeat Delegato Apostolico Washingtoniensi, qui eam transmittet ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis.

CAPUT II

De clero rutheno.

Art. X. Cum nondum habeantur sacerdotes rutheni, qui vel nati vel saltem educati sint in Civitatibus Foederatis Americae, Episcopus rutheni ritus, praevia intelligentia cum Delegato Apostolico et Ordinario loci, omni studio curet, ut seminarium pro clericis ruthenis in iisdem Civitatibus Foederatis educandis quantocius instituatur. Interim vero clerici rutheni in seminaria latina locorum, in quibus nati sunt, vel domicilium acquisiverunt, admittantur. Sed nonnisi caelibes, sive nunc sive in posterum, ad sacros Ordines promoveri poterunt.

Art. XI. Antequam habeatur numerus sufficiens presbyterorum ruthenorum, qui in Civitatibus Foederatis Americae educati fuerint, si providenda occurrat de suo rectore aliqua missio Ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Ordinarius loci, audito, si ita existimaverit, Episcopo rutheni ritus, idoneum sacerdotem ruthenum illic iam morantem ipsi praeficiat. Si nullus idoneus in dioecesi habeatur, ipsum postulet ab alio Episcopo Civitatum Foederatarum. Si vero nullum inibi inveniat, de re certiorem reddat S. Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, cui curae erit providere.

Art. XII. Sacerdos eligendus, sit caelebs, vel saltem viduus et absque liberis, integer vitae, zelo ac pietate praeditus, satis eruditus, lucri non cupidus, et a politicis factionibus alienus.

Art. XIII. Sacerdoti ex Europa vocato praedicta Sacra Congregatio tradet documentum, quo ipsi concedatur facultas se conferendi in Civitates Foederatas Americae ad assumendam spiritualem curam alicuius determinatae missionis ruthenae.

Art. XIV. Presbyteris ruthenis in America commorantibus penitus interdicitur, ne baptizatos sacro Chrismate consignent; et si secus fecerint, sciant se invalide egisse.

Art. XV. Quilibet ruthenus sacerdos ex Europa proveniens et in Civitatibus Foederatis Americae commorans pro fidelium rutheni ritus spirituali cura, semper manebit incardinatus dioecesi originis; attamen Episcopus ruthenus originis iurisdictionem suam in eum nullimode exercebit quoadusque ipse in Civitatibus Foederatis commorabitur. In patriam autem supra dicti sacerdotes redire nequeant absque expressa licentia Ordinarii Americani, in scriptis concedenda, in cuius dioecesi sacrum ministerium exercent. Quod si de una in aliam dioecesim Civitatum Foederatarum se conferre cupiant, requiritur consensus Episcopi *a quo* et *ad quem,* opportune facto certiore Episcopo rutheni ritus.

Art. XVI. Laici rutheni candidati ad Ordines, cuiuscumque originis et domicilii fuerint, illi dioecesi incardinati censeantur, a cuius Ordinario acceptati fuerint, et pro qua emiserint iuramentum missionis seu stabilitatis ad inserviendum in dicta dioecesi. Ab ea autem dioecesi, in qua incardinati sunt, in aliam transire nequeant, nisi praehabito consensu Ordinarii *a quo* et *ad quem,* ac opportune reddito certiore Episcopo rutheni ritus.

Art. XVII. Omnes rectores missionum ruthenarum Civitatum Foederatarum sunt amovibiles ad nutum Ordinarii loci, opportune effecto certiore Episcopo rutheni ritus. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis.

Art. XVIII. Datur tamen facultas presbytero amoto appellationem interponendi, in devolutivo, contra decretum remotionis ad tribunal Delegati Apostolici Washingtoniensis, qui intra tres menses a die appellationis causam definire curabit, salvo semper iure recursus ad S. Sedem, item in devolutivo.

Art. XIX. Sustentationi sacerdotis providebit communitas

ruthena iuxta praxim et normas dioeceseos, in cuius finibus communitas invenitur.

Art. XX. Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinario loci, iuxta consuetudines locales, audito Episcopo rutheni ritus.

CAPUT III

De fidelibus ruthenis.

Art. XXI. Fideles rutheni iis in locis in quibus nulla ecclesia nec sacerdos ritus eorum habeatur, ritui latino sese conformabunt; eisque eiusmodi facultas conceditur etiam ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam possint nisi cum gravi incommodo adire: quin tamen ex hoc ritus mutatio inducatur.

Art. XXII. Laici rutheni, qui verum et stabile domicilium in Civitatibus Foederatis constituerint, transire possunt ad ritum latinum, obtenta tamen prius, in singulis casibus, venia Apostolicae Sedis.

Art. XXIII. Si contingat ut hi quandoque in patriam revertantur, tunc etsi ex Pontificio rescripto ritum latinum susceperint, licebit eis, Apostolica Sede exorata, ad pristinum ritum redire.

Art. XXIV. Non licet missionariis latinis, sub poenis ab Apostolica Sede decernendis, quempiam Ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere.

Art. XXV. Fideles rutheni, etiam in locis quibus adest presbyter rutheni ritus, apud sacerdotem latinum ab Ordinario loci approbatum peccata sua confiteri, et beneficium sacramentalis absolutionis valide et licite obtinere possunt.

Sciant autem sacerdotes rutheni ritus, censuras et reservationes casuum in dioecesi, in qua ministerium exercent, sive vigentes sive ferendas, clerum etiam et populum eiusdem rutheni ritus afficere.

Art. XXVI. Ad vitanda gravia incommoda quae inde Ruthenis evenire possent, facultas eis fit dies festos et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt. Attamen diebus dominicis, et festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus, sacrae liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco existat, Rutheni interesse tenentur.

CAPUT IV

De matrimoniis inter fideles mixti ritus.

Art. XXVII. Matrimonia inter catholicos ruthenos et latinos non prohibentur; sed maritus latinus uxoris ruthenae ritum non sequatur, nec uxor latina ritum mariti rutheni.

Art. XXVIII. Si vero vir latinus in uxorem duxerit mulierem ruthenam, integrum erit mulieri ad ritum latinum, sive in actu matrimonii, sive postea, durante matrimonio, transire, quin electionem semel factam, vivente viro, revocare possit.

Art. XXIX. Soluto matrimonio, mulieri ruthenae, quae ritum mariti amplexa fuerat, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

Art. XXX. Uxori ruthenae quae maluerit in proprio ritu permanere, licebit tamen in ieiuniis et festis suum maritum sequi.

Art. XXXI. Vir ruthenus potest, si velit, ritum uxoris latinae sequi, eique pariter licebit in ieiuniis et festis ritui uxoris latinae sese conformare. Soluto matrimonio, poterit in ritu latino permanere, vel ritum ruthenum resumere.

Art. XXXII. Matrimonium inter virum latinum et ruthenam mulierem latine coram parocho latino contrahatur; inter virum vero ruthenum et mulierem latinam contrahi potest vel ruthene coram parocho rutheno, vel latine coram parocho uxoris.

Art. XXXIII. Si uterque contrahens in suo ritu permaneat, competit presbyteris respectivi ritus officium parochi erga illos exercere in rebus quae hic recensentur, nempe: in communionis paschalis, viatici et extremae unctionis administratione, in adsistentia in mortis articulo, in exequiis persolvendis atque in humatione; excepto necessitatis casu.

Art. XXXIV. Nati in Civitatibus Foederatis Americae ex patre latino et matre ruthena, latino ritu sunt baptizandi: proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus.

Art. XXXV. Si vero pater sit ruthenus, et mater latina, liberum erit eidem patri, quod proles vel ritu rutheno baptizetur, vel etiam ritu latino, si in gratiam uxoris latinae ipse consenserit.

Art. XXXVI. Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritu sunt legitime baptizati, cum per baptismum fiat suscepti ritus latini vel rutheni professio, ita ut ad latinum ritum spectent qui latino ritu baptizati sunt; qui vero ritu rutheno sunt baptizati, in ruthenorum numero sint habendi.

Excipitur casus quando iis baptismus alieno ritu collatus fuerit ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, vel in loco, in quo parentes tempore nativitatis morabantur, parochus proprii ritus non adesset; tunc enim ad parochum ritus, quem parentes profitentur, pertinebunt, iuxta superius statuta.

In charitate Christi, qua fideles omnium rituum peramanter complectimur, haec statuenda censuimus pro spirituali bono animarumque salute fidelium ruthenorum in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis commorantium; ac minime dubitamus quin ipsi Nostram hanc et Apostolicae Sedis erga eos sollicitudinem perfecta obedientia, imo et grato animo excipiant.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam, licet privilegiata, ex caussa, colore et capite, nulloque unquam tempore de aliquo nullitatis vitio

seu defectu inexcogitato et substantiali notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse; sed tamquam ex Pontificiae providentiae officio et motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine editas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et spectabit, inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter statuendi et interpretandi facultate: irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilem Fratrem Diomedem, Archiepiscopum titularem Larissensem, Nostrumque apud Episcopos Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Delegatum, executorem praesentium Apostolica auctoritate constituimus, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum, ab eo subdelegandum, praesentes Nostras Litteras solemniter publicet, ac omnia et singula in eis contenta a cunctis observanda curet. Eidem vero praecipimus ut singulorum actorum in praesentium evulgatione et executione exemplar authenticum intra sex menses ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in archivo S. Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Orientalis Ritus adservari mandamus. Non obstantibus Decessorum Nostrorum constitutionibus et ordinationibus, etiam in generalibus et provincialibus Conciliis editis, et quarumcumque ecclesiarum, etiam Patriarchalium, seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, aliisque quibuslibet, etiam motu proprio, in contrarium praemissorum concessis, licet expressa mentione dignis; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum his litteris inserta essent, ad praemissorum effectum specialiter et expresse de-

rogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Harum vero transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem ubique fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, decreti, mandati, voluntatis, exemptionis, derogationis, indulti, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo septimo, decimo octavo calendas Iulias, die festo S. Basilii Magni, Pontificatus Nostri anno quarto.

A. Card. Di Pietro *Pro-Dat.*

R. Card. Merry del Val *a Secretis Status.*

VISA.

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium. V. Cugnonius.

EPISTOLA

Qua Pontifex grati animi sensus profitetur erga imperatorem Sinarum.

AUGUSTISSIMO POTENTISSIMOQUE IMPERATORI SINARUM

PEKINUM

PIUS PP. X

Augustissime et potentissime Imperator, salutem et prosperitatem.

Quibus Nos litteris septuagesimum aetatis annum faustum et felicem Maiestati Suae Imperatrici Sinarum ominabamur,

rescribebat perquam humane Imperatoria Maiestas Tua, mirum quanta cum cordis Nostri laetitia. Quod autem praeterea placuit Maiestati Tuae ut oblatum a Nobis munus peramplo ac maxime nobili dono rependeret, fuit id Nobis supra quam dici potest iucundum, fecitque eo vel magis exploratum summam esse Maiestatis Tuae et cum Persona Nostra amicitiam et erga catholicos istos voluntatem. Velit igitur a Nobis Imperatoria Maiestas Tua gratias habere quamplurimas; simul omina excipiat et vota, unde enixe imploramus Deum, ut Te Suamque Maiestatem Imperatricem Sinarum ac universam Augustissimam Domum diutissima iubeat sospitate et incolumitate gaudere.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Iunii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X ad conventum eucharisticum Catanensem, de propagando cultu SS. Eucharistiae.

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPH TIT. SS. IOANNIS ET PAULI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FRANCICA NAVA DI BONTIFÉ
ARCHIEPISCOPO CATANENSIUM

CATANAM

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qui eucharisticum ex universis populis coetum, Romae paullo ante coactum, praecipua sumus gratia prosecuti, ob eam assequendam in primis utilitatem fidelium, quae Nostrarum, sive in curionis officio, sive in Episcopatu, sive in Pon-

tificatu, curarum summa fuit, facere profecto nullo modo possumus ut non istum, qui proxime habebitur, eucharisticum e dioecesi congressum benevolentia complectamur, e quo non minora expectamus exstitura incrementa pietati Catanensium. Eiusmodi namque congressiones tam sunt animo Nostro carae, quam sunt christianae plebi salutares. Esse autem spiritui salubres inde fit exploratum, quod amorem ac benefacta Christi sacramento tecti concelebrent, humanumque genus ad rependendam cum dilectione gratiam alliciant. Nos autem, quibus est prae re omni persuasum non posse homines ad virtutem colendam appelli, nisi divinum antea diligant exemplar virtutis, sane quam libenter opportunitatem istam nanciscimur adhortandi fideles ut ad eucharisticum Catanensem coetum celebres confluant, in quo et cogitatio et mens et studium ad suavissima mysteria altaris adiicientur. Qua quidem in caussa, omnia sine dubio probabuntur vehementer Nobis, quaecumque ad amplificandum sive amorem sive cultum sacramenti augusti fuerint vobis consilia coepta. At si, Nostra e sententia, erunt aliqua anteponenda ceteris, ea sunt quae actionem spectant, ac viam, unde practice cultus eucharistiae sanctae propagetur. Vobis, quae in hoc tali genere opportuna et apta videantur magis, erunt certe disceptando perspicua. Placet tamen unum commendare coetui potissimum, quod ceteroquin est civitati vestrae domesticum: gratum nempe valde fecerit Nobis, si non alienum esse a sua diligentia curaverit ut perpetuus Sacramenti cultus, qui tanta cum laude et apud piarum Catanensium feminarum sodalitatem et alibi quoque floret, proferatur quotidie latius et, ubi expedire per adiuncta videatur, in universis puellarum collegiis opportune inferatur. Interim consiliis laboribusque vestris uberem e coelo gratiam precamur, Eius maxime omnipotenti benignitati freti, qui diligit diligentes ipsum, iisque favet assidue. Testem vero voluntatis Nostrae tibi, dilecte Fili Noster, atque omnibus, qui in con-

ventu aderunt, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Iunii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gratulatur de nova editione Theologiae moralis S. Alfonsi de Ligorio.

DILECTO FILIO
LEONARDO GAUDÈ SACERDOTI
E CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS.

PIUS PP. X

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Sancti doctoris Alfonsi de Ligorio ea est in Ecclesia Dei existimatio atque laus, ut vel id unum sufficeret cur novam Nos editionem Theologiae moralis Alfonsianae Nostro nomini dicandam libentissime permitteremus. Verum ut id peculiari modo editioni huic tuae concedamus, plura faciunt, quibus eadem iure merito typica exinde appellari queat. Scimus, dilecte fili, decem et octo annos ipsos in ea apparanda diligentissimis curis te impendisse: sed labores tuos evenisse feliciter gratulari profecto potes. Praeter enim quam quod testimonia auctorum universa, quae a S. Doctore afferuntur, ad trutinam ex ipsis fontibus revocasti; sententias ipsas S. Alfonsi, ex acri collatione singularum antecedentium editionum ceterorumque moralium ipsius operum, sic excussisti subtilique iudicio comparasti, ut nihil fere sit modo cuilibet dubitandum, quid in una quaque morum quaestione Alfonsus sit demum amplexus supremaque aetate defenderit. Opus igitur perfecisti, dilecte fili, quam quod maxime utile

et sapientium omnium laudatione dignum. Cum enim theologia morum magnam scientiae partem constituat, quae sacerdoti ad officium explendum est necessaria; gratias tibi omnes habere oportet, qui S. Doctoris, quem tuto omnes in morum doctrinis sequi possunt, mentem apertius ostenderis, sententiasque securius, quam unquam alias, determinaveris. Librum idcirco Nostro nomini inscriptum volenti animo accipimus: studio tuo laudem promeritam amplissime tribuimus: utque diuturni laboris praemium ne desit, caelestium munerum ubertatem tibi a Domino adprecamur, eiusque auspicem, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XII Iunii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X ad Episcopos Borussiae ob solemnia Bonifaciana.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
GEORGIO TIT. S. AGNETIS EXTRA MOENIA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI KOPP
EPISCOPO VRATISLAVIENSIUM
ET ANTONIO TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI FISCHER
ARCHIEPISCOPO COLONIENSIUM
CETERISQUE VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS REGNI BORUSSICI.

PIUS PP. X

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres,
salutem et Apostolicam benedictionem.

Vestras e Fuldensi congressione litteras, summi erga Nos amoris, coniunctissimaeque cum Romana Sede voluntatis in-

dices, non sine ingenti delectatione legimus, facileque fuimus in ea sententia roborati, benevolentiam, quam Borussiae Pastores et catholicae istae plebes a Nobis persentiunt, vere esse promeritam. Etenim quae Ipsi a vobis potuissemus expetere, quaeque gratum fuisset pro opportunitate commendare, nempe ut in primis religionem coleretis quotidie ardentius, deinde ut arctius in dies Pontifici Summo adhaereretis, ea sunt in antecessum praestita a vobis, sive per ipsam significationem pietatis in peractis celebritatibus insitam, sive per iteratum erga Nos communis observantiae testimonium. Multum profecto Bonifaciana solemnia habuere utilitatis: plurimum vero pollicentur etiam in posterum, propter expectandos praesertim e confirmato fidei studio fructus. Eum porro, qui caelesti deprecatione sua hanc talem spiritui vestro et solatii et incrementi ubertatem creavit, fidimus adstiturum assidue vobis, quum concepta, pro amplificanda religione, proposita nitetur unusquisque vestrum perficere. Nostram interea et probationem excipite et laudem, testisque dilectionis Nostrae Apostolica esto benedictio, quam vobis, dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, creditisque vigilantiae vestrae fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xv Iunii MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gratulatur de nuptiis regiis Gustavi Adolphi et Margaritae de Connaught.

AUGUSTISSIMO SERENISSIMOQUE PRINCIPI
OSCAR II
SUECIAE ET NORVEGIAE REGI
STOCKHOLMIAM

PIUS PP. X

Augustissime ac serenissime Rex, salutem.

Quae bona, fausta ac felix procul dubio futura est res, affertur illud Nobis Regalem Celsitudinem Suam Gustavum Adolphum, ducem de Scania, Maiestatis Tuae e Celsissimo Filio Principe haerede Regni nepotem, initurum proxime nuptias cum Regali Celsitudine Sua Margarita de Connaught. Communem duabus Augustissimis Domibus eventum, quemadmodum est Tibi ac Familiae Regali Tuae vehementissime carum, ita Nobis iucunde contingit. Quocirca Maiestati Tuae pleno ex animo gratulamur, id simul adprecantes, ut latos Tibi pro felicitate regni labores laetabili fortunae cursu remuneret Deus. Vota vero atque optata nuncupare pro Celsissimis Sponsis pergratum est; qui, si, Deo bene propitio, utantur et vita et sobole felici, id non sine catholici utilitate populi esse posse intelligimus. Omnipotens interea Numen exoramus, velit ut Tibi peroptabilia omnia largiri, Tuamque Maiestatem atque Augustam Familiam omnem et novos maxime Sponsos perfectiore semper Nobiscum caritate coniungere.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX Iunii a. MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X abolet scholas Pontificii Seminarii Vaticani.

AL SIGNOR CARDINALE
MARIANO RAMPOLLA DEL TINDARO
ARCIPRETE DELLA BASILICA VATICANA.

Signor Cardinale,

La benevolenza, che nutriamo verso il Pontificio Seminario Vaticano, ha richiamato, come Ella sa, la Nostra attenzione sopra due inconvenienti, che quivi si verificano, l'uno contrario al benessere economico dell'Istituto, l'altro alla migliore riuscita degli studi. Il primo sta nel numero dei maestri e professori, non proporzionato a quello troppo esiguo degli studenti; il secondo nella mancanza di emulazione proveniente appunto dal ristretto numero di alunni in ciascuna scuola. Per ovviare a siffatti inconvenienti e provvedere al maggior bene del Seminario, dopo udito il parere di Lei, ed apprezzando a dovere i suoi saggi consigli, siamo venuti nella determinazione di sopprimere nel medesimo tutte le scuole di Liceo, Filosofia e Teologia; disponendo che gli studenti di Teologia frequentino d'ora innanzi la Pontificia Università Gregoriana, e quelli di Liceo e Filosofia seguano i rispettivi corsi nelle scuole del Pontificio Seminario Romano.

Nel parteciparle, Signor Cardinale, queste Nostre determinazioni e fiduciosi che l'esecuzione delle medesime torni di non lieve vantaggio per l'Istituto, al quale Ella volge così sollecite cure, le impartiamo con tutta la effusione del cuore l'Apostolica benedizione.

Dalle stanze del Vaticano, il 23 Giugno 1905.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius X laetatur de habito Concilio Provinciali Burgensi.

VENERABILI FRATRI
GREGORIO MARIAE ARCHIEPISCOPO BURGENSIUM
BURGUM DE OCA

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quem Burgensem Antistitem manu tantum Romani Pontificis regendum Urbanus II dec. Noster edixit, eum Nos, in tua digne persona perseverantem, eiusdem Pontificis Romani voce dilaudandum arbitramur. Si quid enim laudi ornamentoque est sacro clero tribuendum, id indubitanter voluntas, id eo vel magis sollertia est, unde fidei tuendae, relligionique pro temporum ingenio amplificandae adlaborat. Iam has tales tibi decernendas publice esse significationes honoris, acta docent et decreta Concilii Provincialis Burgensis primi, tuo studio coacti, tuisque maxime auspiciis absoluti atque editi. Gravia quidem et cum utilitate populorum apprime coniuncta Concilii opera extitere; quae sane dum libentibus delibaremus oculis, animo etiam laetanti intelleximus. Nunc autem, revisis a Sancta Sede decretis, admittendum executioni est, quam quidem multiplex vitae pietatique vestrae parituram fore emolumentum confidimus. Egregiis autem deducendis ad usum rebus eandem vos adhibituros sedulitatem certo speramus, quam afferre ad deliberandum studuistis. At quoniam incrementum dat Deus, illi vehementes a Nobis convolant preces, tibi ut facilis ac propitius, quem ad actionem te dedes, adspiret, ceterosque e Provincia Praesules simili gratiarum munere adiuvet. Ad haec testem benevolentiae Nostrae et solatii caelestis auspicem Apostoli-

cam benedictionem tibi populoque tuo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xxv Iunii a. MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X



ALLOCUTIO

Quam Pius X habuit in Consistorio secreto diei 16 Dec. 1907, de mendaci ac insolenti modernistarum superbia.

Venerabiles Fratres,

Relicturus Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiverat, ac transiturus de hoc mundo ad Patrem, Christus dominus id nobis, nec semel nec obscure, praenuntiavit, fore nos insectationibus inimicorum perpetuo premendos, neque unquam in hisce terris carituros adversis. Scilicet hoc sponsae debebatur quod Sponso obtigerat; ut quomodo Huic dictum fuerat: « Dominare in medio inimicorum tuorum » (1), sic illa per medios hostes mediasque pugnas a mari dominaretur usque ad mare, donec, promissionis terram ingressa, perenni tranquillitate feliciter potiretur. — Quod utique divini Reparatoris oraculum, ut nullo non tempore, sic modo impleri ad unguem videmus. Alibi quidem acie apertaque dimicatione, astu alibi abstrusisque insidiis, attamen ubique Ecclesiam oppugnari conspicimus. Quidquid illius est iurium impetitur ac proculcatur: leges vel ab iis despiciuntur, quorum esset earundem tueri auctoritatem: impia interea impudentique ephemeridum colluvie fidei sanctitas morumque nitor maculatur, detrimento animorum maximo, nec minori civilis consociationis damno ac perturbatione; quod ipsi, ut alias

(1) Ps. CIX, 2.

saepe, sic non ita pridem vel inter nostrates vestris fere oculis usurpastis.

Sed his aliud modo additur malum plane gravissimum: sollicitum quoddam studium late increbrescens novarum rerum, disciplinae omnis ac potestatis impatiens; quod Ecclesiae doctrinas ipsamque adeo revelatam a Deo veritatem impetens, nititur religionem sanctissimam a fundamentis convellere. Eo nimirum ducuntur (utinam pauciore numero!) qui eius, quam vulgo scientiam et criticen et progressionem et humanitatem dictitant, audacissimas opiniones coeco fere impetu amplectuntur. Hi quidem, spreta tum Romani Pontificis tum Episcoporum auctoritate, methodicam invehunt dubitationem impiissimam circa ipsa fidei fundamenta; ac, praesertim si e clero sunt, catholicae theologiae studia aspernati, philosophiam, sociologiam, litteraturam e venenatis fontibus hauriunt; tum vero conscientiam quandam laicam catholicae oppositam pleno ore concrepant; sibique ius simul officiumque adrogant catholicorum conscientias corrigendi ac reformandi.

Lugendum plane foret si homines eiusmodi, Ecclesiae gremio relicto, ad apertos hostes convolarent: verum longe magis dolendum est quod eo devenerint caecitatis, ut se adhuc Ecclesiae filios reputent et iactent, eierato quamvis, factis etsi forte non verbis, fidei sacramento, quod in baptismate edixerunt. Sic porro, fallaci quadam animi tranquillitate ducti, christiana etiam sacra frequentant, sanctissimo Christi Corpore reficiuntur, quin et ad altare Dei, quod plane horrendum, sacrificaturi accedunt: inter haec tamen, quae praedicant, quae agitant, quae pertinaciâ summa profitentur illos a fide excidisse demonstrant, dumque se navi duci autumant, foede naufragium fecisse.

Decessorum Nostrorum exemplo, qui vigilantia maxima constantissimoque pectore sanam doctrinam tutati sunt, solliciti ne quid ei labis aspergeretur, Nos quoque, apostolici

praecepti memores « bonum depositum custodi » (1) decretum *Lamentabili* nuper edidimus, mox vero Litteras Encyclicas *Pascendi dominici gregis*; atque Episcopos gravissime commonefecimus ut, praeter cetera a Nobis praescripta, sacra praesertim seminaria diligentissime custodiant, caventes ne quid capiat detrimenti institutio adolescentium, qui in spem sacri cleri educantur: quod, gratulantes dicimus, a plerisque omnibus et volenti animo exceptum est, et strenue perficitur.

Paterno tamen huic studio *ad correptionem animarum errantium* quo pacto ab ipsis errantibus responsum sit non ignoratis, Venerabiles Fratres. Alii quidem, *in hypocrisi loquentes mendacium,* ad se quae dicebamus non pertinere professi sunt, callidis argumentis animadversioni se subducere conantes. Alii vero insolenti superbia, bonorum omnium luctu, apertissime restiterunt. Quare, quae suggerebat caritas incassum adhibitis, canonicas demum irrogare poenas, moerore animi maximo, coacti fuimus. Deum tamen, luminum ac misericordiarum Patrem, rogare impensissime non desistimus ut velit errantes in viam revocare iustitiae. Idipsum et fieri a vobis, Venerabiles Fratres, vehementer optamus, illud minime dubitantes omnem operam Nobiscum vos impensuros ad hanc luem errorum quam latissime prohibendam.

Nunc autem ut hodierni conventus vestri rationem attingamus, hoc primum monere vos volumus, postquam iteratis postulationibus dilecti Filii Nostri Iosephi Sebastiani Neto de resignando Olysipponensi patriarchatu diu amantissimeque restitimus, resignationem ipsam demum Nos excepisse. Patriarcham novum, qui, in eius locum succedat, mox in decreto et schedulis consistorialibus designabimus.

Post haec, S. R. E. Cardinales creare ac renuntiare egregios viros quatuor decrevimus, quos sua quemque virtus et

(1) Tim. 13.

variorum administratio munerum dignos probavere, qui in amplissimum Collegium vestrum cooptarentur. Hi autem sunt:

Petrus Gasparri, Archiepiscopus tit. Caesariensis, Adiutor sacri Consilii Nostri negotiis extraordinariis praepositi;

Ludovicus Henricus Luçon, Archiepiscopus Rhemensis;

Paulinus Petrus Andrieu, Episcopus Massiliensis;

Caietanus De Lai, Sacrae Congregationis Concilii Secretarius.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Cardinales:

EX ORDINE PRESBYTERORUM

Petrum Gasparri
Ludovicum Henricum Luçon
Paulinum Petrum Andrieu

EX ORDINE DIACONORUM

Caietanum De Lai

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

PROVISIO ECCLESIARUM

Hac Allocutione habita ac recensitis S. R. E. Cardinalibus creatis ac publicatis, SSmus D. Noster in eodem Consistorio secreto diei 16 Decembris 1907 infrascriptas proposuit ecclesias:

Ecclesiam titularem archiepiscopalem Traianopolitan., latini ritus, favore R. P. D. Augusti Iosephi Duc, promoti a cathedrali Sede Augustana.

Ecclesiam titularem archiepiscopalem Anazarben., latini ritus, favore R. P. D. Raymundi Ingheo, promoti a cathedrali Sede Ecclesiensi.

Ecclesiam metropolitanam Camberien. favore R. P. D. Francisci Virgilii Dubillard, promoti a cathedrali Sede Corisopitensi.

Ecclesiam metropolitanam Bononien. favore R. P. D. Iacobi Della Chiesa, presbyteri Ianuensis, Antistitis Urbani, doctoris in sacra theologia et in utroque iure, Substituti Secretariae Status.

Ecclesiam metropolitanam Liman. favore R. D. Petri Emmanuelis Garcia Naranjo, presbyteri Limani, doctoris in sacra theologia, canonici thesaurarii metropolitanae ecclesiae.

Ecclesiam titularem episcopalem Proconnesien. favore R. P. D. Alphonsi Mariae Giordano, e congregatione SSmi Redemptoris, translati a Sedibus cathedralibus unitis Calvensi et Theanensi.

Ecclesiam titularem episcopalem Sebastopolitan. favore R. P. D. Sanctis Mei, translati a cathedrali Sede Mutilana.

Ecclesiam titularem episcopalem Lampsacen. favore R. P. D. Iulii Seraphini, translati a cathedrali Sede Pisciensi.

Ecclesiam cathedralem Bobien. favore R. P. D. Aloisii Marelli, presbyteri Mediolanensis, Urbani Antistitis, Provicarii generalis Mediolanensis.

Ecclesiam cathedralem Piscien. favore R. D. Angeli Simonetti, archidioeceseos Florentinae, parochi ecclesiae S. Petri *in Mercato* nuncupatae.

Ecclesiam cathedralem Tarantasien. favore R. D. Ioannis Baptistae Biolley, eiusdem dioecesis, canonici ornamentarii ecclesiae cathedralis, et parochi archipresbyteri oppidi *Albertville.*

Ecclesiam cathedralem Budvicen. favore R. D. Iosephi Hûlka, eiusdem dioecesis, intimi Sanctitatis Suae supra numerum Cubicularii, Examinatoris prosynodalis, Provicarii generalis, et canonici ecclesiae cathedralis.

Ecclesiam cathedralem Pastopolitan. favore R. D. Adulphi Perea, archidioecesis Popayanensis, ibique Vicarii generalis.

Ecclesiam titularem episcopalem Sebasten. favore R. P. D. Dionysii O' Connel, dioecesis Richmondiensis, doctoris in sacra theologia, Antistitis Urbani, moderatoris catholicae Universitatis Washingtoniensis.

Ecclesiam titularem episcopalem Adrianopolitan. favore R. P. D. Thomae Kennedy, archidioecesis Philadelphiensis, doctoris in sacra theologia, Antistitis Urbani, rectoris Collegii Americae Septentrionalis de Urbe.

Ecclesiam titularem episcopalem Cestren. favore R. D. Barnabae Piedrabuena, presbyteri Tucumanensis, ibique Vicarii generalis.

Die vero 19 Decembris 1907, Sanctitas Sua in eodem Palatio Apostolico Vaticano habuit Consistorium publicum, in quo, iuxta suetas cae-

remonias, imposuit Pileum rubrum Emis ac Rmis Dñis Cardinalibus Aguirre et Rinaldini, creatis et publicatis in Consistorio secreto diei 15 Aprilis 1907; nec non Gasparri, Luçon, Andrieu et De Lai, creatis et publicatis in Consistorio secreto diei 16 mensis currentis. Consistorio publico expleto, SSmus tenuit Consistorium secretum, in quo, clauso ore Emis ac Rmis Neo-Cardinalibus, proposuit sequentes ecclesias:

Ecclesiam patriarchalem Lisbonen. per R. P. D. Antonium Mendes Bello, promotum a cathedrali Sede Pharaonensi.

Ecclesiam cathedralem Pharaonen. per R. P. D. Antonium Barbosa Leâo, translatum a cathedrali Sede Angolensi et Congensi.

Ecclesiam cathedralem Guadixen. per R. D. Timotheum Hernandez Mulas, dioecesis Zamorensis, doctorem in iure canonico, canonicum doctoralem in cathedrali ecclesia Conchensi.

Ecclesiam cathedralem Almerien. per R. D. Vincentium Casanova, dioeceseos Tirasonensis, prolytam in sacra theologia, parochum ecclesiae Matritensis B. M. V. de bono Consilio.

Ecclesiam cathedralem Segobricen. per R. D. Antonium Mariam Massanet y Verd, dioecesis Maioricensis, professorem philosophiae in episcopali Seminario.

Ecclesiam cathedralem Bejen. per R. D. Sebastianum Leite de Vasconcellos, presbyterum Portugallensem, fundatorem et rectorem Officinae S. Ioseph.

Ecclesiam titularem episcopalem Martyropolitan. per R. D. Antonium Alves Ferreira, dioeceseos Portalegrensis, prolytam in sacra theologia et in iure canonico, professorem sacrae theologiae in Seminario Santaremensi, canonicum patriarchalis ecclesiae Lisbonensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Iosephi Dias Correia de Carvalh, Episcopi Visensis.

Ecclesiam titularem episcopalem Olympien. per R. D. Prudentium Melo y Alcalde, presbyterum Burgensem, doctorem in sacra theologia et in iure canonico, Provicarium generalem et canonicum lectoralem ecclesiae metropolitanae Burgensis, deputatum in Auxiliarem Emi ac Rmi Dñi Card. Cyriaci Mariae Sancha y Hervas, archiepiscopi Toletani.

Ecclesiam cathedralem episcopalem Anthedonen. per R. D. Raymundum Barberá y Brada, archidioeceseos Tarraconensis, doctorem in sacra theologia et prolytam in iure canonico, canonicum archidiaconum metropolitanae ecclesiae Tarraconensis.

Deinde Sanctitas Sua publicavit sequentes ecclesias iam per Breve provisas:

Coadiutoriam cum futura successione cathedralis ecclesiae Parmen. per R. P. D. Guidonem Mariam Conforti, Archiepiscopum titularem Stauropolitanum.

Ecclesiam titularem archiepiscopalem Sardicen. per R. P. D. Pium Albertum Del Corona, ex Ordine Praedicatorum, promotum a Sede cathedrali S. Miniati.

Ecclesiam titularem archiepiscopalem Pessinuntin., latini ritus, per R. P. D. Constantium Ludovicum Mariam Guillois, promotum a cathedrali Sede Aniciensi.

Ecclesiam metropolitanam Avenionen. per R. P. D. Gasparem Mariam Michaelem Latty, promotum a cathedrali ecclesia Catalaunensi.

Ecclesiam metropolitanam De Linares per R. P. D. Leopoldum Ruiz, promotum a cathedrali Sede Leonensi in republica Mexicana.

Ecclesias metropolitanas Acheruntin. et Matheranen. invicem perpetuo canonice unitas per R. P. D. Anselmum Pecci, Ordinis S. Benedicti, promotum a cathedrali Sede Tricaricensi.

Ecclesiam metropolitanam Bombayen. per R. P. Ermannum Jürguens, e Societate Iesu.

Ecclesiam titularem archiepiscopalem Heraclien. per R. P. Fr. Andream, in saeculo Franciscum Frühwirth, ex Ordine Praedicatorum, dioecesis Secoviensis, Magistrum in sacra theologia, Consultorem S. Officii, Legatum Apostolicum in Bavaria.

Ecclesiam cathedralem de Uberaba, nuper erectam a Sanctitate Sua, per R. P. D. Eduardum Duarte Silva, translatum a cathedrali Sede Goyasensi.

Ecclesiam cathedralem de Prince Albert, nuper erectam a Sanctitate Sua, per R. P. D. Albertum Pascal, Oblatorum Mariae Immaculatae, translatum ab ecclesia titulari episcopali Mosynopolitana.

Ecclesiam cathedralem Leonen. in Republica Mexicana per R. P. D. Iosephum Mora, translatum a cathedrali Sede de Tulancingo.

Ecclesiam cathedralem Chilapen. per R. P. D. Franciscum Campos, translatum a Sede cathedrali Tabasquensi.

Ecclesiam cathedralem Curityben. per R. P. D. Ioannem Franciscum Braga, translatum a cathedrali Sede Petropolitana.

Ecclesiam titularem episcopalem Cinen. per R. P. D. Carolum a Iesu Mejia, e congregatione Missionis, translatum a cathedrali ecclesia Tehuantepecensi.

Ecclesiam cathedralem Iacien. per R. P. D. Ioannem Baptistam Arista Vigo, e congregatione Oratorii, translatum ab ecclesia titulari episcopali Nyssena.

Abbatiam Nullius Montis Serrati in Republica Brasiliana, nuper a Sanctitate Sua erectam, per R. P. D. Gherardum Van Caloen, Ordinis S. Benedicti, Episcopum titularem Focaeensem.

Ecclesiam cathedralem Venusin. per R. P. D. Felicem del Sordo, translatum ab ecclesia titulari episcopali Claudiopolitana.

Ecclesiam cathedralem S. Miniati per R. P. D. Carolum Falcini, translatum ab ecclesia titulari episcopali Arethusina.

Ecclesiam cathedralem Ibarren. per R. P. D. Ulpianum Perez y Quiñones, translatum ab ecclesia titulari episcopali Arethusina.

Ecclesiam cathedralem Montis Falisci per R. P. D. Dominicum Mannaioli, dioeceseos Tudertinae, Antistitem Urbanum, doctorem in sacra theologia et in utroque iure, Correctorem S. Poenitentiariae, et canonicum patriarchalis Basilicae Lateranensis.

Ecclesiam cathedralem Civitatis Plebis per R. D. Dominicum Fanucchi, archidioeceseos Lucanae, Examinatorem synodalem, canonicum metropolitanae ecclesiae et Provicarium generalem Lucanum.

Ecclesias cathedrales Cornetan. ac Centumcellarum invicem perpetuo canonice unitas per R. P. Bedam, in saeculo Ioannem Cardinale, Ordinis S. Benedicti, presbyterum Ianuensem, Abbatem monasterii de *Praglia* nuncupati.

Ecclesiam cathedralem Amerin. per R. P. Franciscum Mariam Berti, ex Ordine Minorum Conventualium, dioeceseos Pistoriensis, Commissarium generalem provinciae Hetruriae, ac Florentiae rectorem ecclesiae S. Crucis.

Ecclesiam cathedralem Grossetan. per R. D. Ulissim Bascherini, archidioeceseos Pisanae, prolytam in sacra theologia, Examinatorem prosynodalem, archipresbyterum metropolitanae ecclesiae, ac Provicarium generalem Pisanum.

Ecclesiam cathedralem Fiduntin. seu Burgi S. Domnini per R. D. Leonidam Mapelli, presbyterum Mediolanensem, Praepositum parochum loci vulgo *Sesto Calende* in eadem archidioecesi.

Ecclesiam cathedralem Laquedonien. per R. D. Caietanum Pizzi, dioeceseos Aesernien., doctorem in sacra theologia, Examinatorem synodalem et canonicum cathedralis Aeserniensis.

Ecclesiam cathedralem Calatanisiaden. per R. P. Antonium a Iesu, in saeculo Augustum Intreccialagli, ex Ordine Carmelitarum excalceatorum, dioecesis Tusculanae, Magistrum philosophiae ac sacrae theologiae, Visitatorem Apostolicum tum Romae tum in variis Italiae dioecesibus, Consultorem S. Congregationis Episcoporum et Regularium aliarumque

Pontificiarum Commissionum, in suo Ordine olim Definitorem ac Provincialem, et Postulatorem causarum beatificationis et canonizationis.

Ecclesiam cathedralem Cephaluden. per R. P. Fr. Anselmum, in saeculo Evangelistam Sansoni, ex Ordine Minorum, dioecesis Aretinae, Lectorem in philosophia et sacra theologia, Aretii Examinatorem prosynodalem, professorem theologiae dogmaticae et sacrae Scripturae, ac directorem spiritualem Seminarii episcopalis.

Ecclesiam cathedralem Engolismen. per P. D. Henricum Arlet, dioecesis Cadurcensis, professorem emeritum Seminarii, et Vicarium generalem Cadurcensem.

Ecclesiam cathedralem Anicien. per R. D. Thomam Boutry, dioeceseos Molinensis, doctorem in sacra theologia et in iure canonico, canonicum theologum cathedralis ecclesiae, et Vicarium generalem Molinensem.

Ecclesiam cathedralem Apamien. per R. D. Martinum Izart, dioeceseos Elnensis, ibique canonicum archipresbyterum cathedralis ecclesiae.

Ecclesiam cathedralem Trecen. per R. D. Laurentium Monnier, dioecesis S. Claudii, ibique canonicum archipresbyterum ecclesiae cathedralis.

Eclesiam cathedralem Blesen. per R. D. Alfridum Iulium Mélisson, dioeceseos Cenomanensis, ibique canonicum archipresbyterum cathedralis ecclesiae.

Ecclesiam cathedralem Sanctorien. per R. D. Michaelem Camilieri, archidioecesis Corcyrensis, et Smyrnae parochum.

Ecclesiam cathedralem Bolivaren. per R. P. Andream Machado, e Societate Iesu, Ministrum provinciae Aequatorianae.

Ecclesiam cathedralem Portus Veteris per R. P. Ioannem Mariam Riesa, ex Ordine Praedicatorum, Ministrum provinciae Aequatorianae.

Ecclesiam cathedralem de Tulancingo per R. D. Ioannem Herrera, archidioeceseos Mexicanae, doctorem in philosophia, sacra theologia et iure canonico, rectorem Seminarii archiepiscopalis et Praefectum Studiorum.

Ecclesiam cathedralem Tehuantepecen. per R. D. Ignatium Placencia, archidioecesis Guadalaxarensis, ibique Prosecretarium archiepiscopalis Curiae.

Ecclesiam cathedralem Derrien. per R. P. D. Carolum Mac Hugh, eiusdem dioecesis, doctorem in sacra theologia, rectorem Seminarii, ac Vicarium generalem.

Ecclesiam cathedralem Riverormen. per R. D. Danielem Franciscum Feehan, dioeceseos Campifontis, parochum S. Bernardi et Consultorem dioecesanum.

Ecclesiam cathedralem Poonen. per R. D. Henricum Doring, e Societate Iesu, dioecesis Monasteriensis, Missionarium Poonensem.

Ecclesiam cathedralem Nagporen. per R. P. Franciscum Stephanum Coppel, Missionariorum S. Francisci Salesii, dioecesis Anneciensis, professorem et rectorem Collegii Nagporiensis, et Provincialem propriae congregationis.

Ecclesiam titularem episcopalem Acmonien. per R. D. Petrum Marty, dioeceseos Petrocoricensis, doctorem in sacra theologia, decanum Capituli Petrocoricensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione R. P. D. Adulphi Fiard, Episcopi Montis Albani.

Ecclesiam titularem episcopalem Ailen. per R. D. Carolum Mariam De Gorostarzu, e Seminario Parisiensi Missionum exterarum, deputatum in Vicarium Apostolicum Yun-nan in imperio Sinensi.

Ecclesiam titularem episcopalem Antiphellen. per R. P. Ioannem Collins, e Societate Iesu, deputatum in Vicarium Apostolicum Jamaicae.

Ecclesiam titularem episcopalem Dausaren. per R. D. Nicolaum Ciceri, e congregatione Missionis, dioecesis Nolanae, Proprocuratorem Shanghai, deputatum in Vicarium Apostolicum Scian-Si meridionalis.

Ecclesiam titularem episcopalem Pityusii per R. P. Petrum Muñagorri y Obineta, ex Ordine Praedicatorum, dioeceseos Victoriensis, deputatum in Vicarium Apostolicum Ton-Kin centralis.

Ecclesiam titularem episcopalem Milesii per R. P. Adeodatum Witner, ex Ordine Minorum, dioecesis Salisburgensis, deputatum in Coadiutorem cum futura successione Vicarii Apostolici Sciam-Ton orientalis.

Ecclesiam titularem episcopalem Parnassen. per R. P. D. Ludovicum Iosephum Legraive, archidioecesis Mechliniensis, Antistitis Urbani, et Vicarium generalem, deputatum in Auxiliarem Emi ac Revmi Dñi Card. Desiderati Mercier, Archiepiscopi Mechliniensis.

Ecclesiam titularem episcopalem Amathen. per R. P. D. Paulum Rosarium Farrugia, dioecesis Melitensis, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium, doctorem in sacra theologia, Examinatorem prosynodalem et canonicum ecclesiae cathedralis, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Petri Pace, Archiepiscopi Episcopi Melitensis.

Ecclesiam titularem episcopalem Selymbrien. per R. D. Iacobum Klunder, dioeceseos Culmensis, doctorem in utroque iure, canonicum cathedralis ecclesiae Culmensis, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Augustini Rosentreter, Episcopi Culmensis.

Ecclesiam titularem episcopalem Suren. per R. D. Antonium Augustum de Assis, archidioecesis Mariannensis, canonicum archipresbyte-

rum cathedralis ecclesiae de Pouso Alegre, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Ioannis Baptistae Correa Nery, Episcopi de Pouso Alegre.

Ecclesiam titularem episcopalem Germanicopolitan. per R. D. Iosephum Mariam Kondelka, dioecesis Clevelandensis, deputatum in Auxiliarem R. P. D. Ignatii Horstmann, Episcopi Clevelandensis.

Ecclesiam titularem episcopalem Helenopolitan. per R. P. D. Rochum Vucic, dioeceseos Seniensis, Protonotarium Apostolicum ad instar participantium, prolytam in philosophia et in sacra theologia, canonicum cathedralis ecclesiae Seniensis.

Deinde Sanctitas Sua, more solito, os aperuit novis Cardinalibus; atque postulatio sacri Pallii facta fuit pro patriarchali ecclesia Lisbonensi, pro ecclesiis metropolitanis Bononiensi, Acheruntina et Matheranensi, De Linares, Avenionensi, Camberiensi, Bombeyensi, Limana et Bustoniensi vi successionis, nec non pro cathedralibus ecclesiis Aniciensi et Constantiensi ex privilegio. Item Beatitudo Sua anulum cardinalitium imposuit praefatis Cardinalibus, et assignavit Emo Aguirre titulum presbyteralem S. Ioannis ad portam latinam, S. Pancratii Emo Rinaldini, S. Bernardi Emo Gasparri, S. Mariae novae Emo Luçon, S. Onuphrii Emo Andrieu; ac Diaconiam S. Nicolai in carcere Emo De Lai.

Demum SSmus Dñus litteris Secretariae Status dictis Emis Cardinalibus sequentes assignavit Congregationes: Emo Aguirre y Garcia S. Congregationes Episcoporum et Regularium, Rituum, Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, nec non Lauretanam; Emo Rinaldini S. Congregationes Consistorialem, Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, Rev. Fabricae S. Petri et Negotiorum ecclesiasticorum extraordinariorum; Emo Gasparri S. Congregationes Concilii, Rev. Fabricae S. Petri, Negotiorum ecclesiasticorum extraordinariorum, ac Studiorum; Emo Luçon S. Congregationes Episcoporum et Regularium, Rituum, Caeremonialem, et Lauretanam; Emo Andrieu S. Congr. Concilii, Propagandae Fidei, Indicis, ac Caeremonialem; demum Emo De Lai S. Congr. Concilii, Caeremonialem, Negotiorum ecclesiasticorum extraordinariorum, ac Lauretanam.

ALLOCUTIO

Pii PP. X die 18 Dec. 1907 habita ad novos Cardinales.

Vi ringrazio, Signor Cardinale, dei sentimenti di devozione e di filiale amore, che mi avete significati in nome vostro e dei vostri diletti confratelli per l'onore a cui foste chiamati.

La sacra porpora, che è premio alla virtù e alla scienza, non solo onora quegli egregi che, avendo prestato segnalati servigi alla Santa Sede, sono chiamati a cooperare col Sommo Pontefice al governo universale della Chiesa, ma onora pure quei luoghi, dove i nuovi eletti hanno rapporti di origine, di parentela e di spirituale governo, i quali giustamente riguardano come un benefizio e una grazia speciale l' avere uno dei loro figli nel Sacro Collegio. Io provo in vero la massima compiacenza tutte le volte che mi è dato di corrispondere al desiderio di questi popoli, come sarebbe per me la più cara delle soddisfazioni se potessi appagare i voti di tutti.

Mi congratulo pertanto con voi, diletti figli dell'Umbria e della Venezia, perchè i cari vostri, dopo di avervi seguiti col pensiero, mentre eravate occupati in delicati uffici e importanti missioni anche in lontani paesi, ora finalmente vi salutano con gioconda letizia e godono del premio concesso al merito dei tanti servigi prestati alla Chiesa. Mi congratulo con voi, diletti figli della Francia. Mi tardava l'animo di offrire ai cattolici della vostra patria un nuovo argomento della mia particolare attenzione; e per dare questa testimonianza mi si presentavano al pensiero tutti quegli insigni Prelati, che obbedienti alla mia parola, con unione mirabile, con tranquilla, ma forte resistenza incontrarono la persecuzione, di cui erano vittime, e alle subdole offerte di un Governo, che con aperta ingiuria a tutte le leggi divine ed umane aveva sacrilegamente usurpate le cose più sante; preferirono le angustie, la povertà e la miseria, il qual fatto, mentre infonde in tutti i buoni la fiducia, è caparra di sicura vittoria. Così chi voleva distruggere ha invece edificato, chi voleva per ogni maniera bandita dalla Francia la religione di Gesù Cristo, ne ha invece rinvigorita la fede eccitando tutti i fedeli a ripetere coi loro Vescovi le parole di Giuda Maccabeo: *Melius est nos mori in bello quam videre mala gentis nostrae et sanctorum.*

Ora a tutti questi campioni, che meritarono il plauso e l'ammirazione del mondo, mi è dolce manifestare anche in questa occasione la mia gratitudine. Che se non posso offrire a tutti, come vorrei, un pegno della mia riconoscenza, son certo però che tutti faranno plauso oltrechè ai meriti vostri particolari, al pensiero che mi indusse a preferirvi a tutti gli altri ottimi. Marsiglia è il porto, a cui dopo il sacrificio divino del Calvario, approdò non solo il discepolo, ma l'amico del divin Redentore; e Marsiglia, che fè tesoro della parola di vita dispensata da Lazzaro e lo venera ancora come speciale patrono, dev' essere riguardata dalla Francia con speciale venerazione. Reims conserva il fonte battesimale d'onde è uscita tutta la Francia cristiana e giustamente è chiamata per questo il diadema del regno.

Era un' ora tenebrosa per la Chiesa di Gesù Cristo, che combattuta per una parte dagli Ariani e assalita per l'altra dai barbari, non aveva altro rifugio che la preghiera per invocare l'ora di Dio. E l'ora di Dio suonò a Reims nella festa di Natale dell'anno 486, perchè il battesimo di Clodoveo segnò la nascita di una grande nazione, della tribù di Giuda dell'èra novella, che prosperò sempre finchè mantenne l' alleanza del sacerdozio e del pubblico potere, finchè non a parole, ma coi fatti si mostrò figlia primogenita della Chiesa. A Reims pertanto ed a Marsiglia devono rivolgersi gli affetti di tutti i cattolici della Francia, perchè se a Marsiglia fu portato il primo germe della fede, della parola venuta dal Golgota, caldo ancora del sangue di Gesù Cristo, a Reims fu solennemente proclamato il Regno di Cristo in tutta la Francia pel Re che senza parole, ma col suo solo esempio indusse i popoli, che lo seguivano, a ripetere alla di lui presenza e ad una sola voce: Noi rinunciamo agli Dei mortali e siamo pronti ad adorare il Dio immortale predicato da Remigio; provando così un'altra volta, che i popoli sono quali li vogliono i loro Governi.

Mi congratulo pertanto anche con voi, Venerabili Pastori di Reims e di Marsiglia, che ritornando alle vostre sedi adorni della Sacra Porpora, sarete accolti con gioia e avrete il saluto affettuoso dei vostri confratelli e la venerazione di tutti i cattolici della Francia. Che se in questa letizia non ho potuto fare a meno di rammaricarmi pensando alle persecuzioni alle quali è fatta segno la Chiesa, confido però molto anche in voi, che, cominciando oggi una vita di lavoro più assiduo e di maggior sacrificio, come per lo passato, continuerete a sostenerne i diritti e ad aiutarmi nello spirituale governo. E a questo fine impartisco con effusione di cuore l'Apostolica benedizione a voi, al clero ed al popolo delle vostre diocesi, ai diletti che decorarono colla loro presenza questa ceremonia, ai vostri ed ai loro parenti, e questa benedizione sia fonte per tutti delle grazie più elette e delle più soavi consolazioni.

MOTU PROPRIO

Quo reformatur Collegium Poenitentiariorum Franciscalium Basilicae Lateranensis.

PIUS PP. X

Singulari curare studio, ut praeclarus Ordo Fratrum Minorum in omnibus rebus suum decus dignitatemque retineat, Nostrum intelligimus esse, quandoquidem ad Apostolici muneris officium accedit quod ipsius Ordinis patrocinium sustinemus. Itaque, cum in Collegio Poenitentiariorum Franciscalium sacrosanctae Basilicae Lateranensis videamus magnopere interesse ad custodiam disciplinae, ut de legibus et institutis, quibus Collegium utitur, aliquid immutetur, ea quae infra scripta sunt, motu proprio decernimus:

I. Collegii candidatos Minister generalis Cardinali Poenitentiario maiori designabit: eos probandi et in Collegium cooptandi eidem Cardinali ius esto.

II. Ex Poenitentiariis rite adlectis Minister generalis Praesidem Collegii dicet; id munus triennale esto.

III. Poenitentiarii collegiati in iis, quae ad sacrum ipsorum ministerium pertinent, dumtaxat Cardinali Poenitentiario maiori parebunt.

IV. Quod vero ad observantiam attinet religiosae disciplinae, et Constitutionum generalium Ordinis, praesertim de vita communi et visitatione canonica, iidem sub iurisdictione Ministri generalis manebunt, ab eo, non secus ac caeteri sodales religiosi, gubernandi. Is tamen ne quemquam a Collegio in perpetuum removeat, nisi Cardinali Poenitentiario maiori consulto.

V. Qui Poenitentiarii munus cum laude sexennium administrarint, nomen et gradum *Ex-custodis* in sua quisque provincia obtineant: qui vero id ipsum praestiterint ultra sexennium, Definitorum generalium erit decernere, quibus privilegiis ornandi sint.

Haec statuimus, non obstantibus, licet speciali mentione aut derogatione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Septembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

De Familia Fratrum Minorum Neapoli ad Sanctae Clarae commorantium reformanda.

PIUS PP. X

In domibus Ordinum religiosorum illud permagni sane refert, sanctarum, quibus reguntur, legum vigere observantiam: cum qua, non solum magna christiani populi utilitas,

sed ipsa sodalium sempiterna salus coniungitur. Hanc Nos tam necessariam laudem cum apud Fratres Minores, qui Neapoli ad Sanctae Clarae commorantur, desiderari iam nolimus, Apostolici officii conscientia, atque etiam peculiari erga eos dilectos filios caritate impulsi, quae sequuntur decernimus, edicimus:

I. Neapolitanum Fratrum Minorum coenobium, perinsigni monasterio atque aedi Sanctae Clarae continens, proxime et omnino potestati Ministri generalis Minorum subiectum esto. Salva tamen iura sint Archiepiscopi Neapolitani pro ea, quam habet, secundum statuta canonum, auctoritatem ordinariam et delegatam in Religiosos exemptos, praesertim qui Monialibus, solemni ritu Deo devotis et clausurae lege obstrictis, sacri muneris officia praestant.

II. Ministri generalis erit: ex consulto Definitorum generalium *Guardianum* coenobii pro tempore et instituere et removere; sodales, quotquot ei coenobio et monasterio opus fuerint, tum sacerdotes tum laicos, de quibuslibet Italiae provinciis evocatos, praeceptivis litteris in idem coenobium destinare; eosdem, nullo excepto, per se aut per alium pro potestate invisere, corrigere ad frugem, si res postulaverit, atque etiam in suam quemque provinciam remittere.

III. Coenobii sodales, omnes ad unum, perfectam vitae communitatem inter se, sine mora, instituant. Itaque quidquid pecuniae, quoquo titulo, singuli acquisiverint aut acquisituri sint, omne quamprimum in manus tradant Syndici Apostolici. Hic sibi tradita in acervum congeret, de quo victum vestitumque communem ceterasque res, Praepositi sententia, necessarias comparanda curabit. Pecuniam vero retinere aut contrectare aut quidquam in eam sibi arrogare iuris, nulli e sodalibus quaquam de causa fas esto, ne si legitimam quidem veniam alias impetrarit.

IV. Iidem praeterea sciant suas esse partes, ut franciscanam vivendi regulam, constitutiones generales Ordinis,

statuta peculiaria quae Definitorium generale ediderit, inviolate servent; ut Officium divinum in choro statis horis persolvant; denique ut munia faciant omnia, quae in quovis rite constituto coenobio Ordinis fieri, ius est.

Quaecumque hoc Motu Proprio statuta sunt, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper ab omnibus, ad quos pertinent, inviolabiliter observari debere, decernimus; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, quibus ex plenitudine potestatis quoad praemissa expresse derogamus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVII Septembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Pontifex laudat Collegium Americanum Lovanii in Belgio occasione quinquagesimi anni ab erectione.

PIUS PP. X

AD FUTURAM REI MEMORIAM

In hac Beati Petri Principis Apostolorum Cathedra, nullis quidem meritis Nostris, divinitus collocati, ad pia potissimum instituta, in quibus adolescentes in Ecclesiae spem succrescentes, liberalibus disciplinis simul ac religiosa pietate imbuuntur, paterno ac vigili studio oculos mentis Nostrae convertimus; et quae caeteris praestare noscamus, tum alumnorum frequentia ac diligentia, cum assidua bonorum operum exercitatione, ea debito laudum praeconio libenti quidem gratoque animo prosequi satagimus. Frugifera haec inter in-

stituta pluribus nominibus optime de re sacra merita, iure meritoque accensendum est Collegium Americanum Lovanii in Belgio anno 1857 erectum, ad finem excipiendi e variis Europae nationibus iuvenes, illosque ita erudiendi, ut inde novi ad Foederatos Americae Septentrionalis Status, divini verbi praecones solvant. Collegium enim illud maxima brevi favente Deo incrementa habuit. Et sane ab eodem plus quam quingenti prodierunt missionarii, qui religionis provehendae studio flagrantes, neque laboribus fracti, neque adversis rebus defatigati, sed ad pretiosam usque in conspectu Domini sanguinis effusionem pro Christi fide parati, uberrimos in Dominico agro excolendo fructus perceperunt. In omnes vel longo terrarum spatio dissitas Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis regiones, exivit sonus eorum, auctaque feliciter in illis partibus Christi re, missionariorum eorumdem actuosi zeli, ac germanae fidei, nec non immutati erga Romanam Cathedram obsequii miranda ibidem testimonia suppetunt. Nunc autem cum hoc anno quinquagesimo sese vertat a primaeva Collegii ipsius erectione, placet Nobis votis annuere Antistitis Convingtoniensis Praesidis Commissionis Episcoporum Americanorum memorati Collegii regimini praepositae, atque auspicatissima eadem occasione propensae Nostrae voluntatis sensus significare. Etenim hac tempestate, qua tot tantaque mala videt lugetque christianus orbis, gratum Nobis est, exantlatos pro vera fide propaganda labores celebrare, ut alii ad imitationem excitentur, atque egregia missionariorum facinora studeant aemulari, ne quid catholicum nomen detrimenti capiat, sed disiectis hostium molitionibus, novo Christi Redemptoris religio splendore renideat. Itaque hortamur ipsius Collegii doctores et alumnos, ut stent in fide constantes, nunquam a proposito sibi fine deflectant, sed maiorum vestigiis insistentes, omni ope studeant, ut Americae Septentrionalis regiones evangelicis praeconibus abundent. Propterea precamur bonorum omnium au-

ctorem Deum, ut ipsum Collegium fortunet propitius, ut illius moderatores, doctores, alumnos et benefactores, peculiaribus misericordiae suae gratiis complectatur; atque interim coelestium munerum auspicem, Nostraeque benevolentiae testimonium, Americani praefati Collegii moderatoribus, doctoribus, alumnis et benefactoribus quos recensuimus, Apostolicam benedictionem paramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Iulii MCMVII, Pontificatus Nostri anno quarto.

R. Card. MERRY DEL VAL *a Secretis Status.*

EX SECRETARIA STATUS

Litterae ad Episcopos Galliae circa taxam pro sacro cultu.

Monseigneur,

Je m'empresse de porter à la connaissance de Votre Grandeur les nouvelles instructions que Sa Sainteté a jugé opportun de donner aux évêques français, au sujet du denier du culte.

Le Saint-Père reconnaît la nécessité de cette organisation, en vue de subvenir à l'entretien du culte et aux besoins de ses ministres, privés de leurs ressources par l'injuste loi de séparation. Toutefois, il tient à ce qu'on procède, dans une matière pareille, avec la plus grande délicatesse, en évitant absolument tout ce qui pourrait avoir même l'apparence de vexation ou de fiscalité: principe qui d'ailleurs a été approuvé avec tant de sagesse dans l'assemblée plénière des évêques de Paris.

Conformément à ce principe, le Saint-Père désire vivement, en premier lieu, que toute taxation fixe et obligatoire

(tant personnelle que paroissiale) soit écartée, pour deux principales raisons: d'abord le système des taxes semble mettre, en quelque sorte officiellement, le ministère spirituel à prix d'argent; ensuite il expose nécessairement à l'arbitraire dans la définition du chiffre de la taxe, car il est moralement impossible de tenir compte de tous les éléments qui entrent dans l'appréciation de la capacité contributive de chaque individu ou de chaque paroisse. Les évêques devraient donc se borner à en appeler à la foi et à la charité de leurs diocésains. Ils devraient inculquer la grave obligation qu'il y a, pour eux, de contribuer, dans la mesure de leurs ressources, à l'entretien du culte et de ses ministres, tout en faisant comprendre ce devoir par les seules voies de la persuasion.

Quant aux sanctions, qui sont une conséquence presque inévitable du système des taxes, il faudrait exclure toute sanction pécuniaire, qui est odieuse de sa nature, et plus encore la sanction qui consisterait soit à supprimer le service religieux dans les paroisses, soit à refuser aux individus le saint ministère.

Cependant il est certain que l'opinion des bons réclame qu'il y ait quelque différence dans la manière de traiter ceux qui participent et ceux qui refusent par mauvais vouloir de participer au denier du culte. En vue de donner satisfaction à cette exigence, le Saint-Père ne s'oppose pas à ce que pour les cérémonies des funérailles et des mariages on réserve aux seuls paroissiens participants de l'œuvre du denier les honneurs de surcroît, c'est-à-dire la pompe qui classe ces cérémonies: par exemple, la présence d'un nombreux clergé, la décoration de l'église, la solennité du chant. Cette sanction n'aurait rien d'odieux; l'opinion des bons obtiendrait ainsi satisfaction, en même temps que les autres seraient avertis que l'Eglise n'accorde des honneurs exceptionnels qu'à ses plus dévoués enfants.

Sa Sainteté espère qu'en agissant ainsi par voie d'amour

et de persuasion, les évêques trouveront dans la générosité des catholiques français une digne réponse à leur appel; et par conséquent, ils ne seront pas obligés, afin de pourvoir aux besoins de l'Eglise, de recourir à des mesures qui sembleraient amoindrir la spontanéité et la religion des fidèles, dans l'accomplissement de cette grave obligation.

Je prie Votre Grandeur de vouloir bien porter ces instructions du Saint-Père à la connaissance de ses suffragants.

Agréez, Monseigneur, l'expression de mes sentiments dévoués en Notre-Seigneur.

Rome, 8 octobre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

De frequentia Universitatum civilium clericis permittenda dumtaxat in casu necessitatis.

Monseigneur,

La Saint-Siège a reçu des réclamations contre le procédé de certains ecclésiastiques français, qui, pour être plus rapidement et plus facilement munis de grades universitaires, s'inscrivent aux Facultés de l'Etat, renonçant à suivre les cours des Facultés catholiques.

Votre Grandeur comprend aisément que, si on en venait à généraliser cet usage, la saine doctrine, chez les ecclésiastiques, ainsi que l'avenir des Universités catholiques, pourraient être sérieusement compromis. En effet, il ne peut pas échapper à la pénetration de Votre Grandeur que l'intégrité de la foi des jeunes étudiants, même s'ils sont clercs, ou prêtres, est exposée dans les Facultés civiles à de bien graves dangers.

Partant, d'ordre de Sa Sainteté, je m'empresse de vous rappeler que, sauf de très rares exceptions, la préférence

doit être *toujours* donnée aux Universités catholiques. Les évêques sont autorisés, conformément au décret de 1896, visé par l'Encyclique (1), à permettre à leurs ecclésiastiques de suivre les cours des Facultés de l'Etat, seulement *en cas de nécessité* et, en tant que cette nécessité l'exige, en prenant d'autre part toutes les précautions requises. Les évêques se montreront *particulièrement difficiles* à donner cette autorisation pour les cours les plus sujets à devenir dangereux, comme ceux d'histoire, de philosophie et des matières similaires, et les recteurs des Universités catholiques ne permettront pas, de leur côté, que les ecclésiastiques, inscrits dans l'Institut dirigé par eux, qui ne sont pas munis, à cet effet, d'une autorisation expresse et spéciale de leurs évêques, suivent ces cours dans les Universités civiles.

Je prie Votre Grandeur de vouloir bien porter ces instructions du Saint-Père à la connaissance de ses suffragants.

Agréez, Monseigneur, l'expression de mes sentiments dévoués en Notre-Seigneur.

Rome, 10 Octobre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 29, pag. 359; et vol. 40, pag. 642.



ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

Damnatur opusculum " El Immaculado San José ".

Delatum est ad Supremam hanc Congregationem S. Officii opusculum editum anno currenti in ista civitate (Biblioteca Españolista; Caballeros, 41), cui titulus: « *El Immaculado San José,* Apuntes vindicativos de su concepción purísima; su honor de esposo; sus derechos de padre; su primoria restauradora (articulos publicados en *La Señal de la Victoria* con aprobación ecclesiástica) por José D. Maria Corbató, M. C. »; quo ad examen vocato, praesertim quod spectat ad doctrinam ab auctore expositam et propugnatam de divina paternitate S. Iosephi reali et proprie dicta, Eminentissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores generales decreverunt: « Opusculum de quo agitur inserendum in Indicem librorum prohibitorum ex decreto feriae IV; idque significandum quamprimum R. P. D. Archiepiscopo Valentino ut opportune moneat fideles » (1). — Quod dum, ut mei muneris est, cum Ampl. tua communicare propero, capta occasione, fausta quoque ac felicia omnia tibi precor a Domino.

Romae, die 26 Februarii 1907.

Amplitudinis Tuae,


Addmus in Domino
S. Card. VANNUTELLI

R. P. D. Archiepiscopo Valentinen.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 270.



EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM



Indultum pro pernoctatione minorum intra claustra.

Beatissimo Padre,

Il Padre Provinciale dell' Ordine dei Predicatori e Prefetto Apostolico nell'Equatore, umilmente prostrato al bacio del sacro piede, implora dalla Santità Vostra una benigna conferma del rescritto in data 27 Agosto 1900, col quale veniva concessa a *quinquennio* la facoltà per i conventi della sua provincia di accettare inservienti sotto i venti anni, e far pernottare *intra claustra* i servi, che accompagnano le persone addette alle loro campagne, che non raggiungono i venti anni e che non possono alloggiare altrove.

Sacra Congregatio super Disciplina Regulari, attentis informatione et voto Patris Procuratoris Generalis Ordinis, indultum diei 27 Augusti 1900 benigne prorogavit ad aliud quinquennium, servatis ceterum eiusdem forma ac tenore. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 28 Iulii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*



ORDINIS S. BENEDICTI

Datur facultas transferendi monachos S. Benedicti de una ad aliam congregationem.

Beatissime Pater,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., ad pedes S. V. provolutus humillime exponit:

Quum instante Ascensionis D. N. I. C. Octava, qui congregationibus confoederatis O. S. B. praesunt Abbates, Ro-

mae apud S. Anselmum, synodi celebrandae causa adessent, unitis consiliis S. V. supplicandum esse censuerunt, ut Ipsa Abbati Primati ad bonum Ordinis promovendum sequentem benigne tribueret facultatem, transferendi scilicet ab una ad alteram congregationem monachum consentientem, annuentibus utroque Abbate, scilicet Abbatiae a qua et ad quam, ac capitulo monasterii ad quod fit transitus.

Et Deus....

Vigore specialium facultatum a SSm̃o Dño Nostro concessarum Sacra Congregatio Em̃orum ac Rm̃orum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne annuit precibus oratoris in omnibus iuxta petita, durante ipsius oratoris munere. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, 21 Decembris 1907.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

BONONIEN. ET ALIARUM

ITERATIONIS MISSAE

De moderanda lege binationis Missae.

Gravis quaestio de Missae iteratione, quae iam anteactis temporibus non semel agitata fuit, hodie praesertim, ob peculiaria rerum ac temporum adiuncta, in praxi maiores ac frequentiores praesefert difficultates. Quocirca factum est ut nonnulli locorum Ordinarii ex dissitis etiam regionibus, ancipites existentes in concedenda vel deneganda Missae binatione, recursum habuerunt ad hanc S. C. pro opportunis

instructionibus; alii e contra instantias porrexerunt pro iterando Sacro nedum in casu verae fidelium necessitatis sed simplicis etiam utilitatis seu commoditatis.

Quin imo, quum disciplina circa Missae iterationem hucusque vigens plus aequo liberam fortasse relinqueret interpretationem, non raro evenit ut contraria praxis circa binationem induceretur inter dioeceses etiam finitimas. Hinc praesertim ex nimis lata legis interpretatione alicubi graves exorti sunt abusus et populi scandalum.

Hisce igitur perpensis, quum non sat sufficiens visum sit in casu recurrere ad medium ordinarium privatae responsionis, vel concessionis aut denegationis gratiae, res ex professo proposita fuit in plenariis comitiis ut statueretur an et quas regulas practicas in re decernere oporteret, ut tandem aliquando obtineretur ubique optata conformitas in Sacri binatione. Exquisitum etiam fuit votum (1) a Rmo P. Pio a Langonio, qui illud confecit, atque insimul quasdam petitiones ad hanc S. C. nuper transmissas compendiatim retulit ac illustravit. Quaeritur igitur num, servata praesenti binationis disciplina, expediat nonnullas dumtaxat dispositiones, prout a Consultore indigitantur, superaddere pro tutiori legis interpretatione ac observantia.

Responsum. Emi Patres S. C. Concilii, omnibus perpensis, in plenario coetu diei 23 Novembris 1907 decernendum statuerunt:

Quoad quaestionem generalem fiant litterae circulares iuxta mentem, et quoad quaestiones particulares iuxta votum Consultoris.

---

(1) Hoc Votum dabimus in *Appendice;* interim confer infra *Acta S. Sedis,* pag. 55,

PRIVERNEN.

IURIS NOMINANDI ADMINISTRATOREM

Cuinam competat ius nominandi administratorem confraternitatis.

Factiseries. In cathedrali ecclesia Privernensi extat sodalitas a SSño Sacramento nuncupata in qua praeter laicas personas recensentur omnes canonici Cathedralis, qui sunt confratres nati. Controvertitur utrum administrator sodalitatis nominari debeat ab Ordinario, vel potius a Capitulo praevia eiusdem Ordinarii approbatione. Actualis confraternitatis administrator est canonicus Thomas Bove, cui hoc munus collatum fuit anno 1886 ab Episcopo Simoneschi. At Capitulum sibi hoc ius esse recognoscendum contendit. Episcopus vero rem totam huic S. C. iudicio submittit, neque sese contrarium exhibet petitioni a Capitulo propositae.

Animadversiones. Capitulum invocat principium, quod illi ius competit nominandi administratorem in aliquo Collegio, qui officium habet curam gerendi gestionis bonorum ipsius Collegii. Haec enim nominatio est naturale consectarium ipsius administrationis, imo actus praecipuus. Iam vero hoc officium in gestione bonorum sodalitatis a SSño Sacramento usque ab antiquo Privernense Capitulum exercuit. Id probat adductis nonnullis coetibus capitularibus, in quibus vel administrator sodalitatis ab ipso fuit deputatus, vel designati sunt duo syndici computorum revisores. Exhibet etiam alios capitulares actus, ex quibus liquet sive acceptationes piorum legatorum, constitutiones canonum et permutationes factas fuisse de consensu ipsius Capituli.

Deinde Capitulo videtur suffragari quaedam ratio congruentiae. Sane praecipua sodalitatis pars efformatur ex ipsis canonicis qui sunt ipsius sodalitatis confratres nati, vix canonicatus possessionem nanciscuntur. Ulterius sodalitati incumbit onus curandi decorem ss. functionum in ecclesia ca-

thedrali et earum expensis occurrendi. Hinc maxime congruit ut haec fiant de beneplacito Capituli, praesertim si ratio habeatur, procurationis gestionis bonorum sodalitatis ad quam expedit ut Capitulum designet personam e suo gremio et plena sua fiducia fruentem.

Aliud argumentum in sui favorem Capitulum deducit ex facto, quod anno 1902 coetus administrativus Romanae provinciae vulgo *Giunta provinciale amministrativa* adnisus est sodalitatis patrimonium adnectere locali congregationi charitatis et cultus scopum in beneficentiae opus invertere. Huic usurpationi restitit actualis sodalitatis administrator, qui tamen ad huiusmodi negotium pertractandum expetiit et obtinuit licentiam a Capitulo, a quo sodalitas a SSmo Sacramento pendet, uti traditur in actu capitulari diei 14 Febr. 1902. Dato a Capitulo assensu, bona sodalitatis sarta tecta manserunt ab usurpatione. Exinde iterum in propatulo ponitur Capituli ius; nam recognitum fuit in Capitulo ius dominii in bonis sodalitii: porro penes quem est ius dominii, naturaliter ius quoque administrationis manet.

Demum Capitulum, quoniam ex adverso invocatur praescriptio, reponit quod haec in themate prodesse nequit, quia agitur de proprio iure venientibus, ideoque eis prodesse nequit negligentia vel acquiescentia suorum antecessorum: eo vel magis quia opposita praescriptio non est quadragenaria, qualis requiritur ad iura Ecclesiae praescribenda, sed tricenaria.

Praeterea in iure animadvertitur quod Episcopi nedum valent statuta sodalitatum moderari et corrigere iuxta Clementis VIII Constitutionem *Quaecumque* et plures decisiones huius S. C., quae videri possent in *Liburnen. - Iurium Confraternitatis* diei 7 Sept. 1895, sed etiam removere ex iustis causis officiales electos ab ipsis confratribus. Hoc postremum patet ex resolutione in *Asculana* diei 24 Martii 1725, ubi ad dubium, *an liceat Rmo Episcopo removere officiales et ministros a confratribus electos quatenus non sint idonei et gra-*

ves exceptiones patiantur; haec S. C. rescripsit: *Affirmative.* Item certum est quod Episcopi aliquando ex gravissimis causis uti possint extremis remediis contra refractarias sodalitates, uti sancitum invenitur in mox allegata *Liburnen.* Verum eorum potestas non eo protenditur ut etiam sese immiscere valeant in earum interna administratione: siquidem ipsis a iure tantum est delatum officium tutelae et vigilantiae, uti aperte tradit Ferraris *(Bibl. can., v.* Confraternitas, *art. 3, n. 23).* Quare citatae ex adverso nominationes ab Ordinariis Privernensibus factae in nullo calculo essent habendae, prouti non factae ad iuris tramites.

Ex altera parte favore Episcopi observari posset in primis quod proposita quaestio videtur non satis opportuna. Canonicus Bove reperitur in pacifica possessione sui officii oeconomalis usque ab anno 1886: unde ei opitulatur possessio plus quam vicennalis. Quare absque iniustitia a suo munere deturbari non posset.

Verum hoc omisso, indubium est quod favore Episcopi militet factum plurium nominationum factarum ab Episcopis praedecessoribus, veluti enarrat actualis administrator Bove. Capitulum asserit nominationem administratoris Reali a se fuisse factam, sed id nullimode probat: quare etiam praetermissa nominatione canonici Sargenti, contra quam protestationem emisit praedecessor administrator canonicus Libertini, adhuc supersunt tres nominationes pacifice peractae ab Ordinariis Privernensibus. Ratio vero harum nominationum in eo videtur esse reponenda quod praefata sodalitas nomine tenus existit: siquidem, teste Capitulo, coetus amplius non habentur sodalium, neque ulla inscriptio fit amplius laicarum personarum in sodalitate: hinc tantum superest canonicorum confratrum congregatio. Quare ad hanc impediendam anomaliam merito intercesserunt Ordinarii Privernenses eligendo ipsius administratorem.

Quin negotium facessat ratio a Capitulo producta quod actuali administratori Bove necessarius fuerit Capituli consensus ut tractatus inire possit cum coetu provinciali administrativo ad impediendam usurpationem patrimonii sodalitatis. Huic difficultati occurrit idem administrator asserens, se ita fecisse non quia crederet quod Capitulum ius haberet sese ingerendi in confraternitatis administratione, bene vero quia censebat Capitulum, tamquam ens a Gubernio recognitum, magis iuvare ad bona sodalitatis tutanda.

Rescriptum. Emi Patres S. C. Concilii, re sedulo perpensa, in plenario coetu diei 23 Nov. 1907 responderunt:

Modo nihil esse innovandum, et ad mentem.



EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM



Indulgentia Benedictina toties quoties extenditur ad oratoria semipublica.

Beatissime Pater,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit:

Per Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum, d. d. 27 Februarii huius anni, ecclesiis et publicis oratoriis monachorum et monialium Ordinis S. Benedicti nigri coloris concessa est indulgentia plenaria toties quoties, lucranda a secundis Vesperis diei primae Novembris usque ad occasum solis diei sequentis, in qua commemoratio Omnium Fidelium defunctorum pie recolitur (1). Nunc Orator ad maius pietatis incrementum, et ad augenda pro defunctis fide-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 246.

libus suffragia, supplex adit S. V. implorans, ut praedicta indulgentia acquiri valeat etiam in oratoriis semipublicis tum monachorum tum sanctimonialium praedicti Ordinis, in favorem tantummodo Communitatis religiosae nec non personarum in ipsa degentium.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 11 Septembris 1907 ab infrascripto Secretario Sacrae Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Septembris 1907.

Pro Emo Card. Praefecto
Fr. H. M. Card. Gotti.
† D. Panici Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro prece infirmorum a N. D. de "Lourdes,,.

O Marie, conçue sans péché, ô Notre-Dame de Lourdes, qui attirez de toute part vos enfants vers la Grotte de vos Apparitions, vous n'avez cessé d'encourager, par d'innombrables bienfaits, la confiance filiale de ceux qui ont répondu à votre appel. Souffrant dans mon corps et dans mon âme, je viens, après des milliers et des milliers de pauvres malades, me prosterner à vos pieds et implorer la grâce de ma guérison. Mère toute bonne et toute puissante auprès de Notre Seigneur, faites que je sois délivré de mes infirmités et que je puisse consacrer mes forces rétablies au service de Dieu et de mes frères. Combien il me serait doux de proclamer que je dois à votre intercession le retour d'une santé

qui, en attestant votre miséricorde envers moi, deviendrait peut-être, pour beaucoup d'âmes, un motif de conversion !

Mais je désire, par dessus tout, m'abandonner entre vos mains maternelles. Si c'est la volonté de Jésus-Christ, mon divin Sauveur, à laquelle votre volonté demeure unie, que le calice de ma passion ne s'eloigne pas quant à présent, je souhaite de pouvoir dire, avec résignation et avec amour, que je le veux aussi moi-même. Faites donc pénétrer, jusqu'au fond de mon cœur, l'adhésion pleine et entière à cette consolante doctrine venue du ciel: que le Dieu de bonté nous aime infiniment, toujours et partout, mais plus spécialement, sans doute, quand il nous associe aux douleurs de Jésus-Christ et nous attache à sa croix.

O Vierge Immaculée, Notre-Dame de Lourdes, Mère d'un Dieu qui a été l'Homme de douleurs, votre divin Fils a voulu que vous fussiez à côté de Lui sur le Calvaire, pendant qu'il souffrait et mourait pour nous. Il vous aimait, comme un Dieu seul peut aimer sa mère, et il a voulu toutefois que votre âme fût transpercée d'un glaive de douleur, afin que votre amour pour Lui se révélât et grandît dans la communauté d'inexprimables souffrances.

Obtenez-moi cette grâce, ô Notre-Dame de Lourdes, consolatrice des affligés, salut des infirmes, que j'aime Dieu de plus en plus, à mesure que se prolongent et s'aggravent mes épreuves. Un tel miracle est plus grand que ne le serait la soudaineté de ma parfaite guérison. Pour me rendre la santé, une parole suffirait, dite par vous au nom et avec le pouvoir de Celui qui est votre Fils comme il est votre Dieu; tandis que la résignation dans la souffrance me fairait accepter avec joie la maladie et son cortège de maux, je sens que c'est, d'une manière éminente, l'œuvre du Très Haut. Oui, je vois, qu'il est en quelque sorte plus facile à Dieu de guérir la douleur que de la faire aimer. Mais, si vous le voulez, ma faiblesse aura pour appui une force surnatu-

relle qui la rendra victorieuse et ainsi manifestera l'étendue de votre pouvoir.

Puissent les angoisses de ma maladie, sanctifiées par la soumission à la volonté divine, être unies à l'agonie de mon divin Sauveur; puissent mes larmes, mêlées à ses larmes et à son sang, achever l'expiation de mes fautes passées et attirer des grâces de résurrection sur les pauvres âmes mourantes ou mortes par le péché. Que l'abondance de vos dons, ô mon Dieu, je vous en supplie au nom de votre Mère, soit accordée, en particulier, aux personnes qui me sont unies par les liens du sang ou de l'amitié. Faites que mes souffrances, en attendant qu'il vous plaise d'y mettre un terme, ouvrent pour eux une source de bénédictions.

O Mère de douleur et Mère de miséricordieuse bonté, qui avez été debout au pied de la Croix, priez pour nous, afin que nous devenions dignes des promesses de Jésus-Christ. Ainsi soit-il.

Ex audientia SSmi die 13 Nov. 1907.

SSmus D. N. Pius PP. X supra relatam precem devote recitantibus indulgentiam tercentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 20 Novembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS S. BENEDICTI

Indulgentia plenaria toties quoties lucranda in ecclesiis Benedictinis est affixa diei secundae Novembris.

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O. S. B., huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia humillime exponit:

Per Rescriptum huius S. Congregationis diei 27 Februarii h. a. ecclesiis et publicis oratoriis monachorum et monialium O. S. B. nigri coloris concessa est indulgentia plenaria toties quoties lucranda a secundis Vesperis diei primae Novembris usque ad occasum solis diei sequentis, in qua Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum pie recolitur (1). Nunc quaeritur: quando Commemoratio Omnium Defunctorum iuxta rubricas die tertia Novembris celebranda est, estne indulgentia, de qua supra, in tali casu lucranda etiam die tertia, vel remanet affixa diei secundae?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, omnibus perpensis, proposito dubio respondendum mandavit: Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam (2).

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 20 Novembris 1907.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 246 *(N. R.)*.

(2) Ratio est quia in casu non transfertur solemnitas externa festi. Iamvero eadem Sacra Congr. Indulgentiarum decreto *Urbis et Orbis* diei 9 Augusti 1852, n. 360 decrevit: « Cum transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem ». Ad rem conferri possunt etiam decreta *Belgica* 8 Febr. 1762, n. 230; *Cameracen.* 12 Iulii 1847 ad 4, n. 343; et *Briocen.* 6 Maii 1852 ad 1, n. 359 *(N. R.)*.



APPENDIX

VOTUM CONSULTORIS

BONONIEN. ET ALIARUM. – ITERATIONIS MISSAE

Emi ac Rmi Patres,

Perpensis quampluribus, circa missam diebus de praecepto iterandam, instantiis ac dubiis, e dissitis etiam dioecesibus, ad hanc S. C. porrectis, Dominus Secretarius S. V. O., pro sua diligentissima operositate, necessarium existimavit ut plenius ac penitius quaestio tandem pervolvatur et inde conclusiones seu normae directivae, praecipue circa genuinas et probabiles causas *binandi,* prout barbare dicitur, sapientissimis Vestris deliberationibus submittantur.

Quod nunc, ex obedientia, pro modulo meo, consequi tentabo, tribus paragraphis subsequentibus, nempe:

I. *Qualis fuerit antiquitus disciplina seu praxis Ecclesiae quantum ad Sacrorum eadem die iterationem?*

II. *Qualis sit disciplina vigens?*

III. *An locus sit disciplinam vigentem, restrictionibus aut ampliationibus, opportune moderandi?*

Quibus accedet, per modum appendicis, brevis adnotatio circa supplices libellos pro facultate *binandi* huic S. C. non ita pridem exhibitos.

1. Antiquiora documenta, de perrara aut frequenti celebratione missae, per quatuor quinqueve prima aevi christiani saecula, parum, si summis inspiciantur oculis, inter se cohaerere videntur. Eruditissimus Thomassin (quem caeterum, ut cuique notum est, contra Romanas traditiones gallicanus pruritus exagitat) plurimos congerit textus e quibus non poteris non inferre missam unam, per solum Episcopum, pro tota urbe, seu pro tota, ut ibi dicitur, *episcopali paroecia*, primaevis saeculis fuisse celebratam: « Solis die – ita S. Iustinus – solis die (i. e. Dominica, quae dies est Solis iustitiae) omnium qui in urbibus vel in agris degunt, in eumdem locum conventus fit. Praepositus preces et eucharistiam facit.... Distributio fit unicuique praesenti; absentibus per diaconos mittitur ». (*De vet. et nova Eccl. disc.*, part. 1, lib. 2, cap. 21, n. 3, edit. Venetae 1773, vol. 1, pag. 163). Ibidem (n. 4) refertur, e canonibus sic dictis Apostolicis, prohibitio gravissima, quae sic: « Si

quis presbyter, contemnens Episcopum suum, seorsum congregationem fecerit et alterum altare fecerit, deponatur quasi principatus amator existens; similiter et alii clerici ».

2. Omnium fidelium in una ecclesia conventum, clarissime testantur S. Athanasii verba; siquidem in sua ad Imperatorem Apologia, calumniam adversariorum suorum explodit, qui facinoris eum insumulaverant eo quod Sacra solemniter libaverat non in ecclesia cathedrali, ubi tantum celebrari debuissent, sed in alia ampliori, noviter a fundamentis erecta et nondum perfecta. Athanasius factum quidem non negat, sed nimiae multitudinis concursum et instantias allegat, quibus in praegrandiori ecclesia celebrare adductus fuerat, ne mulieres et infantes, sicut in superiori Pentecostes festo, prae turba pene forent exstincti. « Quid ergo, subiungit Athanasius, rectius putas particulatim et divise una cum periculo elisionis, populum synaxes facere; an potius ut in locum omnium bene capacem conveniat, ut unam eamdemque sine dissonantia vocem reddat? ».

3. Ex adverso, plures aeque referuntur textus non solum pro repetitione missae, vel in solemnitatibus, sed etiam pro iteratione proprie dicta. Tertullianus v. g. *(De Corona, cap. 3)*, tamquam morem exploratum et translatitium, refert quod sacerdotes bis in die, mane scilicet et vespere, sacra litabant. Concilium Emeritense praescripsit ut « presbyter regens ecclesias (plures), in singulis, die dominico, Sacrum faceret », prout auctor additionum Cassinensium ad Biblioth. Lucii Ferraris (*v. Missa,* n. 80) adnotavit.

4. Verum enimvero, haec et ista, si penitius introspiciantur, haud aegre, ut opinor, componuntur. Textus quos Thomassin animose congessit, pro unius tantum in urbe episcopali missae celebratione, convenienti tota multitudine, universo clero Episcopo circumornante, de solemnioribus festivitatibus intelligi necesse est; coeteri vero de minoribus aut de feriatis loquuntur.

5. Coeterum, crescenti fidelium multitudini templa ipsamet capaciora brevi satis esse non poterant, si una vice tantum, in principali ecclesia solemnitas celebrata fuisset; et inde plures, vel in solemnioribus, missae celebrandae. Nota est S. Leonis I (440-461) ad Dioscorum Alexandrinum admonitio (Epistola 31, penes Thomassin) seu rectius mandatum: « Illud volumus custodiri, ut cum solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, et ad eam tanta multitudo convenerit quam recipere Basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur; ne his tantum admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerunt, non recepti: cum ple-

num pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, praesentia novae plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur ».

6. Propter verba *oblatio indubitanter iteretur,* nonnullis canonistis placuit coniicere S. Leonem ibi locutum esse de iteratione Sacrorum proprie dicta; i. e. per Episcopum ipsum qui iam solemniter celebraverat. Atvero parum aut nullatenus probabilis apparet exegesis illa, quia tum ex contextu, tum ex ipsius epistolae scopo, plane liquet S. Pontificem inculcare voluisse plurium missarum celebrationem, iuxta repetitos fidelium concursus, seu, ut hodie dicitur, iuxta necessitatem populi, non autem iteratam, per eumdem celebrantem, oblationem, prout Gonzalez (in cap. *Consuluisti*) scite animadvertit.

7. Fundatissime tamen, e praecitato textu Leoniano, coniicitur Romanam Ecclesiam iam tum in morem habuisse Sacra repetendi, vel in ipsis solemnitatibus, quotiescumque una missa devotioni plebis insufficiens praenoscebatur.

Porro christianae plebis devotio Sacra peroptabat non solum in solemnioribus, sed etiam in minoribus; non solum in una Basilica maiori, sed etiam in aliis commodioris accessus ecclesiis: et inde paulatim usus invaluit ut missa, praeter episcopalem in cathedrali, in aliis etiam ecclesiis, vel feriatis diebus, celebraretur: et sic primaevae disciplinae, de una tantum missa in urbibus pro cunctis *episcopali paroeciae* subditis celebrata, contraria consuetudo suffecta fuit, ut nempe sacerdotes quotidie, si luberet, in omnibus urbium posteaque ruris ecclesiis, pro maiori commoditate populi Sacra litarent.

8. Non satis: si plebes iuvabat missam in promptu habere, sacerdotes quotidie, pro sua pietate, sanctam hostiam immolare, cum vel sine populi concursu, delectabat. Et inde altera disciplinae periodus, quam merito, ni fallor, de nimia missarum frequentia vocaverim, de qua nunc dicendum.

Revera, satis explanatum esse videtur quod, iam a saeculo sexto, sacerdotes consueverint plures in una eademque die missas celebrare, tum intra dies *Polyliturgicos* (in quibus non tantum poterant sed etiam *debebant* iterare, propter duplicem festivitatem his diebus occurrentem), tum intra dies ordinarios (Card. Bona, Rerum liturg., lib. 1, cap. 17; edit. Romanae 1671, pag. 131 et seqq.) ut, per sacrorum iterationem, et sacerdotum penuriae et fidelium pietati aeque cautum foret.

9. Auctis postea clericalis ordinis phalangibus, morem haereditarium, quamquam non amplius necessarium, Ecclesia latina (haud sine Graecorum obmurmurationibus) non solum retineri sed etiam ampliari permisit, ita profecto, ut sacerdotes, non bis tantum aut ter quaterve, sed

quoties luberet, pro sua quisque pietate, Sacrum eadem die, sive publice sive privatim, repeterent. De S. Udalrico, Episcopo Augustano, habet Surius (penes Thomassin, part. 1, lib. 2, cap. 71, n. 9) « quod missas autem tres, vel duas, aut unam, secundum spatium temporis cantare quotidie non desit, si infirmitas corporis aut aliquod studium bonum ei non subtraxit ». Omnibus nota sunt, quippe quae saepe saepius apud auctores recitata, Walfridi Strabonis verba: « *Fidelium relatione virorum, in nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam* (huius nominis primum, iuxta quosdam, aut secundum vel tertium iuxta alios, aut quartum iuxta Thomassin), *sicut Ipse fatebatur, una die septem vel novem Missarum solemnia celebrasse* ».

10. Benedictus XIV, praeter alia exempla de sacris eadem die repetitis, refert iuxta *Ordinem Romanum* Amalarii, « ternas scilicet missas ab eodem sacerdote celebrari consuevisse in die Nativ. S. Io. Baptistae », et addit « Romanum Pontificem quondam solitum fuisse, die 29 Iunii SS. AA. Petro et Paulo consecrata, duas missas celebrare, alteram in Vaticana, alteram in S. Pauli Basilica, ut ex Prudentio apparet:

Aspice per bifidas plebs romula funditur plateas
Lux in duobus fervet una Festis....
Transtyberina prius solvit Sacra Sacerdos:
Mox huc recurrit duplicatque vota.....

(Cfr. sacr. missae sacrif.; appendix XVII ad lib. 2, edit. Pratensis 1843, pag. 345). « Nec desunt Sanctorum exempla, qui pluries in die sacrificium offerebant, nulla etiam urgente necessitate, quia nimirum sic ferebat illorum temporum consuetudo.... » Et citatis pluribus aliis exemplis, idem Bona concludit: « Et haec quidem universim evincunt licitam olim fuisse multiplicem eadem die celebrationem, non solum id aliqua causa exigente sed etiam libere et ex sola sacerdotis devotione ». (Ibid., pag. 132).

11. Quod vero tunc Sacrorum iteratio fuerit frequentissima et quasi communis efficaciter suadent dissensiones de quibus idem Strabo: « Talis est qui semel tantum in die celebrare velit; alii vero ter vel quoties libet eadem mysteria in die iterare congruum putat, credentes tanto amplius Deum ad misericordiam flecti quanto crebrius Passio Christi commemoretur.... Itaque unusquisque in suo sensu abundet (dum fides concordet) ut nec saepius offerentes existiment Deum taliter petitiones non posse discernere; nec semel per diem hostias immolantes putent suae fidei subtilitatem, potius quam superorum devotionem, divinitus acceptari ».

Notatu tandem dignum est foedus spirituale quod inter se pepigerant utriusque Asceterii, San-Gallensis scilicet et Augiensis, monachi: « Conventum utrinque est, ut quandocumque aliquis frater obierit, *eo die Presbyteri tres missas*, et coeteri Fratres pro eo Psalterium decantarent » (Bona, ibid.).

12. Verum, haec est fragilitatis humanae conditio ut laudabiles usus sensim sine sensu lugendis deturpentur abusibus. Missarum iterationem, quam sola prius in Deum peroptabat pietas, praesto concupivit lucri turpis aviditas.

Ad rem citat Benedictus XIV (*De Synod.*, lib. 5, cap. 8, n. 8) auctorem vitae S. Thomae Cantuariensis, qui contra nefariam iterationem indignabundus scribit: « Illos autem in praesentiarum nec memoratu dignos, non Christi sed mammonae sacerdotes praetereo, qui propter oblationum quaestum, unam Christi et semel oblatam hostiam, quotidie non semel sed libentius iterum, non tam consecrant quam dilaniant, Filium Dei quaestui habentes ». Hinc necessarium prorsus evasit Sacrorum iterationem providis cohibere limitibus. Sic canones Anglicae ecclesiae, sub Edgaro rege, anno 969, nonnisi tres in die permittunt missas: « Nullus sacerdos missam saepius in uno die celebret quam ter ad summum »: quod pariter, identicis fere verbis, successive statuerunt aliae tum intra tum extra Angliam ecclesiae.

13. Quid vero penes hanc Romanam Sedem, caput et matrem omnium ecclesiarum? Praetermissa, utpote dubiae authentiae, praescriptione quam quidam attribuunt Leoni IV (848–855) « de una tantum missa in die celebranda, excepto die Nativitatis Dñi, et in Dominica, praesente funere »; primum reperire est, hac de re, in iure vestigium, per sic dictum decretum Alexandri II (1061–1073) a Gratiano relatum hisce verbis: « Sufficit sacerdoti missam unam in die celebrare, quia Christus semel passus est et totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, et valde felix est qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt et alteram de die, si necesse fuerit. Qui vero, pro pecuniis aut adulationibus saecularium, una die praesumunt plures facere missas, non aestimo evadere damnationem ».

14. Unicuique canonum istud paulo attentius perscrutanti, pronum est inferre decretum Alexandri II, laxa formula concinnatum *(sufficit)*, imbelli ratione innixum *(Christus semel passus est)*, frequentibus in praxi exceptionibus obnoxium *(unam pro defunctis, alteram de die)*, ac tandem abusus contemplans (*pro pecuniis* aut adulationibus); pronum est, inquam, inferre decretum istud, canonistis hinc inde, prout de consueto, elimantibus, eo usque reductum, ne dixerim extenuatum, fuisse

(teste Thomassin, de vet. et nova Eccl. disc., part. 3, lib. 1, cap. 7, n. 3; et Bened. XIV ad Episc. Oscen.) ut in eo sacerdotes ii dumtaxat damnarentur qui pro pecuniis aut secularium adulationibus, minime vero qui ex genuina devotione, Sacra pluries in die perficerent.

Ineunte saeculo decimo tertio, Concilium Lambethanum in Anglia (1201) quosdam praefixit casus iterationis Sacrorum : « Bis in die missam nullus celebrare praesumat, nisi in diebus Nativitatis et Resurrectionis Dominicae, et quando corpus in propria ecclesia fuerit dumtaxat tumulandum. Qui contra fecerit, ab officio se noverit suspensum, nisi forte canonica necessitate sit compulsus, quam sic duximus declarandam et limitandam ; si in festis IX lectionum, vel in quadragesima, vel in quatuor temporibus, vel sponsalia fieri oporteat, vel subveniendo socio infirmo, vel pro ecclesiae suae negotio, vel propria necessitate manifeste (urgente) ».

15. Eodem pene tempore Innocentius III (1198–1216) in cap. *Consuluisti* 3, de celebr. miss., cuidam Episcopo Wigorniensi respondit : « Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare ». Heic, ut patet, verbum *sufficit,* quamvis de se consilium tantummodo suggerat, obligationem tamen, propter praecedentem clausulam *nisi causa necessitatis suadeat,* revera inducit.

Supervacaneum foret, ut puto, ac Emis Patribus nimis molestum, textus congerere qui, post Innocentium, iterationem missae reprobant, *nisi causa necessitatis, in gravi necessitate, necessitate compulsus,* aliisque huiusmodi sub clausulis.

16. Non ideo tamen censendum est iurisprudentiam fuisse, ex his decretis, determinate stabilitam : obstabat enim, tunc sicut et postea, clausula *necessitatis* quae variis interpretationibus aditum reserabat, haud raro maxime singularibus ; ut videre est (si liceat unum afferre exemplum) apud Durandum Mimatensem in suo Rationale divin. Off., lib. 4, cap. 1, ubi necessitates, ad mentem Innocentiani decreti, veras et genuinas enumerat sequentes : « in Natali Dñi, ubi necessitas exigit, puta si quis moriatur ; propter honestatem, ut si aliqua magna persona superveniens velit audire missam ; causa utilitatis, puta propter peregrinos, propter hospites, propter commeantes, propter infirmos, propter sponsos, propter raritatem sacerdotum ; cum duae occurrunt festivitates, possunt etiam *tres* celebrari ; si in die ieiunii occurrit solemne festum, potest (sacerdos) unam de festo et aliam de ieiunio celebrare ».

17. E diametro stat alia, et quidem strictissima, interpretatio mentis Innocentianae, quae nempe Sacrorum iterationem censet vere necessariam,

citra specialem Episcopi concessionem uno fere tantum casu, videlicet unius et alterius paroeciae eidem parocho commissae, vel (quod ad idem fere redit) unius et alterius, in eadem paroecia, burgi seu castri multum ab invicem distantis, ita ut omnibus huius et istius incolis una missa satis esse nequeat : « Casus autem illi (quibus iterare Sacra permissum existimabatur) sic exsoleverunt, ait Benedictus XIV verba referens Sylvii, ut vix inveniatur alius, in quo citra specialem Episcopi concessionem, id liceat quam is quando unus habet plures ecclesias parochiales, quo casu potest celebrare bis » (De sacr. miss. sacrif., lib. 3, cap. 5, n. 2).

18. Non recta, meo quidem humili sensu, praecitata Sylvii formula, quanquam a Bened. XIV, seu rectius a Lambertinio, transcripta : nam, parochus bis potest celebrare, non quia plures habet ecclesias sibi commissas (secus logico nexu sequeretur parochum tot celebrare *posse* ac *debere* missas quot habet paroecias) sed quia fidelium, sive unius sive plurium paroeciarum, necessitati, cum una tantum missa, satisfacere non valet : quod iam aperte statuerat Conc. Nemausense (1284) a Bened. XIV (ibid.) relatum : « Si omnes parochiani ad unam missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et, dicta prima missa, postmodum parochiani venientes postulent missam aliam sibi dici, poterit tum sacerdos missam aliam celebrare. Tamen, si in prima missa, post receptionem corporis Christi et sanguinis, profusionem acceperit, non debet secundam missam in praedictis casibus celebrare ».

Perantiquum hunc textum integre referendum censui, quia, in illo, tota, qualis nunc est, circa Sacrorum iterationem, iurisprudentia, satis apte videtur adumbrata, scilicet : *primo*, necessitas inducitur parochianorum, non parochi ; *secundo*, stante necessitate praefata, parochus ipse, quasi ex iure, non vero ex licentia Episcopi, Sacrum iterat ; *tertio*, quae tamen iteratio prohibetur, si sacerdos adsit alter ; *quarto* tandem aeque prohibetur si « profusionem » in prima missa acceperit, id est si, per haustam ablutionem, ieiunium fregerit eucharisticum.

19. « Citra specialem Episcopi concessionem » : ergo, praeter necessitatem de qua supra, canonistae posuerunt aliam iterationis causam, nimirum Episcopi concessionem (de qua fusius infra), quin tamen distincte praedeterminaverint harum concessionum specialium conditiones, utpote quae reapse, pro casuum varietate, haud facile praedeterminari possunt. Hinc, ut praesumitur, diversissimus agendi modus : quidam enim Episcopi, necessitatem largo, imo largissimo sensu, interpretantes, quacumque de causa plus minusve rationabili (prout in enumeratione

Durandi Mimatensis suprarelata) missam iterandi facultatem concedebant; dum alii necessitatem vix ac ne vix quidem, etiam in strictioribus fidelium urgentiis, agnoscere recusabant.

20. Hac de re, notatu dignum est, propter nimium rigorem, decretum S. Caroli Borr. in Conc. Mediolanensi quinto: « Decreti huius auctoritate vetitum sit, ne *ob ullam necessariam causam, neque etiam ob parochialis alteriusve ecclesiae egestatem, neque ob sacerdotum penuriam, nec vero ob locorum distantiam,* Episcopus cuiquam sacerdoti pluries in die divinum illud sacrificium offerendi facultatem det, aut permittat. Si quae vero eius generis facultas antea, vel certo loco, vel sacerdoti data est, *eam plane statim rescissam irritamque ac nullam omnino esse, iam nunc decernimus* ».

Propter nimium rigorem, dixi: non quod innuere velim S. Carolum, verum hunc ecclesiae sanctae Dei Episcopum, prout de eo Benedictus XIV, causam non habuisse tantae rigiditatis sufficientem; sed quod canonistae quidam, decretum istud, provinciae Mediolanensi proprium et peculiaribus huius provinciae conditionibus, ut supponi debet, contemperatum, assumere voluerint tanquam canonicam interpretandi regulam, omnibus provinciis generaliter applicabilem et applicandam.

21. Eodem fere tempore, sufficientem causam non habuisse visus est Episcopus Gerundensis in Hispaniis, qui nimia pronitate facultatem iterandi largiebatur seu rectius pro pecunia vendebat. Cui S. Congr. EE. et RR., die 25 Oct. 1588, dure satis rescribi mandavit: « Super licentiis bis celebrandi, ac pecuniis quae pro illarum expeditione, ut asseritur, solvuntur; miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis: nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet et magna cautela, ut puta in locis ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, vel adsint impedimenta adversariorum fidei, vel quid simile, quae cessant eo in loco, ubi vix evenire possunt alii casus a iure permissi ».

22. Praetermissis aliis quampluribus documentis, e quibus hoc unum tantum comperitur, videlicet iterationem absolute prohibitam, nisi propter « necessitatem »; adnotabo solummodo quod, sub fine saeculi decimi sexti, Sacrorum iteratio satis communiter vetita erat omnino in eadem ecclesia, ita ut sacerdos cui duae committebantur ecclesiae, primam in una, alteram in alia tantum celebrare poterat. Non est cur diutius immorer in discutienda memorata praescriptione, tum quia textus antiquiores supratranscripti de ea silent, aut contrarium innuunt; tum quia locis iis tantum applicabilis foret in quibus unus sacerdos duas tenet ecclesias, non autem si duo vel plura dissita loca sub una ecclesia unoque sacerdote conglomerantur; tum demum quia posteriora documenta ne-

cessitatem adstruunt non solum quantum ad plebem unius et alterius ecclesiae eiusdem parochi, sed etiam unius et alterius loci distantis qui unam tantum habent ecclesiam.

23. Quid autem de poenis contra sacerdotes illegitime Sacrum iterantes ?

Omnium fere canonistarum unanimis est hac de re sensus, videlicet nullam in iure praestitui poenam contra delictum iterationis ; et inde plano pede sequitur iterantem non fieri irregularem, quum nulla possit agnosci irregularitas, nisi in iure sit expressa. Iudicis ergo est delinquentem, aequa poena, perpensis delicti circumstantiis, plectere. Audiatur Pignatellius : « Nullibi in iure constituta est aliqua poena contra celebrantes pluries in die, ideoque poenam huius delicti esse arbitrariam docent Diaz, etc. etc. Quoniam autem facinus a populo existimari solet gravissimum, idque, ut plurimum, avaritiae causa a pauperibus et imperitis sacerdotibus perpetratur, ideo non debent iudices leve illud iudicare, sed debent inferre poenam accommodatam delicto, consideratis prius diligenter facti notorietate, populi scandalo ac personae delinquentis moribus, causa sive motivo quo motus fuit ad delinquendum, praecipue si pro pecuniis, si semel aut pluries hoc delictum commiserit, si non ieiunus, quod saepius accidit, quia malitiose hoc delictum committentes, sumunt ablutionem, ne se prodant ; ac proinde gravius erit puniendus, quia committit duplex delictum... ». Quare huiusmodi delinquentem aliquando punitum fuisse poena pecuniaria, locis piis applicanda, et suspensione a celebratione missarum, ego testis sum ; interdum vero exsilio cum poenitentiis salutaribus ; quandoque carcere ; saepe omnibus praedictis simul iuxta personae factique qualitatem et scandalum ; non raro etiam poena graviori, nempe triremium, si personarum qualitas, delicti multiplicatio ac perseverantia, populique offensio ac exemplum poenae, ut alii sacerdotes abstineant, id requireret (1). De irregularitate vero, idem Pignatellius : « Quod si scandalose, inquit, eadem die missam iterans, esset de hoc crimine diffamatus, esset irregularis aliquo modo improprie, quatenus ratione scandali celebrare non posset licite ob infamiam

(1) Poena triremium ad longius breviusve tempus nihil aliud praesupponit seu requirit, iuxta mentem S. Sedis, nisi delictum iterationis repetitae et scandalosae : Tribunal Curiae N***, sacerdotem quemdam iterationis convictum, ad triremes damnaverat ; Sacra vero C. Episcop. et Regul. mense Iulio 1707, rescribi mandavit Curiae sententiam fuisse excessivam, nisi probationibus legitimis constaret delictum, de quo, saepe repetitum et scandalosum fuisse. (Cfr. *Analecta Iuris pontif.*, Série IX, col. 477).

facti...... ». (Consult., tom. 4, cons. 1, n. 3, 4, 5, 7, etc., edit. Venetae 1695, pag. 1).

24. Ad rem, i. e. pro irregularitate delicto iterationis adnexa, satis otiose, ni fallor, invocarentur resolutiones quae, primis in voluminibus *Thesauri huius S. Congregationis,* aut in Tabulario decretorum (ante anno 1718) prout penes Pallottini, recensentur. Illae nam resolutiones versantur circa factispeciem aliis delictis aggravatam, v. g. perfractione ieiunii, pecuniarum aviditate etc.; aut, in facultate dispensandi Episcopo commissam, prudentialem inserunt clausulam *ad cautelam.*

25. Perperam adducerentur plurium Synodalium provincialium praescriptiones contra sacerdotes illegitime Sacrum iterantes: nam, in his prohibetur iteratio « sub poenis a iure latis », quin indigitetur quaenam sint istae poenae et a quonam iure stabilitae; in aliis vero, prudentiori consilio, poenae quidem indicuntur, sed ab Episcopis determinandae.

Quare, iuxta disciplinam vigentem, adhuc dum indecisa permanet quaestio tum de irregularitate forte incursa, forte non, propter delictum iterationis, tum de poenis canonicis quibus delictum huiusmodi plecti debeat.

26. Denique, si cui mirum videatur nihil, in hacce prima parte Relationis, allegari de sacrosancta Tridentina synodo; velit ille, quaeso, meminisse ne mentionem quidem, in decretis Tridentinis, reperiri circa Sacrorum iterationem, nisi forte indirectissime scilicet in Decreto Sess. XXII *de observandis et evitandis in celebr. missae,* ut infra dicetur.

27. Paucis: Antiquitus, Sacrorum iteratio bis aut pluries in una die, nullo iure prohibita fuit; sed potius sacerdotum pietati permissa et plurium Sanctorum exemplis commendata. Posterior prohibitio, diu nutans sive quoad numerum sive quoad causas iterationum, non ex ipsamet iteratione sed ex abusibus paulatim invalescentibus originem habuisse videtur, sed absque poenis canonicis, quae etiam nunc clare non determinantur.

(Sequitur)

Fr. Pius a Langonio, *Consultor.*



EPISTOLA

Qua Pontifex mittit Legatum Apostolicum ad quinquagesima solemnia in honorem B. M. V. de Lourdes.

DILECTO FILIO NOSTRO
VICTORI LUCIANO S. R. E. PRESB. CARD. LECOT
ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI

BURDIGALAM

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solemnia sacra, quae in mensem Februarium proximum apparantur ad oppidum *Lourdes,* anno exeunte quinquagesimo, ex quo Immaculata Dei Mater mire se illic conspiciendam dedit, etsi audimus magnis piorum studiis celebratum iri, eorum tamen celebritatem Nostra quoque augendam auctoritate ducimus. Etenim, quoniam hoc toto tempore maxima et innumerabilia in salutem populi christiani beneficia e Lourdensi specu manarunt, ut ibi Beatissima Virgo tanquam fontem benignitatis misericordiaeque suae statuisse videatur, sane decet ad ea ipsa recolenda pietati communi Nostram antecedere, Nosque apud augustam Ecclesiae Parentem quasi interpretes gratiae publicae existere. Itaque cupimus, ut in eis agendis solemnibus personam Nostram ipse geras; atque his te litteris Legatum Nostrum renuntiamus, hoc addito, ut post Pontificale Sacrum, nomine Nostro, benedicas populo: cui benedictioni quotquot intererunt, modo criminum confessione abluti Sancta de altari libaverint, iis damus, ut plenariam de admissis suis veniam impetrent. Tibi autem, dilecte Fili Noster, auspicem divinorum munerum ac

testem peculiaris benevolentiae Nostrae, Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIV Decembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii PP. X de capite S. Agnetis V. et M. in ecclesia eiusdem nominis ad Forum agonale asservando.

DILECTO FILIO NOSTRO
MARIANO TITULO S. CAECILIAE
S. R. E. PRESB. CARD. RAMPOLLA DEL TINDARO

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Hagnae virginis Aedem, quae in Foro agonali est, nihil possidere cognovimus de exuviis Martyris sanctissimae: idque eo mirum magis videri debet, quod nobilissima Aedes eo ipso loco est aedificata quo Puella insigne omnique aetate celebratum martyrium fecit. Hanc ob rem placuit Nobis ipsum Hagnae caput, quod antehac ad Lateranum in augusto Sanctissimi Servatoris sacello asservabatur, postmodum in praedicto templo, Deo in honorem sanctae Hagnae dicato, asservandum concedere. Id ubi Tu audivisti, qui eidem templo praees, munificentia qua polles, obtulisti Nobis ditissimam aeque atque operis praeclari thecam, in qua sacrum Caput includeremus. De sumptuoso munere et gratias tibi agimus et laudes amplissimas impertimus. — Habeto igitur Hagnae sanctissimae venerandum Caput, quod in theca a te oblata Nos ipsi collocavimus. Illud tamen sic memorato templo servandum palamque proponendum adhibuimus, ut et

sacri Pignoris simul et continentis thecae dominium integrum ac perfectum sit penes Nos ac Successores Nostros Romanos Pontifices. — Peculiaris Nostrae benevolentiae testem et munerum divinorum auspicem, Apostolicam benedictionem Tibi, dilecte Fili Noster, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae die XIX Ianuarii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X



EX SECRETARIA STATUS



De Commissariatu dioecesano constituendo pro tuendis documentis ac monumentis a clero asservatis in Italia.

Illmo e Rmo Signore,

L'urgente necessità di assicurare e regolare la conservazione degli archivi, dei monumenti ed oggetti d'arte custoditi dal clero, ha suggerito al Santo Padre di richiamare su questa importante materia la particolare attenzione e sollecitudine del Rmo Episcopato italiano. Adempio pertanto l'incarico affidatomi da Sua Santità, notificando a V. S. le seguenti Pontificie disposizioni e raccomandazioni.

1. In ogni diocesi verrà costituito dall'Ordinario un permanente *Commissariato diocesano pei documenti e monumenti custoditi dal clero,* con lo scopo preciso di assicurare e migliorare la conservazione delle cose sovraccennate, tanto nel senso che non vengano alienate, quanto in quello che siano custodite in buone condizioni.

2. Prima cura del Commissariato sarà di redigere un semplice ma esatto catalogo, tanto dei documenti conservati negli archivi ecclesiastici della diocesi, quanto dei monumenti ed og-

getti artistici, custoditi dal clero diocesano. L'uno e l'altro catalogo sarà redatto dal rispettivo Commissariato per ogni ente ecclesiastico (Capitolo, parrocchia, ecc.) e per ogni luogo pubblico destinato al culto. Una copia di tale catalogo verrà conservata nell'archivio locale (capitolare, parrocchiale, ecc.), ed un'altra presso il Commissariato stesso, in codesta Curia.

3. Qualsiasi cambiamento da farsi nello stato della cosa catalogata, per il quale cambiamento il catalogo verrebbe ad essere inesatto nel punto rispettivo, sarà puntualmente notificato, avanti di essere eseguito, da chi di ragione (Capitolo, parroco, ecc.) al rispettivo Commissariato che dovrà registrare tale cambiamento, salvo di fare eventuali osservazioni le quali dovranno essere tenute nel debito conto.

4. Continua cura del Commissariato sarà d'invigilare che l'anzidetta conservazione venga scrupolosamente assicurata da parte del clero cui spetta. Constatando qualche deficienza, ne avvertirà subito il responsabile; ed, al bisogno, presenterà un motivato ricorso all' Ordinario che non mancherà d'informarsi e di provvedere quanto prima. D'altra parte, l'Ordinario non mancherà in occasione della Sacra Visita, di verificare lo stato dalle cose alle quali si riferisce la presente circolare, avvertendone a sua volta il Commissariato per le opportune disposizioni.

5. Il Commissariato diocesano sarà composto almeno di un Commissario per i documenti, e di uno pei monumenti. Sarà pertanto cura sollecita della S. V. di devenire a tale nomina; ed altresì, potendolo, di aggiungere all'uno e all'altro una Commissione di competenti ecclesiastici e laici per coadiuvarne l'opera.

6. Il Rmo Ordinario non lascierà occasione di dare pratiche indicazioni e di fare opportune raccomandazioni al clero custode come sopra, perchè questo possa meglio adempiere il suo cómpito. Da parte sua il Commissariato si darà premura di raccomandare la diffusione di opportuni manuali,

come anche di sunti di brevi norme pratiche per lo stesso scopo. Inoltre considerati i frequenti e spesso subdoli tentativi di acquisti, cambi ecc. da parte di trafficanti, l'Ordinario terrà rigidamente ferme le vigenti disposizioni canoniche contro le alienazioni, permute ecc., nonchè al proprio diritto e dovere di ricognizione e di consenso per ogni atto straordinario di simile amministrazione.

Tali sono le disposizioni che il Santo Padre affida allo zelo del Revm̃o Episcopato italiano, come linee fondamentali per provvedere sempre più adequatamente al grave ed onorevolissimo cómpito del clero riguardo alla custodia dei tesori di storia e di arte. Sua Santità è sicura che queste linee saranno non solo prontamente e pienamente applicate, ma che varranno altresì a condurre continue migliorie, ad onore e tutela delle gloriose tradizioni della Chiesa.

Colgo intanto con piacere l'occasione di raffermarmi, con sensi della più distinta stima

Di V. S. Illm̃a e Rm̃a

Roma, 12 Dicembre 1907.

Affm̃o per servirla
R. Card. MERRY DEL VAL.



ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM



SORANA

MATRICITATIS

Cuinam ex duabus paroeciis collegialibus competat ius matricitatis seu praeeminentiae.

Factispecies. In civitate Arpini, Soranae dioecesis, duae extant paroeciales simul ac collegiales ecclesiae, nempe S. Michaelis Archangeli et S. Mariae de Civita, inter quas ab antiquo agitatur quaestio, cuinam ex ipsis competat ius matricitatis seu verius praeeminentiae (1).

Caeteris praetermissis, contra sententiam Curiae dioecesanae anno 1703, praecedentiam in quibusdam functionibus concedentis archipresbytero parocho S. Mariae de Civita, appellatum fuit ad S. C. Rituum, quae nonnisi die 16 Iulii 1746 rescripsit: « Pro alternativa in omnibus ». Verum cum ab hoc responso abbas parochus S. Michaelis novam obtinuisset audientiam, sub die 21 Martii 1750 responsum prodiit: « Ad Emum Ponentem iuxta mentem », quae fuit ut partes litigantes concordiam inirent, secus vero ipsa eis ex officio imponeretur. Hac autem concordia inutiliter inter partes tentata, die 21 Aug. 1750 propriam ex officio proposuit eadem S. C. Rituum ita se habentem: 1°. Episcopo sacram visitationem in civitate Arpini peragente, omnes quatuor actus et functiones praescriptae in Caeremoniali Episcoporum *(lib. 1, cap. 2)* tam ante portam civitatis, quam in ecclesia S. Michaelis in perpetuum fieri debeant alternative ab abbate

(1) In casu enim agitur de matricitate improprie dicta. Iamvero, iuxta De Luca *(De praeem., n. 16)* omnis matricitatis species tria praesertim importat, videlicet praecedentiam ex. gr. in processionibus, ius praelationis ad aliquas solemnes functiones, nec non ius prioritatis in quibusdam actis communibus exercendis, praecipue vero in campanarum pulsatione Sabbato Sancto *(N. R.)*.

S. Michaelis et ab archipresbytero S. Mariae, ita tamen ut prima vice fiant ab archipresbytero S. Mariae; 2°. Antipulsatio campanarum in Sabbato Sancto semper spectet ad abbatem S. Michaelis, etc.; 3°. Clero utriusque collegiatae simul conveniente, thurificatio inter missarum solemnia iuxta solitum sit facienda, nempe incipiendo prius ab abbate et dein ab archipresbytero, et finiendo ad canonicos S. Michaelis et S. Mariae; item servetur solitum quoad pacis exhibitionem, nimirum primum Abbati et eius canonicis, deinde archipresbytero eiusque canonicis; 4°. Processiones Rogationum ita peragantur ut earum prima incipiat ab ecclesia S. Michaelis et finiat in ecclesia S. Mariae; altera ab ecclesia per Episcopum designanda et desinat in ecclesia S. Michaelis; tertia demum item ab ecclesia per eumdem Ordinarium statuenda et absolvatur in ecclesia S. Andreae; etc.

At huiusmodi concordia nonnisi aegre a partibus observata fuit usque ad annum 1792; quo archipresbyter S. Mariae recursum obtulit Regi Siciliae, qui eodem anno, contra Pontificias dispositiones, suppressit omnem matricitatem et praecedentiam inter duas ecclesias contendentes, statuens tamen ut antipulsatio campanarum in Sabbato Sancto in perpetuum pertineret ad ecclesiam S. Michaelis, et unio utriusque cleri cederet ad ecclesiam S. Mariae. Ad tramitem huius regii decreti anno 1794 concordatum initum fuit a duabus ecclesiis circa antipulsationem campanarum in Sabbato Sancto et circa unionem utriusque cleri in functionibus ritualibus, et anno insequenti accessit et regia approbatio.

Interim anno 1904 accidit ut abbas S. Michaelis renuerit obedientiam praestare Episcopo, eo quod alternativa servabatur. Hanc ad dirimendam controversiam actualis Episcopus, innixus conventione anni 1794 a partibus inita et a Rege Siciliae confirmata, decreto diei 4 Oct. 1905 statuit « servandam esse alternativam in vocando utroque parocho S. Michaelis et S. Mariae ad praestandam obedientiam pro

Pastor Bonus, ita tamen ut in proximo Synodo dioecesano advocaretur prius abbas parochus S. Michaelis ».

At hoc decretum ad hanc S. C. EE. et RR. denunciatum fuit uti nullum ab abbate S. Michaelis, tum quia innitebatur regio decreto an. 1792, quod adversabatur concordiae propositae a S. C. Rituum a. 1750, tum quia innitebatur subsequenti conventione an. 1794, quae peracta fuit absque venia S. Sedis (1). Hinc habitis ex utraque parte allegationibus (2), quaestio proposita fuit resolvenda sub infrascriptis dubiis.

Dubia. I. *Cuinam ex duabus ecclesiis pertineat matricitas cum iuribus ab eadem promanantibus.*

II. *An decretum Episcopi Sorani de die 4 Octobris 1905 confirmandum vel infirmandum sit in casu.*

III. *An, etiam concessa matricitate ecclesiae S. Mariae de Civita, abbati et capitulo S. Michaelis spectent sequentia iura nempe: 1°. quod in processionibus totius cleri Arpini abbas et capitulum S. Michaelis incedant in loco digniori, procedentes ultimo loco a dextris abbas et a sinistris archipresbyter; 2°. quod in thurificationibus, et exhibitionibus pacis incipiatur ab abbate eiusque canonicis; 3°. quod processio Corporis Christi exordiatur ab ecclesia S. Michaelis, functionem peragente abbate; ac in Dominica et die octava petat ecclesiam S. Michaelis priusquam alias ecclesias; 4°. quod unio*

---

(1) Regium decretum nihil valet in materia ecclesiastica, eo vel magis si opponatur taxativis dispositionibus S. Sedis, uti in casu praesenti. Item concordia perpetua circa iura et praeeminentias duarum ecclesiarum fieri nequit nisi aliqua cessio praefatorum iurium intercedat: hoc autem quamdam alienationis prohibitae speciem importat, quae, ut fiat, generatim indiget beneplacito Apostolico ad tramitem Const. *Ambitiosae* Pauli II (Cfr. Ferraris, v. *Alienatio*, art. 2, n. 11 et 12; De Luca, *De alien.*, disc. 1). In themate igitur quum non constet de petita et obtenta Sedis Apostolicae venia super conventione anni 1794, haec absque ullo robore est censenda *(N. R.)*.

(2) Consulto abstinemus a referendis rationibus, quae ex utraque parte militare videntur, quia res esset nimis longa et nonnisi casum particularem pertingeret *(N. R.)*.

generalis totius cleri fiat in ecclesia S. Michaelis; 5°. quod ab eadem ecclesia inchoentur processiones Rogationum.

Responsa. Sacra Congr. Episcoporum et Regularium in comitiis generalibus diei 16 Februarii 1907 rescripsit: Ad I, II et III. *Dilata, et ad Eñum Ponentem iuxta mentem eidem panditam.*

Mens autem fuit ut ab Episcopo Sorano exquirerentur ulteriores notitiae circa utriusque cleri concursus, possibilitatem applicandi decretum S. C. Rituum diei 21 Aug. 1750, nec non circa numerum et tempus processionum in singulis paroeciis. Informativis Episcopi litteris acceptis, causa iterum disceptanda proposita fuit in comitiis generalibus diei 7 Iunii 1907, in quibus iidem Eñi Patres, re sedulo perpensa, respondendum censuerunt:

Ad I, II et III. *Ad mentem. Mens est: 1°. quod in vocandis ad obedientiam parochis utriusque ecclesiae S. Michaelis et S. Mariae de Civita in loco Arpini observetur alternativa tam occasione sic dicti* Pastor bonus *quam in Synodo dioecesano, hanc tamen alternativam incipiendo ab abbate parocho S. Michaelis; 2°. quod prima sacra visitatio Episcopi in civitate Arpini inchoanda sit in ecclesia S. Michaelis, iuxta normas praescriptas in Pontificali et cum solo interventu cleri huiusce collegiatae; 3°. quod in coeteris retinenda sit praxis hucusque vigens.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

VIGLEVANEN.

EXONERATIONIS TAXAE

Decernitur taxam vulgo " di ricchezza mobile „ sustinendam esse a pensionario.

Factispecies. Vi decreti, *pateat* nuncupati, a Curia dioecesana editi die 12 Martii 1807, super paroecia S. Mariae

maioris loci *Lomello* impositae fuerunt tres annuae perpetuae pensiones, quae hodie ad libellas 920 simul ascendunt, « erogandae omni anno de nitido, immunes et exemptae ab omni et quocumque ordinario et extraordinario tam imposito quam imponendo onere », favore trium paroeciarum inter quas recensetur paroecia Castri Ugoniae vulgo *Castel d' Agogna.* Super pensione tamen debita parocho Castri Ugoniae in libellis 230, quemadmodum super aliis duabus pensionibus, iam imposita fuit a Gubernio taxa sic vocata *di mano morta,* quae in libellis 11, 70 Fisco persolvebatur a dicto parocho Castri Ugoniae, sed videtur ei refusa semper fuisse a parocho oppidi Lumelli, quamvis hic, nempe sacerdos Precerutti, aliquando fecerit oppositionem. Sub finem a. 1901 Fiscus, loco tributi manus mortuae, pensionem favore parochi Castri Ugoniae gravavit alia taxa, quam vocant *di ricchezza mobile* in libellis 35, 56. Pro huius taxae exoneratione anno 1902 apud hanc S. C. recursum obtulit idem Precerutti, contendens ad eamdem solvendam teneri parochum pensionarium.

Eodem autem anno e vivis erepto parocho Precerutti, ei successit Franciscus Carnevale Mattei, qui, vestigiis sui praedecessoris insistens, an. 1905 eiusdem novae taxae solutionem denegavit. Quare iterum res ad hanc S. C. delata fuit, et hodie partes instant ut declaretur a quonam parocho praefatum onus sit sustinendum.

Allegationes. Parochus oppidi Castri Ugoniae ad probandum sibi integram pensionem deberi absque detractione praefatae taxae, recolit in primis ea quae Concilium Trid. *(cap. 13, sess. 24 de reform.)* statuit circa congruam dotem parochorum, ut ea nempe integra et nullis pensionibus obnoxia maneret, si eius reditus summam 100 ducatorum, secundum verum annuum valorem, non excederent. Secuta eversione proprietatis ecclesiasticae, et beneficiorum reditibus imminutis, Sacra Congregatio EE. et RR. decreto *Cum nuperrimis* diei 28 Ian. 1871 rem moderandam censuit pro iis

beneficiis, quae pensionibus essent gravata (1). Et primo pro ecclesiis parochialibus, pensionum oneri subiectis, praescripsit « ut earum favore in pensionibus ab se persolvendis integra semper et incolumis servari deberet congrua ad formam Concilii Tridentini ». Relate vero ad beneficiarios, qui non modicam passi erant redituum diminutionem et hinc evaserant impares ad onus pensionum supportandum, statuit « ut amissio vel diminutio redituum beneficiorum in communi beneficiarios ac pensionarios afficiceret, nullo facto inter ipsamet beneficia ipsasque pensiones discrimine, ita ut praefatis reditibus imminutis vel amissis, habita proportione, imminui etiam pro rata deberent aut cessare pensiones ». Hinc ut reductio pensionis locum habeat, requiritur ut reditus beneficiarii non modicam seu notabilem imminutionem passi fuerint; quo casu, semper intacta manente congrua 100 ducatorum pro praebendis paroecialibus, dicta imminutio afficere debet proportionaliter beneficiarium et pensionarium.

Iamvero annuum onus tributi divitiarum mobilium in libellis 35, 56 dici nequit notabiliter imminuere reditus paroeciae oppidi Lumelli, qui, nitidi ab omni impositione et taxa, nunc ascendunt fere ad novem millia libellarum. Quin imo dicti reditus, post impositam pensionem potius adaucti sunt, quum in recenti collatione paroeciae facta actuali parocho, ipsa praegravata fuit alia notabili pensione nonnullarum millium libellarum favore hospitii operariorum civitatis Viglevanensis. Quod magis urgendum esse ait in casu, si attendatur quod dicta pensio, vi decreti curialis a. 1807, imposita fuit « nitida, immunis et exempta..... ab omni et quocumque ordinario et extraordinario tam imposito quam imponendo onere ». Non itaque hic invocari potest applicatio regulae generalis sancitae in decreto *Cum nuperrimis.*

Hanc autem integram impositae pensionis solutionem pa-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 7, pag. 325.

rochus Castri Ugoniae etiam ex eo adurget, quod ipsa destinata fuit usque ab initio ad complendam suae paroeciae congruam, quae, iuxta citatam mentem Concilii Tridentini et dispositionem decreti *Cum nuperrimis,* intacta et salva semper esse debet. Profecto si praecitatae paroeciae reditus, comprehensis etiam certis et incertis proventibus, attendatur, erumpit illum deductis oneribus pertingere vix libell. 1354, dum e contra reditus nitidus paroeciae loci *Lomello* exuperat libell. 8 millia. Hinc saltem ex aequitate dictae taxae retentio in solutione pensionis esset excludenda, ne scilicet parochus loci *Lomello* locupletetur cum iactura alterius parochi pensionarii, qui vix habet unde honeste vivat.

Et reapse quod citatum decretum *Cum nuperrimis* ita sit intelligendum, parochus evincere satagit tum adducta auctoritate Santi (*Praelect. iur. can., lib. 3, tit. 12*); Card. D'Annibale (*Summula theol. moral., vol. 3, pag. 73, nota 44*); et *Acta S. Sedis (vol. 7, pag. 335),* tum decisione edita ab hac S. C. in causa *S. Miniatis-Congruae parochialis* diei 25 Iunii 1904, in qua Capitulum Pratense damnatum fuit ad solutionem pensionis impositae, favore parochi loci *Cerreto Guidi,* immunis ab omni tributo sive manus mortuae sive divitiarum mobilium. Cfr. *Monitore ecclesiastico,* vol. 16, pag. 248. Neque ex adverso invocari potest lex civilis, quae parocho onerato pensionis concedit ius regressus contra pensionarium ut ab eo possit repetere a se exsolutam taxam vulgo *di ricchezza mobile*: nam apud canonistas semper illud fuit receptum principium, leges civiles in materia ecclesiastica nihil valere ex defectu potestatis.

Ex altera vero parte actualis parochus oppidi Lumelli in facto praemittit quod Curia et alii parochi pensionarii, eodem modo ac parochus Castri Ugoniae pensione fruentes, retinuerunt dictum tributum afficere pensionem recipientem non autem eam persolventem; hinc praetensio et oppositio ex adverso elevata penitus est reiicienda. Quin a parocho Ca-

stri Ugoniae recurratur ad tenuitatem reditus suae paroeciae; nam cum is consistat in annuis libellis 1354, deductis oneribus, habendus est satis sufficiens ad mentem Conc. Trid., quod congruam parochorum in summa longe minori idest in ducatis 100 praefinivit.

In iure vero recolere praestat pensionem, de qua in casu, non esse veram pensionem in sensu iuris, sed potius efformare partem dotationis paroeciae Castri Ugoniae, cum sit perpetua assignatio in eius favorem. Revera conceptus pensionis importat precarietatem; hinc ea dici solet pars fructuum beneficii ad tempus, non in perpetuum separata. Quare Barbosa aliique doctores eam conferentes cum beneficiis et de horum perpetuitate disceptantes (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 8, pag. 716) haec tradunt: « Per hoc differt beneficium essentialiter a pensione; quod pensio non confertur in perpetuum, sed solummodo ad vitam gravati, vel ad summum ad vitam pensionati, eoque mortuo cessat et extinguitur. E contra de beneficii ecclesiastici natura est ut, semel legitime institutum, perpetuo duret: unde obitu beneficiati non extinguitur neque cessat, sed dicitur vacare donec rursum alii conferatur ». Neque negotium facessit quod huiusmodi assignatio favore paroeciae Castri Ugoniae appelletur pensio in decreto curiali an. 1807: nam non est vis in nomine, quando constat de re, et inde vocabulum *pensio* potius sensu lato et improprio usurpatur, prouti etiam tenuit Rota in fere consimili casu *(Decis. 121, n. 1, par. 10 in Recent.).* Quo posito, illud consequitur in themate non posse applicari dispositiones sancitas in decreto *Cum nuperrimis.* Hoc enim decretum sese tantum extendit ad veras pensiones, uti etiam eruitur fuisse decisum a S. C. EE. et RR. in quadam causa diei 28 Maii 1875, relata in ephemeride *Acta S. Sedis,* vol. 8, pag. 708-719. Item cum dicta assignatio efformet partem dotis memoratae paroeciae, ea spectari debet ut bonum ipsius patrimoniale, ideoque sicuti omnes taxae quae

hoc patrimonium percutiunt, persolvuntur ab eius proprietario seu possessore, ita et taxa vulgo *di ricchezza mobile* persolvi debet: alioquin sequeretur quod parochus *Lumelli*, debitor pensionis, etiam concurrere deberet ad alias taxas, quae super bonis paroeciae pensionariae gravant, quod est absurdum. Re quidem vera haec taxa non afficit complexive omnes reditus paroeciae debitricis pensionis sed directe tantum gravat assignationem libellar. 230 factam favore paroeciae pensionariae: iam vero vi decreti an. 1807 haec portio subtracta fuit a reditibus illius paroeciae: hinc huius pars cum spectari ipsa amplius nequeat, consequitur quod taxae, eam directe afficientes, debeant ab eo cui fuit tributa, persolvi.

Neque regeratur quod ex lege civili taxa divitiarum mobilium est potius solvenda a parocho pensionis debitore. Reponitur enim quod haec solutionis methodus inducta est a Fisco, ut facilius memoratam taxam consequi valeret; et id probatur ex facto, quod lex quae cogit parochum pensionis debitorem ad solvendam taxam, eadem tribuit parocho facultatem regressus contra pensionis assignatarium, ut ab ipso repetere possit solutam taxam. Post haec incivile esset recurrere ad aequitatem, cum haec in themate non iuris interpretatio, sed potius subversio esset censenda.

Tandem superius exposita confirmationem recipiunt praesertim ex duabus decisionibus. Una est edita a S. C. EE. et RR. in *Fodiana* seu *Troiana-Pensionis* diei 24 Martii 1899 et 9 Aug. 1901, in qua non debitor pensionis Episcopus Troianus, sed pensionarius Episcopus Fodianus damnatus fuit ad illam taxam sustinendam. Altera decisio prodiit ab hac S. C. in *Aversana-Reductionis pensionis* diei 27 Febr. 1904, in qua pensionarius seu Seminarium dioecesanum declaratum fuit teneri ad dictum tributum sustinendum (1).

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 32, pag. 124; vol. 34, pag. 396, et vol. 37, pag. 179.

Responsum. Emi Patres S. C. Concilii in comitiis generalibus diei 24 Augusti 1907 causam quidem ad trutinam revocarunt, sed eius solutionem differre censuerunt per rescriptum: *Dilata, et scribatur Episcopo ut referat utrum parochus oppidi* Lomello *exonerationem obtinuerit a tributis in proportione et pro parte redituum, qui assignati sunt favore parochi Castri Ugoniae aliorumque duorum parochorum; et qualem ac quantam exonerationem obtinuerit: et ad hunc effectum audiat interesse habentes.*

Repropositio causae. Morem gerens huius S. O. Episcopus Viglevanensis duos praedictos parochos accersivit, qui, cognita modo relata mente, per Ordinarium suas prout infra ad hanc S. C. miserunt responsiones.

Parochus S. Mariae in *Lomello* litteris diei 10 Sept. 1907 testatur, se nullam obtinuisse exonerationem a tributis sive quoad pensionem parocho Castri Ugoniae debitam, sive quoad pensiones favore aliorum parochorum sibi impositas.

Ex altera vero parte parochus oppidi Castri Ugoniae litteris memorialibus diei 8 Oct. eiusdem anni nonnullas impetit assertiones parochi adversarii. Et praesertim in linea iuris dubiam saltem esse contendit doctrinam ex adverso invocatam, iuxta quam pensio perpetua dici nequit proprie dicta pensio sed verum beneficium, cuius proinde onera sustinere tenetur beneficiarius. Plures enim canonistae, praesertim ex recentioribus, in pensionis conceptu nullatenus includunt notionem temporaneitatis. Ita Leurenius *(For. ben., part. 3, quaestion. 428)*; Santi-Leitner *(lib. 3, tit. 12)*; imo Wernz *(Ius Decret., tom. 3, n. 321)* dividit pensionem in temporaneam et perpetuam, perpetuamque vocat non eam quae ad vitam pensionarii est constituta sed absolute in perpetuum.

Praeterea, quoad duas decisiones SS. CC. ex adverso citatas, sustinet primam, nempe in *Fodiana seu Troiana— Pensionis* a S. C. EE. et RR. datam, potius sibimetipsi favere; quum hac in decisione proprie non agatur de taxae

exoneratione, sed de pensionis redemptione per solutionem summae capitalis correspondentis dumtaxat annuae pensioni. Item altera decisio huius S. C. in *Aversana–Reductionis pensionis* diei 27 Februarii 1904, praeterquamquod ad alios casus extendi nequit, quum dicatur *in casu de quo agitur,* ad rem facere non videtur; nam ibidem quaestio non erat de pensionis imminutione, bene vero de taxae exoneratione, atque insuper pensio illa statuta non fuerat per decretum particulare et de nitido solvenda.

Decisio. Et eadem S. Congregatio Concilii in plenario coetu diei 1 Februarii 1908 edixit:

Taxam vulgo di ricchezza mobile *in casu sustinendam esse a parocho loci Castri Ugoniae* (1).

ROMANA ET ALIARUM

DUBIORUM

Circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

Decretum *Ne temere,* iussu et auctoritate ipsius Summi Pontificis a S. C. Concilii die 2 Augusti 1907 editum, quo disciplina tridentina circa sponsalia ac matrimonia in quibusdam immutata est, perfecta cum obedientia summaque cum laetitia ubique exceptum fuit. Plures enim extant gratulatoriae et gratiarum actionis litterae, quae ab Ordinariis loco-

(1) Hodierna decisione magis firmatur sententia, quam alias defendimus (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 180, nota 3), nempe tributum divitiarum mobilium, super pensionibus impositum, generatim solvendum esse a pensionario non autem a beneficiario. Idque eo vel magis tenendum est, quia in praesenti causa speciales aderant circumstantiae, quae contrariam resolutionem suadere videbantur. Quam doctrinam valere censemus nedum quoad pensiones improprie dictas seu perpetuas, quae ad instar beneficii haberi solent, verum etiam quoad pensiones proprie dictas seu temporaneas; ratio est quia taxa vulgo *di ricchezza mobile* directe et immediate afficit pensionem, dum ipsa eedit in favorem pensionarii *(N. R.).*

rum in primis ad hanc praesertim S. Congregationem missae sunt, sive proprio nomine sive nomine personarum etiam moralium. Ipsae ephemerides nedum sollicitae fuerunt novissimum decretum typis edere, sed commentariis quandoque illustrare curarunt.

Verum quum discussiones quoque excitatae fuerint in aliquibus ipsius decreti articulis interpretandis, hinc nonnulli Sacrorum Antistites ad eas sopiendas, praesertim vero ut in re tam gravis momenti tutam normam sequendam haberent, ad hunc S. O., vel directe vel per S. C. de Propaganda Fide, suppliciter recursum fecerunt pro authentica quorundam articulorum interpretatione. Accepta dubia statim uni ex Consultoribus remissa sunt, ut super iis mentem suam panderet: quod ipse peculiari sollertia et diligentia exequutus fuit.

VOTUM CONSULTORIS

Emi et Rmi Patres,

Vix ac decretum *Ne temere* de sponsalibus et matrimonio, ab hac S. C., iussu et auctoritate SS. D. N. promulgatum fuit, plures ubique excitatae sunt disputationes de aliquibus illius articulis interpretandis, et clarissimi viri de eo explanando, etiam editis commentariis, solliciti fuerunt. Verum cum de re maximi momenti ageretur, quae ipsum christianae societatis fundamentum attingit, nonnulli Sacrorum Antistites, ut qua decet prudentia procederent et ad controversias tollendas, necessarium duxerunt a S. Sede quorumdam articulorum authenticam interpretationem expetere. Hinc factum est ut plura dubia, praesertim huic S. C. et S. C. de Propaganda Fide oblata fuerint, quorum praecipua hodie sapientissimo S. V. O. iudicio examinanda et definienda proponuntur.

Modo cum ex benignitate Moderatorum huius S. C. munus mihi demandatum sit tenuem opinionem meam super propositis dubiis exponendi, libenter, licet non sine animi trepidatione ob rei gravitatem et difficultatem, iussa faciam et indulgentiae EE. VV. confisus, qua potero claritate et brevitate, quid sentiam aperiam.

Primo loco occurrit dubium a R. P. D. Delegato Apostolico Aegypti et Arabiae propositum, videlicet num disciplina decreti *Ne temere* adstringantur graeci ceterique catholici aliorum rituum orientalium. De-

legatus refert se de hac re sermonem habuisse cum sacerdote graeco melchita in dignitate constituto, qui negativam tuetur sententiam eo quod de Orientalibus in decreto nulla fiat mentio, et huic sententiae ipse Delegatus quamvis aegre adhaeret, quia memorat Sedem Apostolicam nolle suarum Constitutionum observantiam apud Orientales urgere, nisi id expresse dicatur. Revera rem ita se habere in apertis est, nec longa eget demonstratione. Satis sit recolere quae scribit Benedictus XIV in suo opere *De Ritibus, edito anno 1904 a Francisco Heiner, in capite novissimo, De regimine Italo-graecorum,* in quo postquam locutus fuerit de quaestione: « num Graeci ad venerandos eos, qui canonizati a Romano Pontifice sunt, teneantur », animadvertit hanc quaestionem ad aliam generalem controversiam examinandam, viam aperire, scilicet « num Graeci Orientales ad observandas et retinendas Pontificias Constitutiones obligati sint, sive eae intra Generalia Concilia, sive extra eadem sint promulgata ». Postquam igitur aliquorum doctorum sententiam memorasset, refert: « Super huiusmodi controversiae examine cum die 4 Iulii an. 1631 doctorum virorum Congregatio in palatio Cardinalis Pamphilii, qui postea ad Summum evectus Pontificatum Innocentii X nomen assumpsit, habita fuisset, sequenti modo conclusum et pronunciatum est: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis Pontificiis Constitutionibus nisi in tribus casibus: 1° in materia dogmatum fidei; 2° si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; 3° si implicite in iisdem Constitutionibus de iis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium* ».

Porro nullum ex his tribus casibus in themate videretur haberi. Quod etiam ex eo confirmatur quia in pluribus, et etiam quoad impedimenta dirimentia, disciplina circa matrimonium Ecclesiarum Orientalium discrepat ab ea quae viget in Ecclesia Latina, nec, quod sciam, S. Sedes alias in hac materia Orientales ligatos censuit Pontificiis Constitutionibus, nisi res dogmata fidei attingeret Praeterea ex actis huius S. C., quae decretum praecesserunt, satis colligitur non eam fuisse intentionem legislatoris ut saltem nunc etiam Orientales ad novam disciplinam suscipiendam adigerentur.

Id tamen, ut superius innui, aegre ferre videtur R. P. D. Delegatus Aegypti et Arabiae, qui idcirco haec subdit: « Se dunque il mentovato decreto del Concilio non obbligherà anche tutti gli Orientali, nascerà una grave confusione intorno ai matrimonii misti, frequentissimi in queste parti d'Oriente, e insorgerà un inevitabile scandalo dal diverso apprezzamento di quei matrimonii che si dovrà fare dai Latini da un lato e dagli Orientali dall' altro, mentre i primi diranno e dovranno dire, a

tenore del decreto, che i matrimonii misti contratti da cattolici con eretici o acattolici battezzati, sono *invalidi;* e gli Orientali, stando all'antica disciplina, diranno e dovranno dire il contrario. Quindi uno scandalo immenso fra i fedeli dello stesso luogo, quindi una confusione inestricabile nelle coscienze. A prevenire siffatti mali gravi di non meno gravi conseguenze, non sarebbe forse del caso d'imporre a tutti gli Orientali cattolici esplicitamente la disciplina comune della Chiesa, ordinata in quel decreto? ». Quid de hoc consilio sentiendum sit iudicabunt EE. VV. Mihi satis sit animadvertere hic agi de gravissimo negotio, super quo opinionem qualemcumque pandere sine temeritate haud possem, quin pleniores informationes locorum et personarum habeam.

Secundo loco idem R. P. D. Delegatus Apostolicus dubium proponit his verbis: « Dato il caso che questi *(Orientales)* siano esclusi, ora si cerca se, in seguito a tale decreto, perduri ancora in queste parti d'Oriente la teoria e la disciplina dell'*individualità* del contratto, e il privilegio dell'esenzione venga comunicato dalla parte del contraente esente al contraente non esente: vale a dire: *utrum pars quae non tenetur (saltem quoad validitatem) ad celebrandum coram Ecclesia, communicet hoc suum quasi privilegium alteri comparti, quae teneretur,* ovvero: *utrum pars, quae tenetur, trahat ad se partem, quae per se non teneretur* ».

Ut proposito dubio satisfiat duplex casus considerari debet, scilicet: 1°. si pars latina contrahat cum orientali catholica; 2°. si pars latina contrahat cum orientali acatholica. Casus enim partis orientalis catholicae quae contrahat cum acatholica, posita exemptione Orientalium a decreto *Ne temere,* alienus est a nostra quaestione, licet alioquin in locis, ubi plures diversorum rituum et religionum simul degunt, catholicorum Antistitum animum vehementer agitet. Iamvero quoad primum tenendum videretur validum esse matrimonium, sive celebretur iuxta leges decreti *Ne temere,* sive servata disciplina legitime vigenti apud catholicos illius ritus ad quem pertinet pars orientalis. Sane, ut monet Emus D'Annibale, *tom. 3, § 452*: « Ante omnia admonendi sumus ob individuitatem contractus, utrumque sponsum quasi unam personam reputari; ideoque si alter ex eis exemptus sit ab huiusmodi solemnitatibus, alteri exemptionem communicat ». Quae doctrina, licet, ut idem praeclarissimus auctor notat, cum mica salis accipienda sit, nihilominus non est dubium *ad ea extendi quae formam attingunt.* Idipsum alii doctores docent; quare Emus Gasparri in suo opere *De matrimonio, vol. II, n. 963* refert: « Ante Benedictum XIV hoc principium nonnulli admittebant, alii negabant: sed post Benedictum XIV omnes et in foro et in scholis

illud retinent ». Iamvero cum recens decretum hoc principium non aboleverit, nisi in casu expresso in Art. XI, censerem illud adhuc applicandum esse in themate, quoties pars latina cum orientali catholica matrimonium contrahat (1). Idipsum fore tenendum putarem quoad licitam matrimonii celebrationem. Curandum ut servetur regula decreti, quae vult matrimonium coram parocho sponsae celebrari, sed si aliter in alio

---

(1) Verum sua probabilitate non caret sententia contraria, quae tenet principium hucusque receptum, quo *pars, quae non tenetur ad celebrandum coram Ecclesia, communicat hoc suum quasi-privilegium alteri comparti*, a recenti decreto etiam quoad clandestinitatem abolitum fuisse, eique aliud suffectum fuisse principium, quo *pars quae tenetur, trahit ad se partem, quae per se non teneretur.* Nam individuitas seu indivisibilitas contractus vi sui originarii conceptus hoc importat ut idem contractus pro utroque contrahente sit validus vel invalidus; hinc inhabilitas unius contrahentis, per se et ex natura sua, secumferre debet inhabilitatem ad eumdem contractum cum qualibet alia parte etiam habili. Matrimonium autem est stricto sensu contractus, et ex iure divino est contractus bilateralis, qui nullo unquam tempore potest claudicare: hinc absolutam habet individualitatem, vi cuius si vel una pars est inhabilis ad validum matrimonium contrahendum, pro utraque parte per se et ex natura rei est invalidus. Ad rem S. Thomas *(Summ. theol., supp. part. tert., art. 4 in corpore)* docet: « Cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio; ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium: et ideo dicitur communiter quod matrimonium non claudicat ». Praeterea quum hoc principium iuris naturalis vigeat quoad alia impedimenta matrimonialia, sat probabiliter videtur receptum fuisse etiam quoad impedimentum clandestinitatis. Ex ipsis actis, quae praecesserunt hodierni decreti redactionem, patet hanc fuisse mentem plurium saltem Consultorum. Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 539, 557, 565 in nota, et 570 nota 4. Et revera illud introductum fuit in articulo XI, § 2 decreti quoad matrimonia mixta inter catholicos et acatholicos; hinc saltem a pari admissum retinendum est in casu matrimonii catholici latini cum catholico graeco. Nam catholicus ritus latini factus est inhabilis ad matrimonium ineundum, nisi servata forma a decreto ipso statuta; ideoque nihil ad rem refert num altera pars sit catholica vel acatholica. Accedit quod secus peior esset conditio acatholicorum etiam orentalium quam catholicorum graecorum; nam [illegible] ex art. XI, § 2 tenerentur servare formam si contrahere velint cum catholico [illegible] e contra isti minime adstringerentur. — Caeterum huius pergravis quaestionis solutio, quae in casu pendere etiam potest, saltem ex parte, a peculiaribus catholicorum Orientalium circumstantiis et legibus, unice expectanda est ab authentica declaratione S. C. Concilii, quae decretum ipsum edidit *(N. R.)*.

ritu legitime praescriptum sit, autumarem non esse inquietandos eos qui orientalis ritus, ad quem una pars pertinet, praescriptioni se conformare malunt.

Quoad secundum casum, matrimonii nempe partis latinae cum orientali acatholica, res definita apertis verbis prostat in Art. XI decreti, et nullimode proinde invocari amplius posset principium individuitatis contractus. Dicendum igitur huiusmodi matrimonia, non servata forma decreti, invalida esse (1).

Abs re non erit referre, ad rei claritatem, quae scribit R. P. D. Delegatus Apostolicus qui dubia proposuit: « E qui forse torna in acconcio di ricordare una speciale osservazione sui matrimonii misti contratti specialmente coi greci scismatici. I greci scismatici segnatamente gli elleni, talmente disprezzano ed hanno a vile il matrimonio celebrato da qualsivoglia ministro cattolico e particolarmente latino, da considerarlo invalido e di nessun valore. Anzi il governo di Grecia non riconosce per legittimo che il matrimonio religioso celebrato davanti al ministro greco. E non vi è mai il caso che si approvi il matrimonio misto di greci con qualsivoglia altro di rito cattolico e particolarmente latino, se non intervenga il sacerdote greco scismatico quale ministro. Quindi, parlando di greci, nei matrimonii misti tra cattolici e greci scismatici, non vi è modo di ottenere l' adempimento della condizione di non ripetere, nè avanti nè dopo la cerimonia cattolica, anche la celebrazione davanti al ministro sacerdote scismatico. Siffatta condizione, quantunque promessa dalla parte greca, non è osservata che rarissimamente fra greci sudditi ottomani, e *mai una volta* dai greci elleni. I cattolici orientali poi non hanno troppi scrupoli e si prestano mirabilmente a siffatta esigenza intollerante dei greci scismatici, stante che per loro questa ripetizione della cerimonia davanti il ministro scismatico, è stimata cosa indifferente e quasi quasi anche ragionevole, perchè dicono essi, è giusto che come noi

(1) Hinc reiicienda est quorumdam opinio, qui sustinent matrimonium catholici latini cum acatholico graeco, absque forma initum, esse validum, ea ducti ratione quod decretum *Ne temere* non adstringit graecos sive catholicos sive etiam acatholicos. Nam apud omnes in pacifico est, saltem quoad matrimonia mixta catholicorum cum acatholicis, prout in art. XI, § 2 statutum invenitur, principium valere, vi cuius *pars, quae tenetur, trahit ad se partem, quae per se non teneretur.* Ideoque quum catholici latini facti sint inhabiles ad matrimonium ineundum etiam cum acatholicis nisi iuxta formam praescriptam, cum quibuscumque acatholicis etiam orientalibus ipsi contrahant, illam servare tenentur sub nullitatis poena *(N. R.)*.

per la parte cattolica teniamo che si celebri il matrimonio davanti il ministro cattolico, così è giusto che tale matrimonio si ratifichi anche davanti il ministro scismatico, diversamente, i greci specialmente, non ammetterebbero per valido il matrimonio misto contratto solamente innanzi il ministro cattolico. In generale la vera importanza del matrimonio misto si dà alla celebrazione presso lo scismatico. Da tale criterio e sentimento da cui sono mossi i greci scismatici particolarmente, e dalla connivente condotta dei cattolici orientali risulta un disprezzo formale del matrimonio misto, celebrato davanti al ministro cattolico e specialmente latino. Un tale matrimonio presso di loro non ha valore alcuno, ed essendo nullo non riveste nessuna qualità nè di contratto civile nè di sacramento. Se questo modo di pensare fosse di alcune persone, di qualche località, *transeat,* si potrebbe sopportare; ma invece è universalissimo di tutti i luoghi, ed è molto diffuso fra tutti gli altri scismatici orientali; però i greci portano la palma. Anzi direi che tale errore proviene dai greci fin da che essi dominavano tutto l'Oriente; gli altri riti hanno seguito in passato i greci e li seguono presentemente pecorescamente senza avvedersene. I greci sono arrivati persino a questo, di non riconoscere il battesimo dei cattolici; e se qualche disgraziato cattolico di qualsivoglia rito, defezionando dalla fede cattolica, volesse abbracciare la religione greca, esso dovrebbe essere ribattezzato secondo il rito greco. Ciò è comune in Palestina e nella Siria. Ora se pei matrimonii misti si adottasse il principio, almeno pei latini, nel caso che i cattolici orientali siano esclusi: *pars, quae tenetur, trahit ad se partem, quae per se non teneretur,* si avrebbe provveduto (almeno in riguardo ai latini) alla dignità, al decoro della cattolica religione, si renderebbe la pariglia all' intollerante errore, e si darebbe la preminenza e il rispetto dovuto alla cattolica verità ».

Tertium sibi vindicant locum dubia quae respiciunt parochos qui territorium separatum non habent et iurisdictionem suam vel in quasdam disiunctas domus, vel in aliquas familias seu personas exercent, ut exempli gratia, parochus S. Mariae de Coricela in civitate Compostellana qui curam exercet in aliquas familias, de quo Emus Archiepiscopus quaerit: « come in avanti potrà sposare i fedeli, quando il decreto dovrà attuarsi ».

Card. De Luca *(De parochis, disc. 24, n. 1)* scribit: « Quoniam licet ex deductis *disc. praeced.* inter quatuor requisita parochialitatis, illud sit praecipuum territorii, in quo vivat populus cum numero competenti familiarum, attamen non implicat dari ex Apostolico indulto, vel antiqua legitima consuetudine, iurisdictionem parochialem in personas

seu familias, quamvis *in alieno territorio viventes* ex iis quae de hac iurisdictione in personas habentur pluries sub *tit. De iurisd.* praesertim in *Nazarena seu Tranen., disc. 20,* etc. ». Cum igitur et hi sint veri parochi et aliqua ratione ministerium suum exercere debeant etiam quoad matrimonia, censendum est, decretum ipsis sua iura integra reliquisse, iuxta peculiarem earum conditionem, exercenda. Ante omnia igitur tenendum videtur eos, quatenus sint vere parochi, in sua ecclesia matrimoniis sive subditorum suorum sive non subditorum valide assistere. Praeterea non ambigendum ad eos privative pertinere licitam assistentiam, quoties sponsa illorum iurisdictioni subdita sit. At quid dicendum de assistentia extra propriam ecclesiam? Si paroecia coalescat ex separatis et sparsis domibus, censerem has habendas esse loco territorii, et proinde in unaquaque earum parochum munus suum exercere posse. At si iurisdictio parochialis sit in familias vel personas, nulla habita ratione domus quam incolunt, tenendum videretur parochum nihil posse in eorum domibus, quia profecto sunt in territorio alterius parochi, intra cuius fines continentur. Cumque hoc ius territoriale certum sit et, utpote parochiale, iuris favorem habeat, huic sine expresso privilegio nihil detrahi potest ex eo quod domus incolas habeant priori parocho personaliter subditas. Accedit decretum *Ne temere* immutasse antiquam disciplinam, vi cuius parochus ubique suorum subditorum matrimoniis valide et licite assistebat, et coarctasse ministerium validum eiusdem parochi infra ambitum sui territorii: proinde absonum videretur a mente legislatoris admittere in proposito casu exercitium huiusmodi iuris parochialis in personas in alterius parochi territorio. Id ad tramites iuris dictum sit. Verumtamen an, pro casibus saltem in quibus nupturientes infirmitate domi detineantur, aliquid parocho personali ex iuribus quibus hucusque gavisus est servare expediat, EE. VV. sueta sapientia et prudentia iudicabunt.

Propositum dubium aliud sequitur quod proponitur ab eodem Emo Archiepiscopo S. Iacobi de Compostella et ab Emo Patriarcha Venetiarum, quodque iisdem verbis referre opportunum duco. Scribit itaque Emus Archiepiscopus S. Iacobi: « Esiste pure nella città suddetta un ospedale fondato dai Re cattolici ed arricchito con privilegi Apostolici, che autorizzavano gli atti parrocchiali fra i quali trovasi il matrimonio. Questo ospedale, che era generale, aveva come cappellano maggiore un canonico della Cattedrale; ma da molti anni fa è divenuto ospedale provinciale e la Deputazione nomina il cappellano maggiore, il quale non è, nè può chiamarsi parroco. Benchè in tempo di Pio IX, per il Concordato e per la Bolla *Quae diversa,* furono soppresse le giurisdizioni

esenti, nell'ospedale di che si tratta, non ha avuto luogo la soppressione e nè la Deputazione cede all'Ordinario la aggregazione della cura di anime alla parrocchia di S. Fruttuoso, nel cui territorio si trova l'ospedale, nè risulta canonico in ogni modo che il cappellano maggiore assista ai matrimoni di quelle persone che abitano nell'ospedale ».

Haec autem habet Emus Patriarcha Venetiarum: « In questa archidiocesi di Venezia esistono non pochi pii istituti, conservatorii dell'uno o dell'altro sesso, case di ricovero, case di pena, ospedali, che colla rispettiva annessa chiesa pubblica od oratorio interno, sono per legge sinodale esenti affatto dalla giurisdizione del parroco del luogo entro il quale si trovano, e sono soggetti immediatamente alla giurisdizione dell'Ordinario diocesano: giurisdizione che egli esercita sulle persone in essi dimoranti *diu noctuque* e che ivi hanno ormai formato domicilio o quasi domicilio, per mezzo del loro rispettivo rettore o cappellano-curato, secolare o regolare. Anche il seminario ed altri collegi maschili riconosciuti dall'autorità diocesana e retti da persone ecclesiastiche, sono per legge sinodale, immediatamente soggetti, colla loro annessa chiesa, alla giurisdizione dell'Ordinario, che la esercita *ad nutum* per mezzo del superiore locale, anche sulla loro pubblica chiesa. Quanto però al sacramento del matrimonio, le ragazze che dimorano nei pii conservatorii, o di penitenza o di riabilitazione, o di ricovero, qualora non abbiano domicilio nella archidiocesi di Venezia, devono contrarre matrimonio dinanzi al parroco della parrocchia entro i cui confini trovasi il pio conservatorio. Quanto poi agli ammalati che vanno a curarsi nel civico ospitale per poi ritornare dopo la guarigione alle proprie case, se nel corso della malattia hanno a contrarre matrimonio nel pio luogo di cura, deve assistere ad esso il parroco del rispettivo loro domicilio, e solamente in pericolo imminente di morte qualora manchi il tempo di ricorrere all'Ordinario, i cappellani dell'ospitale hanno, per sinodale disposizione, la facoltà delegata dall'Ordinario diocesano di assistere al loro matrimonio. Ciò premesso, mi furono esposti da varii ecclesiastici i seguenti quesiti, in seguito al recentissimo decreto *Ne temere*, emanato il 2 Agosto 1907 *De sponsalibus et matrimonio*:

« 1°. Avvenendo il caso di matrimonio di persone abitanti *diu noctuque* nelle suddette località esenti dalla giurisdizione parrocchiale, il matrimonio che legittimamente avessero a contrarre nei medesimi luoghi pii o annesse chiese, spetta per la sua validità al parroco della parrocchia entro i cui confini trovasi il pio luogo esente dalla giurisdizione del parroco, oppure al rettore o cappellano che ivi esercita la cura d'anime, così che questi, anche senza speciale delegazione dell'Ordinario,

possa validamente assistere, soltanto perchè curato del pio istituto, ai matrimonii che si contraggono in esso o nella annessa chiesa, esenti dal parroco?

« 2°. Siccome non di rado succede che fedeli delle varie parrocchie di Venezia desiderino contrarre matrimonio nel santuario della Bma Vergine della Salute, che è la chiesa propria del Seminario, esente dalla giurisdizione del parroco, tali matrimonii, in punto di validità, spettano al parroco del territorio entro i cui confini trovasi il Seminario, oppure al rettore della chiesa del Seminario, il quale possa e debba considerarsi quasi parroco anche nel senso giuridico inteso dal decreto *Ne temere* per la validità dei matrimonii, anche senza bisogno di chiedere speciale delegazione all'Ordinario o al parroco suddetto?

« 3°. I matrimonii che si contraggono negli ospitali, o chiese annesse, esenti dalla giurisdizione parrocchiale e soggetti immediatamente all'Ordinario, sia che si tratti di ammalati ivi precariamente degenti, sia che si tratti di persone abitualmente dimoranti entro l'ospitale per qualsiasi titolo, devono celebrarsi, perchè siano validi, dinanzi al parroco della parrocchia entro i cui confini trovasi l'ospitale, oppure dinanzi al cappellano o ad uno dei vari cappellani-curati del pio luogo, anche senza bisogno di speciale delegazione dell' Ordinario diocesano o del parroco suddetto?

« Tali quesiti mi pare possano ridursi al solo ed unico quesito: se, cioè, i vari rettori o cappellani, deputati dall' Ordinario alla cura d' anime nei varii conservatorii esenti dalla giurisdizione del parroco, abbiano bisogno, per assistere validamente ai matrimonii che in essi si contraggono, di speciale delegazione dell'Ordinario o del parroco entro i cui confini si trovano i conservatorii stessi, oppure se basti la loro qualità di curati della località esente per potersi ritenere giuridicamente autorizzati, nel senso del decreto *Ne temere* ad assistere validamente ai matrimonii entro i confini del proprio istituto, conservatorio ecc. ».

Ni fallor, ex ipsis verbis quibus dubia exponuntur clare eruitur in propositis casibus non agi de vero parocho, ideoque tenendum nullum ex illis rectoribus vel cappellanis locorum piorum valide, absque speciali delegatione Ordinarii vel parochi, matrimoniis assistere posse. At quaestio alio modo solvenda est si agatur de illis, qui omnimodam et plenam iurisdictionem paroecialem obtinent in aliqua pia domo, ut ex. gr. in Hospitio Apostolico S. Michaelis ad ripam maiorem Tyberis in Urbe, aliisque piis locis. Cum hi vere sint parochi et etiam quandoque hoc appellentur nomine, et in decreto nulla fiat exceptio, sequi videretur eis omnia aptanda esse, quae ibidem de parochis scripta sunt. Ni-

hilominus, attento quod hi parochi plerumque pro administratione aliorum sacramentorum, quorum in domibus charitatis urgens est necessitas, constituti sunt, EE. VV. erit iudicare an opportunum sit eorum iura quoad matrimonia coarctare, praesertim si agatur de personis quae in pia domo nec stabiliter nec ad tempus degunt. Iam a sua aetate Card. De Luca in celebri quaestione inter vicarium curatum SS. Ecclesiae Lateranensis et hospitale SS. Salvatoris ad Sancta Sanctorum, notare satagebat: « Scribens autem in unica disputatione pro hospitali, vidensque quod potius scribentes hinc inde procederent cum generalitatibus super iuribus parochialibus in abstracto, advertebam erroneum videri cum huiusmodi generalitatibus procedere, cum potius procedendum esset cum diversorum casuum vel functionum distinctione, qua mediante conciliari dicebam ea quae hinc inde deducebantur.... Primus itaque erat casus vel punctus in administratione illorum sacramentorum, quae de regulari natura, sive pro frequentiori contingentia in huiusmodi hospitalibus administrari non solent, nempe baptismatis et matrimonii, dum quandoque datur casus eorum administrationis etiam cum personis quae in hospitali degunt. Et tunc dicebam distinguendum esse inter infirmos, qui a diversis parochiis et partibus civitatis ac etiam a locis convicinis ad hospitale confluant gratia curationis cum quibus sacramenta quandoque administrari contingit, puta quia pauperes mulieres praegnantes infirmae pariant ideoque infantuli baptizari debeant, vel quia viri pro exoneratione conscientiae vel pro legitimatione filiorum aliisque effectibus etiam in articulo mortis ibidem desponsare velint illas mulieres cum quibus ratione concubinatus longam habuerint conversationem, et illas personas quae tamquam medici vel chirurghi, sive assistentes et ministri ac servientes in dicto hospitali continuam moram agant. Priori enim casu certum videri dicebam quod neutri contendentium huiusmodi sacramentorum administratio competeret, sed propriis parochis infirmorum, et praesertim respectu matrimonii.... Quo vero ad alias personas in statu valetudinis existentes et quae occasione ministerii, ut supra, in hospitali morantur, advertebam pariter decisionem pendere a circumstantiis facti, an scilicet... habeant domicilium fixum et continuum in hospitali..., vel e converso ibi occasionaliter morentur, ut hoc posteriori casu dicendum sit idem quod de infirmis: in priori autem pro parocho potius contra cappellanum esse respondendum, dum istorum respectu, cessantibus privilegiis Apostolicis, per quae regula limitetur, non intrat illa ratio quae infra in administratione illorum sacramentorum et aliorum divinorum quae congruunt infirmis, consideratur ». *De parochis, disc. 41, n. 3.*

Huic affine est dubium respiciens iurisdictionem cappellanorum mi-

litarium. Idem Emus Archiepiscopus S. Iacobi de Compostella scribit: « I cappellani castrensi non hanno territorio: sono parroci delle persone, ma non dei luoghi. Come funzionerà la giurisdizione castrense, messo in vigore il decreto? I soldati, reclute disponibili che non hanno compiuto il numero prescritto di riviste annue volute dalla legge militare, pretendono contrarre matrimonio con donne della giurisdizione ordinaria: potrà il parroco di questa giurisdizione autorizzare questi matrimonii senza sottostare alla legge militare e liberarsi dalla pena che gli si impone? Non converrebbe che da parte della S. Sede si ottenesse dal Governo Spagnuolo il facilitare questi matrimonii, evitando moltissime unioni illecite adesso che la stessa legge militare concede alle reclute il permesso di stare nelle loro case? ».

Et Episcopus titularis Pergamensis, cappellanus maior exercitus Borussiae, haec SS. D. N. humiliter significare sategit: « Iuxta Breve Pii Papae IX d. d. 22 Maii 1868, cappellanus maior exercitus Borussici, separata ab ceteris Ordinariis iisque minime subiecta iurisdictione pollebit in eos omnes, qui Borussiae vexillis militant terra marique ubicumque gentium fuerint, atque in omnes et singulos fideles, qui ad Borussiae exercitum secundum leges pertinent. Cappellani minores cum reapse parochi censendi sint illius partis exercitus, quam spirituali ipsorum curae cappellanus maior demandaverit, libere idcirco utentur singulis quibusque facultatibus, quas sibi idem cappellanus maior subdelegaverit. Fideles igitur huius exercitus, de quibus supradictum est parocho civili locique Ordinario eadem de causa minime subditi sunt, quamvis intra limites territorii eius domicilia habeant, sed extra hoc territorium in parochiam personalem cappellani minoris levati sunt. Iuxta vero decretum *de sponsalibus et matrimonio* iussu et auctoritate Sanctitatis Tuae a Sancta Congregatione Concilii de die 2 Augusti 1907 editum, parochi et loci Ordinarius, ut n. IV, § 2 declarat, valide *matrimonio assistunt intra limites sui territorii, in quo matrimoniis nedum subditorum sed etiam non subditorum valide assistunt*. Quaeritur igitur num hoc vocabulo *non subditorum* etiam comprehendantur dicti fideles exercitus Borussici. — Haec quaestio gravitate non caret, quia iam per fere ducentos annos in exercitu Borussico praxis viget ut matrimonia personarum ad exercitum pertinentium non nisi coram parocho militari contrahantur, qui tamen licentiam matrimonio assistendi concedere potest alii sacerdoti determinato ac certo, et quia insuper leges militares tam catholicos quam acatholicos alligantes, hanc praxim sanciunt. Difficillimum et fere impossibile videtur, ab hac praxi

quasi iure consuetudinis recedere; quapropter multum mea interest, ut integra servetur ».

Iurisdictio castrensis, quae nititur privilegiis a S. Sede concessis et plerumque ex conventionibus saltem privatis cum Guberniis nationum, originem trahit, non uno eodemque modo ubique exercetur: hinc difficile admodum est regulam tradere quae pro omnibus regionibus valeat, et apta et opportuna dici possit. Profecto quae exponuntur peculiarem merentur animadversionem. Ita posito principio, quo parochus nonnisi in suo territorio matrimoniis valide assistere queat, saepe eveniet casus quo parochus castrensis, qui territorio caret, hanc sui ministerii partem nullimode explere possit. Non solum enim bello et tempore quo copiae militaribus exercitationibus vacant, sed etiam domi plerumque hi parochi castrenses propriam ecclesiam non habent. Videretur igitur quoad eos exceptionem esse admittendam, si velimus eos pergere in suo ministerio, quod profecto in bonum animarum militum, qui raro ad alios sacerdotes accederent, vere redundat. Minus gravis meo sensu est difficultas quae movetur circa assistentiam horum parochorum matrimoniis non subditorum in propria ecclesia vel territorio, si aliquando habeant. Nam etiamsi parochi dici soleant, et quoad milites revera sint, hi exercent ex privilegio curam animarum et stricto iure parochi non sunt: unde optime declarari posset eos sub nomine parochi in decreto non venire, et coram eis non subditos haud posse valide contrahere nuptias. Considerandum potius privilegium in eo quod praecipit, mulieres non posse cum militibus matrimonium contrahere coram parocho ordinariae iurisdictionis sed tantum coram parocho castrensi. Certe verbis et menti decreti refragatur, milites non posse valide matrimonium contrahere coram quovis parocho, sicut ceteri fideles; at non facile immutari posse videtur disciplina, quae in conventionibus acceptata fuit et cuius observantia a civilibus aut militaribus auctoritatibus, etiam adiectis gravibus poenis, vehementer urgetur. His positis, restat ut dicamus decretum *Ne temere,* quod de iurisdictione castrensi non loquitur, eam intactam reliquisse, prout in unaquaque natione suis legibus ex privilegiis vel ex conventionibus regitur, nec parochorum castrensium potestatem auctam fuisse aut imminutam, nec aliis parochis aliquod ius in eorum praeiudicium fuisse concessum. Ceterum erit S. Sedis id, quod in animarum bonum magis cedat, decernere, et deliberare an tractationes ad hoc ineundae sint cum Guberniis, prout Emus Archiepiscopus Compostellanus desiderat.

Gravior modo se offert quaestio quoad interpretationem Art. XI decreti, eaque movetur a pluribus Episcopis, praesertim S. C. de Pro-

paganda Fide subiectis. Quaeritur siquidem quaenam vis tribuenda sit verbis, quae in fine § 2 legitur: *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.* Haud nimium immorandum duco in dubio, quod refert sibi a pluribus propositum Archiepiscopus Dublinensis, utrum scilicet ea verba « intelligenda sint tantum de indultis a S. Sede in posterum fortasse concedendis an respiciant etiam casus, in quibus eiusmodi indulta a S. Sede iam concessa sunt »: qui innituntur quibusdam verbis quae leguntur in Votis Consultoris, Defensoris vinculi et R. P. D. Secretarii in ephemeride *Acta S. Sedis* relatis. Etenim ipse Praesul Dublinensis docte respondet: « quidquid sit de opinione ab illis eximiis viris in suis Votis expressa, in decreti schematibus ab illis exaratis ne verbum quidem inveniri de indultis a S. Sede sive concedendis sive concessis: quod rationi sane consentaneum videtur, cum plane superfluum esset in eiusmodi decreto de indultis S. Sedis loqui, nisi sermo esset de indultis antea concessis: quod enim ad indulta forsan postea concedenda attinet, per se obvium est per istiusmodi indultum obligationem cuiuscumque decreti pontificii aut minui aut omnino tolli posse: ex quo fit ut in decretis S. Sedis usitatum non sit derogatorias clausulas inserere indulta postea forsan concedenda respicientes ». Nec pariter immorandum in quaestione an in illa exceptione comprehendatur Constitutio SS. D. N. Pii Papae X *Provida* diei 8 Ianuarii 1906 pro imperio Germanico. Etenim clarum est, ut docet Emus Gennari in suis commentariis, illam Constitutionem etiam post decretum in suo robore permanere, idque eruitur etiam ex actis S. C. quae decreti promulgationem praecesserunt. Notandum praeterea, quod sciam, neminem ex Germaniae Episcopis hucusque aliquod de hoc movisse dubium (1).

Plura e contra dicenda veniunt de vi praefatae clausulae relate ad celebrem Benedicti XIV declarationem, die 4 Novembris 1741 pro foederatis Belgii provinciis datam, et postea ad plures alias regiones similiter aut aequivalenter extensam. Porro non latet EE. VV. gravem et annosam inter doctores agitari controversiam circa declarationis Benedictinae naturam, ita ut alii teneant illam esse simplicem declarationem, alii esse decretum seu dispensationem, alii demum declarationem simul et decretum. Emus Gennari in citatis commentariis nuper editis, perspicue more suo statum quaestionis perstringit et exhibet, illiusque pondus in praesenti casu demonstrat, cum, ut ipse animadvertit, ex quaestionis solutione pendeat iudicium circa declarationis vim post de-

(1) Dubia autem Emi Archiepiscopi Coloniensis infra relata nonnisi sero oblata fuerunt *(N. R.)*.

cretum *Ne temere.* Ac proinde vir clarissimus opportunum ducit monere, quaestionem esse difficilem circa declarationem, difficillimam vero circa eiusdem varias et multiplices extensiones. Inutiliter agerem si hic argumenta referrem, quibus diversarum sententiarum patroni ad thesim suam adstruendam utuntur. Quod ad me attinet, cum ex imposito munere tenuem opinionem meam exprimere debeam, haud diffiteor eam sententiam satis mihi probatam videri, quae tuetur Benedictinum documentum habendum esse uti simplicem declarationem. Rationes sunt quae breviter afferuntur ab Emo Gasparri in suo praeclaro tractatu *De Matrimonio, vol. II, n. 976,* scilicet: 1° ipse textus declarationis, si accurate expendatur, et quae alias scripsit ipse Benedictus XIV praesertim in epistola *Singulari Nobis* 9 Febr. 1747, § 17, idest: « Ex verissimis.... argumentis coniecturisque probatum est Concilium Trid. cum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse quae disceptationi a nobis an. 1741 solutae occasionem dedere »; 2° epistola Pii VII ad Napoleonem, die 27 iunii 1805 data, quae inter cetera haec habet: « Le décret n'établissait pas un nouveau droit, mais était seulement une déclaration, comme porte son titre (c'est à dire un développement de ce que ces mariages sont en réalité) on comprend aisément que le même principe doit être appliqué aux mariages contractés entre un catholique et une hérétique dans un pays sujet à des hérétiques: quand même parmi les catholiques y existant on aurait publié le susdit décret ».

His addi potest animadversio, quae peculiariter respicit matrimonia mixta, videlicet, sive in declaratione Benedictina, sive in pluribus decretis quae illam ad alias regiones extendunt, validitatem horum matrimoniorum admitti, tamquam consectarium validitatis matrimoniorum haereticorum, ob principium individuitatis contractus, proindeque, saltem pro ea parte quae se refert ad mixta coniugia, certe non esse nisi applicationem enunciati principii, idest nonnisi simplicem declarationem. Quod forsan firmari posset etiam verbis, quibus Benedictus XIV utitur, quaeque adversae sententiae patroni sibi favere immerito putant. Verum namque est ibi legi verba: *declaravit statuitque* etc.; sed haec verba ex contextu sermonis proxime respiciunt matrimonia quae inter haereticos contracta sunt vel in posterum contrahentur. Deinde vero de matrimoniis mixtis tantum subiungitur: « si forte aliquod huius generis matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum iam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, *declarat* Sanctitas Sua matrimonium huiusmodi etc. ».

De extensionibus huius Benedictinae declarationis accurate, plene et

competenter loqui res est impossibilitati proxima. Clar. Mansella *De imped. matr. dir., part. 1, c. 4, art. 4, § 1*, hunc tradit extensionum elenchum: « I. *In Europa*. Wratislaviae an. 1775; Ulmiae an. 1774 in regno Wurtemberg. — In illa Poloniae parte quae ab an. 1780 in Russiaci imperii ditionem venit. — In Ducatu Cliviensi regni Borussici an. 1795. — Matrimonia incolarum civitatis Mastricht prope Leodium an. 1836. — Quamvis Benedictina declaratio non fuerit expresse extensa, aequivalenter tamen idem constitutum est quoad illa Constantinopolis eiusque suburbiorum loca (anno 1769), in quibus publicatum fuerat Concilium Tridentinum, dum valida quamvis illicita, matrimonia illic contracta edicuntur. — Sic etiam in Hibernia an. 1785. — In provinciis Rhenanis sub ditione Borussica an. 1830. — In universo imperio Russiaco et in regno Poloniae anno 1844. — Extensa fuit declaratio Benedictina in Mosa Traiectana ad parvum S. Petri suburbium in Vicariatu Limburgi anno 1844..... (S. Sedes) quoad mixta coniugia peculiarem cepit provisionem, in Bavaria an. 1834 — in Hungaria an. 1844. — II. *In Asia*. Extensam fuisse Benedicti XIV declarationem constat: Pondicerii, anno 1833. — In Georgia, saltem aequivalenter, an. 1831. — In ora Coromandelica an. 1831. — In Iaponia aequivalenter iam ab anno 1625. — In ora pariter Malabarica sub ditione quondam Hollandiae an. 1765. — Bombay, ex quo pervenit sub ditionem societatis ab Indiis nuncupatae, an. 1761. — III. *In America*. Locum habuit extensio eiusdem declarationis: in provinciis Canadà, ex quo sub ditionem Angliae pervenerunt an. 1763. — Curacao an. 1851. — In insula SS. Trinitatis an. 1825. — In utraque Ludovisiana atque in Florida an. 1831 ». Huic elencho praeterea, ut eruitur ex dubiis S. C. propositis a Vicario generali Curiensi, addi debet indultum concessum dioecesibus Basileensi et Sangallensi et forsan etiam aliis dioecesibus Helvetiae.

Angustia temporis pressus et aliis muneribus distentus non valui originalia decreta aut rescripta extensionum consulere, quae prodiere ex SS. CC. S. Officii, de Propaganda Fide et super Negotiis ecclesiasticis extraordinariis: quod ceterum nec facile concessum esset, ac si etiam concessum, non intra tempus mihi datum perfici potuisset. Nihilominus in iis quae referuntur tuto standum censeo cum auctoribus, qui non modo ob probitatem et doctrinam, sed etiam ob munia quae olim apud SS. CC. exercuerunt, omnimodam fidem merentur.

Iam in elencho relato vidimus in maxima locorum parte agi de vera extensione declarationis Benedictinae. De his igitur eadem ratione iudicandum erit ac de principali, ita ut extensiones comprehendantur, vel non, in exceptione decreti *Ne temere*, prout declarationem compre-

hendi vel non definitum fuerit. Quoad alias nonnulla adnotanda sunt. In citato opere monet Mansella, auctoritate P. Ballerini fretus, « duo decreta, unum pro Japonia, alterum pro Curacao, cum solum ad *catholicorum* inter se matrimonia referantur, nihil ut patet commune habere cum Benedictina declaratione, quae *haereticorum* tantum vel mixta respicit coniugia ». De his itaque duobus decretis dicendum videtur ad rem nostram non facere. Praeterea idem Mansella animadvertere curat « citata a P. Perrone decreta, quae pertinent ad Hiberniam, ad universum imperium Russiacum regnumque Poloniae, item ad provincias Rhenanas sub ditione Borussiae, ad Bavariam, ad Hungariam, ad Georgiam, reipsa non esse extensionem Benedictinae declarationis. Etenim ut probe animadvertit cl. Ballerini *in notis ad theol. mor. Gury, de imp. clandestinitatis*, praeter quam quod haec declaratio ex aliis prorsus principiis ducit originem, insuper primario ad haereticorum matrimonia refertur; — ad matrimonia vero mixta deinde per quasi extensionem protracta est, prout ipse Benedictus XIV *De synodo, lib. 6, cap. 6, n. 12* indicat: — contra vero decreta, quae ad regiones superius recensitas pertinent, decreti Tridentini *derogationem* seu *dispensationem* quamdam continent, et *solum* ad matrimonia mixta referuntur ». Post haec accurate doctores, praesertim recentiores, distinguere solent inter loca pro quibus declaratio Benedictina vere extensa fuit et loca pro quibus e contra dispensatio quoad matrimonia mixta concessa fuit a S. Sede, et concorditer haec postrema loca coarctant ad Hiberniam, ad Hungariam, ad imperium Russiacum cum ea parte Poloniae quae in eo comprehenditur, ad provincias Rhenanas, ad Bavariam et ad Georgiam, ceteris omnibus regionibus exclusis.

Iamvero nunc de provinciis Rhenanis ac de regno Bavariae amplius non est loquendum, cum istae regiones pars sint Germanici imperii, pro quo viget Constitutio *Provida* diei 8 Ianuarii 1906. Circa reliquas regiones haec observare possum. Nullum adest dubium pro Hibernia latum fuisse verum decretum a S. C. S. Officii die 13 Martii 1745 (seu verius an. 1785), et hoc decretum continere dispensationem circa matrimonia mixta independenter a declaratione Benedictina. Idipsum tenendum censeo quoad Hungariam, licet dispensatio concessa fuerit in Instructione S. C. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis diei 30 Aprilis 1844, quia et haec quoad substantiam est verum decretum. Non puto, quidquid alii sentiant, veram concessionem factam fuisse pro Georgia; siquidem haec concessio innititur responso S. C. S. Officii anni 1845; et ad dubium propositum quoad validitatem matrimoniorum mixtorum S. C. respondit, illic ea matrimonia habenda esse ut valida, sed eviden-

ter in responso applicatum fuit principium individuitatis contractus: quod profecto longe abest a concessione. Ambigendum de imperio Russiaco: Instructio enim S. C. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis anni 1844, quae affertur a doctoribus, plenius in actis esset examinanda, et videndum an sit applicatio eiusdem principii, de quo supra, an vera concessio. Nihil dicere valeo de indultis datis quibusdam dioecesibus Helvetiae, cum nesciam ex qua S. C. prodierint: inveni concessionem pro dioecesi Basileensi factam fuisse die 1 Iulii 1890, at nihil aliud.

His praemissis, si ad iuris tramites EE. VV. definiri posse iudicabunt Benedictinam declarationem, prout verbis etiam re non esse nisi simplicem declarationem et suam vim amisisse post decretum *Ne temere*, securo animo idem pronunciandum putarem de illius extensionibus; et tunc in suo robore permanere tantum dispensationes quoad matrimonia mixta pro imperio Germanico, pro Hibernia et Hungaria, et forsan pro imperio Russiaco et quibusdam dioecesibus Helvetiae, quatenus et pro iis vera concessio a S. Sede facta fuerit.

Cum agatur de re magni momenti et quae propius fideles attingit, praetereundi non videntur effectus, qui ex una aut altera circa declarationem Benedictinam definitione dimanabunt. Res ardua; eo magis quia de populis agitur indole, moribus, sensu christiano diversis. Profecto qui in haeresi nati sunt et in ea adoleverunt aliquam indulgentiam mereri videntur, hisque satis providet decretum *Art. XI, § 3*: « Acatholici, sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam ». Ita obsecundatum fuit votis plurium Antistitum, qui in Concilio Vaticano proponebant, *Coll. Lacen., vol. 7, pag. 842*: « Valde etiam opportunum et benignitate Ecclesiae omnino dignum esse videretur, simul et menti Concilii Tridentini apprime consonum, ut matrimonia protestantium et schismaticorum, quorum heu! ita excrevit numerus, huic nullitatis causae, quae ex impedimento clandestinitatis emergit, nullibi iam forent obnoxia ». At certe non pari indulgentia procedendum quando agitur de matrimoniis mixtis, quae constanter acerrimis verbis Ecclesia detestata est, et de quibus inter cetera Benedictus XIV in Constitutione *Matrimonia, 4 Nov. 1741*, scribebat: « Serio graviterque hortatur et monet *(Episcopos)* ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant ». Addendum, cum Const. *Arcanum* s. m. Leonis XIII, « animos de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse quoad cetera concordes »; unde cum haud raro huiusmodi connu-

bia infelices habeant exitus, valde dubitandum an pro dignitate sacramenti et pro ipso coniugum bono expediat ut valida et indissolubilia sint coram Deo et Ecclesia.

Praeterea magna consideratione digna videntur quae nonnulli Antistites S. Sedi exponere necessarium duxerunt, quaeque ipsis eorum verbis referenda sunt. R. P. D. Britius Meuleman S. I., Archiepiscopus Calcuttensis, haec Emo S. C. de Prop. Fide Praefecto significavit: « Pour que votre Eminence puisse comprendre l'importance pour nous de la solution de ce doute *(quoad declarationem Benedictinam)*, je décrirai brièvement les circonstances spéciales où nous nous trouvons. Dans une lettre de la Propagande datée 16 Juillet 1851 il ést dit: « *cum ex deductis non constet de promulgatione Conc. Trid. decreti* Tametsi *Calcuttae et in Bengal facta, non esse ideo inquietandos catholicos etiam (de acatholicis enim nulla quidem quaestio ob iam extensam ibi Bened. Const.), qui matrimonium ibi ineunt non servata forma Concilii...* ». La parenthèse s'explique par une lettre de la Propagande datée 13 Février 1847: *Ab Apostolica Sede sub die 12 Sept. 1838, ad removendas ambiguitates, declarationem Benedicti XIV... hac in re ad Bengalensem Vicariatum extensam fuisse.* Dans le passé donc la pratique dans mon diocèse ne présentait pas la moindre difficulté. Mais après le nouveau décret il n'en sera plus de même, si l'extension de la déclaration Bénédictine équivaut au *aliter a S. Sede sit statutum.* En effet, dans la majeure partie de mon diocèse le décret *Tametsi* n'a certainement jamais été publié et par conséquent la déclaration Bénédictine n'y jamais été étendue: donc après Pâques 1908 les mariages mixtes contractés *non servata forma decreti,* y seront nuls. Mais dans le reste du diocèse ces mêmes mariages seraient douteux, puis qu'il est douteux que le décret *Tametsi* y ait été publié et par conséquent douteux que la déclaration y ait été étendue, puisqu'elle suppose la publication du *Tametsi.* En tout cas il serait moralement impossible de déterminer avec certitude à quelles parties du diocèse l'extension de la déclaration s'étend, d'autant plus que certaines portions du diocèse actuel n'appartenaient pas même matériellement au Vicariat Apostolique du Bengal en 1838. Si le *nisi aliter a S. Sede sit statutum* ne comprend pas la déclaration Bénédictine (qui à proprement parler ne *statue* rien) mais seulement des décrets spéciaux comme celui du 18 Janvier 1906 pour l'empire d'Allemagne, alors toute difficulté disparait pour nous. La question donc à la quelle je sollicite respectuesement une réponse est: an sub *nisi aliter a S. Sede sit statutum* comprehendatur declaratio Benedictina facta vel extensa.

« Si la réponse est negative, notre position est claire. Il restera, il

est vrai, à examiner s'il n'est pas expédient de demander au S. Siège une dispense semblable à celle qui a été faite pour l'empire Allemand en 1906. Mais cette question-là, me semble-t-il, doit être examinée et résolue non pour une diocèse en particulier, mais pour toute l'Inde si non pour tout l'empire Britannique. Si, au contraire, la réponse était affirmative, je demanderais un remède à la difficulté spéciale qui existe dans mon diocèse. Ce remède serait ou une déclaration que, non obstant l'extension faite le 12 Septembre 1838, tout le diocèse est dorénavant soumis à la nouvelle loi commune, ou une dispense quant aux mariages mixtes pour tout le diocèse. Des ces deux alternatives, à cause des considérations d'ordre plus général auxquelles je fais allusion dans le paragraphe précédent, je m'abstiens de demander une solution plutôt que l'autre, et j'accepterai celle que dans sa sagesse le S. Siège donnera ».

Graviora etiam sunt quae in sua petitione ad SSmum D. N. exposuit R. P. D. Iosephus Drehmans Episcopus Ruremundensis in Hollandia. Scribit enim: « Ab eo ergo inde tempore varia in variis locis huius dioecesis quoad matrimonia mixta clandestina viguit et in posterum vigebit lex, scilicet in fere 80 locis cum circiter 193,200 incolis (olim Hispaniae et Austriae subiectis) hucusque viguit decretum *Tametsi* et in posterum vigebit decretum *Ne temere*; in aliis vero fere 40 locis cum circiter 133,600 incolis ab antiquo tempore sub ditione Hollandiae aut Borussiae hucusque viguit et in posterum vigebit declaratio Bened. XIV, Leonis XII et Pii VI. Addere hic per transennam liceat, ea quae superius fuerunt exposita, aliter sese habere in ceteris dioecesibus Hollandiae. Etenim cum, uti supra dictum fuit, in dioecesi Ruremundensi e 326,800 incolis, 6400 tantum sint haeretici, in archidioecesi Ultraiectensi et in dioecesi Harlemensi haereticorum numerus numerum catholicorum plurimum superat, et quamvis Bredana dioecesis plures, et Buscoducensis multo plures numeret catholicos quam haereticos, tamen in hisce duabus dioecesibus haereticorum numerus relative maior est quam in dioecesi Ruremundensi. Alia differentia haec est, quod sola declaratio Benedicti XIV valet pro quatuor illis dioecesibus universis, excepto uno (forsan) loco archidioecesis Ultraiectensis et fere 25 locis dioecesis Buscoducensis, pro quibus hucusque viguit decretum *Ne temere*. Inter Ruremundensem et Buscoducensem dioecesim igitur haec intercedit differentia quod hucusque in 80 locis dioecesis Ruremundensis viguit decretum *Tametsi* et in 40 declaratio Benedictina, dum in fere 220 paroeciis dioecesis Buscoducensis viguit declaratio Benedictina et in 25 tantum decretum *Tametsi*.

« Quamquam in dioecesi Ruremundensi matrimonia mixta hucusque multo minus frequentia fuerunt quam in aliis Hollandiae et in fi-

nitimis Germaniae dioecesibus, et quamquam clandestina matrimonia mixta inibi hucusque fuerunt rarissima, tamen haud parvis supra memorata legis matrimonialis in dioecesi diversitas ansam dat difficultatibus. Non enim ex eo tantum nascitur pro disciplina ecclesiastica detrimentum, quod non eadem lex pro universa dioecesi et singulis illius viget locis, sed et ex eo quod de pluribus locis certo determinari nequit utrum declaratione Benedictina comprehendantur necne, ita ut de validitate matrimonii mixti clandestine ibidem initi semper ambigi possit. Accedit quod nonnullae parochiae, ubi viget decretum *Tametsi,* non conterminae tantum, sed, quamvis distinctae, tamen insuper intersectae sunt parochiis. pro quibus valet declaratio Benedictina: quin etiam nonnulli vici vel viae eiusdem loci ac parochiae partim reguntur decreto *Tametsi,* partim declaratione Benedictina.

« Iamvero in decreto *Ne temere* omnes locorum Ordinarii iubentur curare ut hoc decretum quamprimum in vulgus edatur et in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis explicetur, ut ab omnibus rite cognoscatur. Cui quidem mandato infrascriptus Episcopus Ruremundensis libentissime morem gerere paratus est. Verum multiplicem hac in re opperiendam habet difficultatem. Etenim non in omnibus et singulis dioecesis parochiis neque etiam pro omnibus et singulis cuiusque parochiae locis seu vicis eadem publicari et explicari poterunt, cum pro aliis uti supra expositum fuit, valeat decretum *Ne temere,* pro aliis declaratio Benedicti XIV. Dein difficile, quinimo interdum impossibile est adamussim determinare et parochianis intimare quaenam parochiae aut quaenam parochiarum partes alterutra lege constringantur. Tandem, quod gravissimum nobis videtur, timendum est ne, si loca, in quibus matrimonia mixta non sunt ob clandestinitatem invalida, populo innotescant, talia matrimonia, etiam clandestina, evadant frequentia et, visis circumstantiis, sensim et pedetentim frequentissima.

« Hucusque enim populus generatim ignorat declarationem Benedicti XIV; paucissimi tantum inter doctiores laicos noverunt illam datam fuisse quoad civitatem Mosae Traiecti. Hanc ob causam matrimonia mixta clandestina, haud secus ac clandestina matrimonia catholicorum, generatim in tota dioecesi a populo pro concubinatu habentur, quo fit ut non a clandestinis tantum matrimoniis facilius deterreantur catholici huius dioecesis, sed et generatim a mixtis, praesertim scilicet quando parochus nupturientibus catholicis, qui tale matrimonium inire intendunt, dicit sese assistentiam suam praebere non posse, vel quia pars acatholica debitas non praestat cautelas, vel quia non affertur sufficiens causa impetrandi et impertiendi dispensationem ab impedimento mixtae religionis.

Haec autem bona catholicorum animi dispositio non extirpanda, sed fovenda videtur, idque vel eo magis quod hodiedum, multiplicatis viis ferreis detectisque nuper in territorio huiusce dioecesis carbonum fossilium fodinis, huc undique confluunt opifices, machinarii, scribae aliique id genus virorum plerumque iuniorum et saepe acatholicorum, qui, quum acatholicae, quas ducant, feminae desint, catholicas puellas ad matrimonium allicere studebunt, allectasque, obnitentibus parochis et parentibus, clandestino matrimonio sibi copulare, non sine magno puellarum et prolis damno spirituali atque populi catholici scandalo, tentabunt. Quae cum ita se habeant, omnibus nervis contendendum esse ducimus, ut pestem illam matrimoniorum mixtorum praesertim clandestinorum, quae Hollandiam septentrionalem et vicinam Germaniam infestat, a grege nostro avertamus.

« Has igitur ob causas, ad procurandam disciplinae matrimonialis uniformitatem pro universa dioecesi Ruremundensi, ad tollenda dubia de nullitate vel legitimitate matrimonii mixti clandestini in nonnullis locis eiusdem dioecesis, ad avertenda matrimonia mixta clandestina vel non clandestina, ad tutandam melius populi catholici fidem et bonos mores, infrascriptus Episcopus Ruremundae, auditis et suffragantibus Capitulo ecclesiae Cathedralis et congregatione prosynodali, Sanctitatem Tuam rogat, ut benigne declarare dignetur decretum *Ne temere* pro ista dioecesi Ruremundensi et omnibus eius locis a die sollemni Paschae an. 1908 etiam pro matrimoniis mixtis ita valere, ac si nunquam pro illis locis aliter a S. Sede fuisset statutum ».

Pro declaratione Benedictina servanda pauca deducta sunt, forsan quia plures Praesules nec dubium habent eam in suo robore perstare, etiam post decretum *Ne temere*. R. P. D. Franciscus Bourne Archiepiscopus Westmonasteriensis, qui nomine etiam aliorum Episcoporum Angliae scribere videtur, haec tantum habet: « Iamvero hucusque talia matrimonia (mixta clandestina) valida habita sunt: quod si iuxta decretum suprememoratum habenda sunt ut invalida, non possum diffiteri quin ex tali conditione rerum oborturae sint *quam maximae et quam plurimae difficultates* »; quin tamen has difficultates indigitet. Non desunt certe et alii Antistites qui opinentur, nimium rigorem Ecclesiae erga matrimonia mixta in suis regionibus non profuturum bono animarum et quieti catholicorum, et qui timeant hunc rigorem ansam dare posse ad avertendos animos a catholica veritate et ad liberos in haeresi educandos: ast an haec vere fundamentum habeant non facile ex actis eruitur. Forsan etiam difficultas peti posset ex eo quod, dum in Germania, in Hibernia et in Hungaria matrimonia mixta, neglecta praescripta forma, valida

remanerent, incongruum videretur ea pronunciari invalida in regionibus, ubi multo plures haeretici degunt et huiusmodi matrimonia minoris facinoris saltem speciem habent.

Aliud superest dubium ab Episcopo Harlemensi propositum, qui pro certo tenet declarationem Benedictinam etiam post decretum vi sua non destitui. Quaerit itaque an, haud obstante Art. XI decreti, vigere pergat pro Hollandia responsum S. C. S. Officii, quod ita refertur ab Emo Gasparri, *De matr., vol.. 2, n. 977*: « Quaesitum fuit a S. C. S. Officii: An pro intelligentia celebris declarationis Benedicti XIV proH ollandia comprehendi possint sub nomine haeretici quinque sequentes classes: 1°. illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur ac haeresim profitentur; 2°. qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3°. qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adiunguntur; 4°. apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes; 5°. qui nati et baptizati ab haereticicis adoleverunt, quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint ac veluti nullius religionis... Igitur quid sentiendum sciscitatur Episcopus de istorum matrimoniis cum parte catholica initis? S. C. 6 Apr. 1859, respondit: Ad effectum matrimonii, supra numeratos comprehendi in laudata Benedicti XIV declaratione ». Hoc tamen dubium non est difficilis solutionis. Etenim in ipso responso clare expressum fuit a S. C. rem referendam esse tantum ad Benedictinam declarationem, ita ut ubi ipsa perstet, etiam responsum valeat, si secus vero, et responsio corruat.

Aequa magis est interrogatio Vicarii generalis Curiensis: « An teneatur statutis legibus *(Art. XI)* acatholicus nupturiens, qui infans olim in Ecclesia catholica baptizatus, post mortem matris catholicae a patre acatholico in haeresi a prima pueritia educabatur ». Respondendum: expresse in decreto praecipi: « Statutis superius legibus tenentur *omnes* in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant »; et proinde, cum nulla fiat exceptio, et illum teneri de quo interrogans loquitur. Attamen an hic, qui forsan veriori sensu dici non potest a fide defecisse, prout personae, de quibus in 2° et 3° numero citati responsi C. S. Officii diei 6 Apr. 1859, aliquam indulgentiam mereantur ac potius accensendi sint inter haereticos ad effectum decreti *Ne temere*, EE. VV. iudicabunt.

Ultimo loco habentur litterae Vicarii Apostolici Pekinensis et Vicarii Apostolici Ce-Li Orientalis in imperio Sinensi. Longo sermone et addu-

ctis rationibus, petunt dispensationem a pluribus decreti praescriptionibus, quas executioni mandare, attentis regionis moribus et incolarum natura, in omnibus saltem casibus omnino impossibile esse censent. Res est non parvi momenti, quae eget plenioribus notitiis et accurata disquisitione, quaeque proinde alia vice seorsim tractanda est. Interim EE. VV. subiicitur petitio, quam iidem Praesules S. Sedi offerunt pro obtinenda dilatione executionis decreti *Ne temere*. Vicarius Apostolicus Ce-Li Orientalis petit « facultatem prorogandi executionem decreti cum vi legis usque ad festum Nativitatis Domini 1908..., ut omnes christiani etiam in regionibus dissitis possint fieri certiores de tenore et obligatione huius decreti ». Vicarius Apostolicus Pekinensis vero postulat: « observation du décret *Ne temere* obligatoire seulement à partir de Pâques 1909 ». Et subdit: « Plusieurs chrétientés sont éloignées du lieu de résidence du prêtre, qui ne peut les visiter qu'une ou deux fois l'an. Il faut du temps pour expliquer à tous nos chrétiens ce décret. Le délai d'un an n'est pas exagéré ». Nihil de his precibus dicendum, post ea quae scribunt Vicarii Apostolici, qui conditiones regionis censentur bene noscere, et an et ad quantum tempus dilationem petitam concedere expediat EE. VV. sueta prudentia decernent. Tantum adnotandum puto, si dilatio concedatur, opportunum videri ut ad eumdem diem pro omnibus coarctetur, et ut facultas tribuatur S. C. de Propaganda Fide concedendi eamdem dilationem aliis Praesulibus, qui eam postulabunt et qui in iisdem aut in durioribus adiunctis ac Vicarii Apostolici Sinenses versentur.

Haec habui quae, potius delibando quam funditus tractando difficilem et implexam quaestionem, EE. VV. exponerem. Ceterum omnia quae scripsi ex corde sapienti iudicio Vestro submitto.

B. Pompili, *S. C. Consultor* (1).

At editis iam ac distributis foliis, ad hanc S. C. sequentia pervenerunt dubia decretum *Ne temere* respicientia.

Primus Vicarius Apostolicus Kiang-Si Orientalis petit ut in suo Vicariatu integra applicatio decreti differatur usque ad Pascha anni 1910, quum « permultis difficultatibus obnoxia est. Sane gravitas materiae exigit ut Vicarius Apo-

(1) Et hodie a Summo Pontifice renunciatus Secretarius eiusdem S. Congr. Concilii *(N. R.)*.

stolicus maturius agat et consulat necesse est suos missionarios necnon finitimos Vicarios Apostolicos circa intelligentiam et applicationem decreti in his regionibus, et tandem certas et ab errore immunes instructiones impertiri valeat tum sacerdotibus tum fidelibus suae curae commissis. Sed ob distantiam locorum, difficultatem viarum et dispersionem fidelium, vix spatium duorum annorum nobis sufficit ad publicationem et integram promulgationem dicti decreti probe enucleati ».

Vicarius Apostolicus Ce-Li Meridio-Occidentalis postulat prorogationem decreti usque ad Pascha anni 1909. Nam observat quod in imperio Sinensi « des difficultés se rencontreront à chaque cas de disparité de culte: 1°. pour la présence du prêtre; 2°. pour obtenir le consentement de la partie payenne. Comme le texte de l'article XI paragraphe 2e du décret fait espérer qu'il y aura des exceptions pour certaines régions *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum,* j'ose espérer qu'avant Pâques de l'an 1908, nous aurons reçu pour ces mariages *in disparitate cultus* un statut particulier à nos missions de Chine. Si le S. Siège ne statuait rien pour notre région en cette matière, je prie humblement Votre Eminence de nous faire accorder par le saint Père les dispenses demandées par Monseigneur Jarlin Vicaire Apostolique de Peking », qui, uti innuitur etiam in Voto Consultoris, exposcit facultatem prorogandi executionem decreti *Ne temere* usque ad Pascha a. 1909.

Etiam Vicarius Apostolicus Kiang-Si Septentrionalis in Sinis nonnullas exponit difficultates et incommoda, quae oriri censet ex decreti *Ne temere* applicatione in suo Vicariatu, super quibus aliisque similibus speciales instructiones a S. Sede impertiri petit. At quum de hisce dubiis alias ratio habenda sit, hinc eiusdem Vicarii instantia subordinata exhibetur, qua petit ut executio memorati decreti pro sua Missione dumtaxat a Paschate anni 1909 vim legis habere

incipiat. Arbitratur enim ipse promulgationem « integre, prout rei gravitatem decet, fieri non posse intra spatium aliquot mensium, scilicet ante festum Paschae proximi anni, qua die decretum vim legis incipit habere. Non enim obstant solummodo distantiae magnae christianitatum a residentiis missionariorum atque difficultates communicationum, sed et insuper ignorantia neophytorum, qui certo certius per solas Vicarii Apostolici litteras sensum atque gravitatem novae disciplinae capere non valebunt, nisi ipsemet missionarius oretenus coram eis fuse et clare totam quaestionem exponat. Porro, data sacerdotum penuria, missionarii nostri christianitates omnes adire non poterunt ante festum Paschae ».

Item Vicarius Apostolicus Hondurensis Britannicae, ob speciales suae Missionis conditiones, petit dispensationem a quibusdam decreti praescriptionibus. Videtur potius et ipsi concedenda aliqua prorogatio pro decreti obligatione, usquedum res examinari possit.

Demum Vicarius Apostolicus Mackensie in Canadà exponit « quod, ob speciales illius regionis difficultates, ad notitiam omnium et singulorum missionariorum curam animarum habentium, certo certius non veniet decretum *Ne temere* de sponsalibus et matrimonio, opportuno scilicet tempore ut quae in eo disposita sunt vim legis habere incipiant a die solemni Paschae huius anni 1908; idque quantumvis dictus Vicarius Apostolicus absque vel minima mora ad omnes et singulos ipsum decretum miserit, additis opportunis instructionibus. Quapropter enixe petit orator ut, intra limites dicti Vicariatus, usque ad festum Omnium Sanctorum protrahatur terminus ut memoratum decretum sumat vigorem ».

E contra Archiepiscopus Ottaviensis in Canadà petit utrum in posterum matrimonia mixta in provinciis Canadà habenda sint tamquam valida vel invalida. Ait enim: « Au Canadà, jusqu'à présent, comme en Hollande, en Angleterre et autres pays protestants, on a considéré comme valides

les mariages contractés devant un ministre non catholique, entre catholiques et non catholiques baptisés ou censés l'être, parce qu'ils appartenaient à l'une ou l'autre secte où l'on baptisé ».

Etiam Archiepiscopus Columbensis in insula Ceylana ab Apostolica Sede postulat declarari an Constitutio Benedictina immutatum retineat vigorem quoad matrimonia mixta, sive pars acatholica in catholica ecclesia baptizata non fuerit, sive ab eadem post baptismum defecerit. Siquidem praemittit « quod circa interpretationem decreti *Ne temere* de sponsalibus et matrimonio communiter admittitur etiam a probatis canonistis clausulam numero XI, § 2° appositam *(nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum)* alludere ad legislationem declarationis Benedictinae iam existentem, non vero ad futuras dispensationes, quarum concessionem sibi reservaret S. Sedes. Proinde, si vera sit talis clausulae praedictae interpretatio, in hac archidioecesi Columbensi, ubi ab anno 1764 publicatum est decretum *Tametsi*, ubi quoque viget ab anno 1852 declaratio Benedicti XIV, clandestina matrimonia mixta ut valide erunt habenda etiam post solemnitatem Paschae proximi anni 1908. Attamen plures adhuc haerent dubii utrum revera talis sit S. Sedis authentica mens. Asserere imo audent quidam pauci clandestina matrimonia partis catholicae cum acatholica qualibet, etiam apostata, sicut prius sub regimine declarationis Benedictinae, ita et in futuro sub novo decreto valide iniri posse, licet expressio *cum acatholicis* § 2 sensum legitimum obtinere videatur strictiorem a § 1 eiusdem n. XI ».

Tandem Emus Archiepiscopus Colonien. SSmo Dno Nostro inter alia exponit quod « in imperio Germaniae, Constitutione *Provida sapientique cura* diei 18 Ianuarii 1906, matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis non servata forma ecclesiastica contrahuntur, pro validis habenda sunt. Cum autem in eodem art. XI, § antece-

dente statutum sit, ut omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint, legibus in decreto *Ne temere* statutis teneantur, dubitari potest, num haec sanctio canonica etiam in imperio Germaniae observari debeat. Hucusque enim, ad normam responsi S. Officii die 6 m. Apr. 1859 ad Episcopum Harlemensem dati, non solum illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur ac haeresim profitentur, sed etiam, apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes, tanquam haeretici habiti sunt. Hinc factum est ut in iis regionibus imperii Germaniae, in quibus iam ante Constitutionem *Provida* pro mixtis matrimoniis dispensatum erat super forma Tridentina, e. g. in tota provincia ecclesiastica Coloniensi aliisque regni partibus, huiusmodi apostatae a fide catholica cum personis catholicis, absque forma ecclesiastica observata, valide contrahere potuerint. Quod si nunc aliter tenendum esset, haud pauca incommoda ne proveniant, merito timendum est. In hisce enim regionibus multi inveniuntur, qui e matrimoniis mixtis exorti, quamquam catholice baptizati, postea parte catholica mortua a parte superstite etiam septennio non expleto a fide catholica abducti et in haeresi educati sunt, vel etiam patre acatholico e vita sublato iuxta leges civiles in eiusdem confessione educantur, quin ullam cum Ecclesia catholica retinuerint relationem. Peior itaque facta esset conditio acatholicorum in nostris regionibus, si norma decreti *Ne temere* etiam ad imperium Germaniae extendi deberet ». Unde idem Emus vir dubium hoc efformat: « Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus ». Deinde addit: « Quod si

affirmative respondetur, humillime nomine Episcoporum omnium, qui Coloniae nuper coadunati fuerunt, rogat ut, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae existentibus supra expositis, dispensatione opportuna providere dignetur ».

Hisce positis, ut omnia relata uno veluti sub aspectu complectantur, haec praesertim dubia proposita sunt resolvenda.

Dubia. I. *An decreto* Ne temere *adstringantur etiam catholici ritus orientalis.* — Et quatenus negative:

II. *Utrum ad eosdem decretum extendere expediat.* — Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum:

III. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta.*

IV. *An sub art. XI, § 2, in exceptione enunciata illis verbis* « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum » *comprehendatur tantummodo Constitutio* Provida *Pii PP. X; an potius comprehendantur quoque Constitutio Benedictina et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia.*

V. *Num in imperio Germaniae catholici, qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem catholicam ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto* Ne temere *statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus.* — Et quatenus affirmative:

VI. *An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae existentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat.*

VII. *Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum adsistere valeant.*

VIII. *Ubinam et quomodo parochi qui, territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis adsistere valeant.*

IX. *Ubinam et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis adsistere valeat.*

X. *Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, adsistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.*

XI. *An a decreto* Ne temere *abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a Curia episcopali peragenda sunt acta, quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis adsistendi matrimoniis.*

XII. *An et quousque expediat prorogare executionem decreti* Ne temere *pro nonnullis locis iuxta Ordinariorum petitiones.*

Resolutiones. Et eadem S. Congregatio Concilii, in plenario conventu die 25 Ianuarii 1907 habito, definitivam solutionem differendam esse censuit. Verum in subsequentibus comitiis diei 1 Februarii eiusdem anni, iisdem dubiis iterum ad trutinam vocatis et sedulo perpensis, authentice respondit prout sequitur:

Ad I. *Negative* (1).

Ad II. *Ad S. Congregationem de Propaganda Fide* (2).

---

(1) Sane in casu agitur de legibus disciplinaribus, quas observare non tenentur catholici orientales, nisi expressa mentio de ipsis fiat. Sapienti praeterea consilio Emi Patres, in decreto *Ne temere* exarando, sese abstinuerunt ab Ecclesia *latina* nominanda vel *graeca* excludenda; nam, praeterquamquod decretum ipsum suo tempore etiam ad Orientales extendi fortasse potuerit, ansam non praebuerunt catholicis latini ritus, apud Graecos tamen commorantibus, se exemptos censendi ab huius legis obligatione *(N. R.)*.

(2) Huic Congregationi proinde facta est potestas decernendi num, quando et quomodo decretum ad catholicos ritus orientalis extendere expediat *(N. R.)*.

Ad III. *Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes quoad Orientales* (1).

Ad IV. *Comprehendi tantummodo Constitutionem* Provida (2); *non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SSmo; et ad mentem.*

Ad V. *Affirmative* (3).

Ad VI. *Negative, ideoque servetur decretum* Ne temere.

---

(1) Hac in re consuli etiam possunt quae sive in voto Consultoris supra relato sive in apposita adnotatione dicta sunt *(N. R.)*.

(2) Igitur Constitutio *Provida* (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 81) non ex integro sed ex parte tantum in suo robore permanet. Nam adhuc vigere pergit: 1°. quoad matrimonia mixta, quae in tota Germania citra formam Tridentinam iam contracta sunt vel in posterum usque ad Pascha currentis anni fortasse contrahentur; quia nova lex per decretum *Ne temere* introducta, sicut et ceterae leges, effectum retroactivum per se non habet; 2°. quoad matrimonia mixta, quae a *catholicis* cum acatholicis contrahentur, non servata forma in praesenti decreto praescripta. At sub nomine *catholicorum,* ad effectum sponsalium et matrimonii, ex iure communi per decretum *Ne temere* inducto *hodie* veniunt omnes in *Ecclesia* dumtaxat *catholica baptizati,* quamvis ex haeresi vel schismate aliquando conversi fuerint, aut a fide catholica, in quavis etiam *infantili* aetate constituti, defecerint et ad haeresim vel schisma transierint. Quod sane notandum est, quia hucusque iuxta responsum S. Officii diei 6 Apr. 1859, in ordinem ad matrimonium, sub nomine *haereticorum* comprehendebantur etiam tum « qui *catholice* baptizati a pueritia nondum *septennali* in haeresi educantur ac haeresim profitentur », tum « apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam *transeuntes* ». Hoc autem criterium cum retentum quoque fuerit in Const. *Provida* pro Germania, matrimonia a *veris* catholicis cum sic dictis haereticis seu apostatis contracta, omissa forma Tridentina, pro validis antehac habebantur: quod in posterum non amplius currit. Item formam in praesenti decreto sancitam servare tenentur, etiam in Germaniae imperio, non solum proprie dicti catholici, contrahentes inter se vel cum supra recensitis haereticis seu apostatis, verum etiam iidem apostatae inter se sponsalia et matrimonium ineuntes *(N. R.)*.

(3) Hoc responso magis declaratur Constitutionem *Provida* sua vi non destitui dumtaxat quoad matrimonia mixta, quae in § 2, art. XI decreti *Ne temere* recensentur; non autem in coeteris, praesertim vero in statutis ab art. XI, § 1, ut iam monuimus *(N. R.)*.

Ad VII. *Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum* (1).

Ad VIII. *Affirmative in territorio cumulative habito* (2).

Ad IX. *Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SSmo* (3).

Ad X. *Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.*

Ad XI. *Servetur solitum* (4).

Ad XII. *Ad Emum Praefectum cum SSmo* (5).

---

(1) Dicti cappellani castrenses et parochi habere nequeunt potestatem *territorialem,* prout ipsa sancita fuit a decreto *Ne temere;* eorum enim subditi non commorantur in fixo territorio, ne in territorio quidem aliis parochis assignato. Hinc illius generis parochi retinent, prout sub iure Tridentino, potestatem *personalem* quoad sponsalia et matrimonia suorum tantum subditorum, quos ubilibet coniungere valent *(N. R.).*

(2) Hi parochi, quum aequiparentur aliis parochis territorium separatum habentibus, potestate territoriali fruuntur ita ut matrimoniis tum suorum subditorum tum extraneorum in territorio cumulativo adsistere possint *(N. R.).*

(3) Parochus in casu accensetur quodammodo parochis, de quibus ad dubium VII, cum limitatione tamen quod, praeterquam in propria paroeciali ecclesia, nonnisi intra limites determinati territorii, ubi personae seu familiae sibi subiectae degunt, ipsarum matrimoniis valide assistere valet *(N. R.).*

(4) Recensita praxis vigere videtur in omnibus fere dioecesibus, quia Curiae ecclesiasticae generatim vel per se, vel per personas specialiter delegatas, acta explent quae ad statum liberum nupturientium dignoscendum pertinent, atque necessariam veniam concedunt parochis pro matrimoniorum celebratione. Ceterum decretum *Ne temere* quum art. V, § 1 decernat « *constito* legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis », eo ipso non excludit, imo supponit interventum Curiae in actis peragendis circa statum liberum contrahentium. Non enim dicitur parochum ipsum teneri ad huiusmodi acta *explenda,* sed tantum eidem *constare* debere de libero nupturientium statu *(N. R.).*

(5) Qua formula indigitatur, factam fuisse facultatem Emo Praefecto S. C. ut rem referret Summo Pontifici pro necessariis et opportunis dispositionibus *(N. R.).*



EX S. CONGREGATIONE RITUUM



ORDINIS PRAEDICATORUM

Conceditur transferri festum S. Francisci Assisiensis.

Reverendissimus Pater frater Maria Henricus Desqueyrous, Procurator generalis Ordinis Praedicatorum, iuxta votum Capituli generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X humillimis precibus rogavit, ut festum Sancti Francisci Assisiensis, quod ab universo eodem Ordine, die 4 Octobris, sub ritu toto duplici primae classis cum Octava solemni recolitur, transferri valeat in sequentem diem quintam eiusdem mensis, quoties inciderit in Dominicam primam Octobris, solemnitati Sanctissimi Rosarii, ceu propriam sedem adsignatam; translato quoque iuxta Rubricas officio Beati Raymundi Capuani Confessoris.

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces; servatis peculiaribus Ordinis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



LUGANEN.

De benedictione episcopali petenda a canonico theologo sacram Scripturam fidelibus explicaturo.

Hodiernus magister caeremoniarum ecclesiae cathedralis Luganensis, de consensu sui R̃mi D̃ni Episcopi, Sacrorum

Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna declaratione humiliter proposuit, nimirum:

An canonicus theologus sacram Scripturam populo explicaturus debeat benedictionem ab Episcopo pontificaliter celebrante vel adsistente petere, prout praescribitur in Caeremoniali Episcoporum pro canonico concionatore infra missarum sollemnia?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio reque sedulo perpensa, proposito dubio respondendum censuit: Affirmative iuxta Caeremoniale lib. I, cap. XXII, n. 2; et lib. II, cap. VIII, n. 51 (1). Atque ita rescripsit ac declaravit, die 6 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

DECRETUM

Super festo SS. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. M. V.

Quum dies undecima mensis Februarii hucusque propria seu quasi natalitia SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. confessorum amodo maneat impedita a festo Apparitionis B. M. V. Immaculatae eidem diei affixae et per decretum *Urbis et Orbis* 13 Novembris 1907 ad universam Ecclesiam extenso (2), Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, statuere ac decla-

(1) Caeremoniale Episcoporum primo loco, quum Episcopus tantum assistit missae solemni, haec habet: « *Quicumque* sermonem habiturus, finito Evangelio, ducendus est per caeremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam, nisi fuerit canonicus, genuflexus osculatur; canonicus autem stans profunde inclinatus, osculatur manum, deinde benedictionem petit, dicendo: *Iube Domne benedicere,* etc. ». Eadem repetit Caeremoniale Episcoporum secundo loco citato in solemni missa pontificali *(N. R.).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 747.

rare dignatus est, ut enunciatum festum SS. Septem Fundatorum calendario universali inscribatur die insequente, quae est prima libera iuxta Rubricas, nempe duodecima eiusdem mensis Februarii, tanquam propria seu quasi natalitia; atque in casu impedimenti pro aliquibus locis, institutis et ecclesiis servetur decretum generale n. 3811 *Super duobus festis vel officiis eadem die occurrentibus,* diei 21 Novembris 1893. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ANGELOPOLITANA

De usu lucis electricae et de cantu mulierum in ecclesiis.

Rm̃us Dñus Raymundus Ibarra et Gonzalez, Archiepiscopus Angelopolitanus in republica Mexicana, a S. Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter exposcit:

I. Per decretum S. R. C. n. 3859 die 4 Iunii 1895 declaratum fuit « lucem electricam adhiberi posse in templis non ad cultum sed ad tenebras depellendas, seclusa omni theatrali specie » (1). Iamvero cum a nonnullis tale decretum nimis late interpretari videatur, ad controversias dirimendas, quaeritur in particulari:

1. Licebitne apponere in altari in quo SS. Sacramentum publicae fidelium patet venerationi electricas lampades, sive tabernaculum circa, sive in vasis florigeris quae inter candelabra locantur?

2. Fasne erit imagines SS. Cordis Iesu, vel B. Mariae Virginis iisdem electricis circumcingere luminibus, ad instar scilicet fulgidae coronae circa caput, lunae sub pedibus, vel

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 28, pag. 53.

ad modum solarium radiorum ad latera; et in capitibus duodecim Apostolorum linguas igneas effingere rubeis lampadibus?

3. Permittine demum poterit quod in lampadibus quae ex ecclesiae fornicibus pendent, candelae ex cera, fictis candelis electricis substituantur?

II. Per decretum n. 3964 *De Truxillo* die 17 Septembris 1897 prohibitum fuit ut « mulieres ac puellae intra vel extra ambitum chori canant in missis solemnibus », idemque confirmatum est die 19 Februarii 1903 (1). Attamen cum in *Motu proprio* SS. D. N. Pii PP. X *Inter pastoralis officii* de musica sacra d. d. 22 Novembris 1903 praecipiatur ut « cantus gregorianus in populi usus restituendus curetur, quo ad divinas Laudes mysteriaque celebranda magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant » (2) quaeritur: Licebitne permittere ut puellae ac mulieres in scamnis sedentes, ipsis in ecclesia assignatis separatim a viris, partes invariabiles missae cantent; vel saltem extra functiones stricte liturgicas, hymnos aut cantilenas vernaculas concinant?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitis votis utriusque Commissionis tum Liturgicae tum de musica et cantu sacro, omnibusque sedulo perpensis, ita rescribendum censuit:

Ad I. Pro tribus quaestionibus particularibus dentur et serventur decreta iuxta alias similes resolutiones (3).

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 35, pag. 622. In citato decreto *De Truxillo* ad propositum dubium: « an servari possit mos in aliquam ecclesiam, etiam cathedralem, invectus, ut mulieres ac puellae intra vel extra ambitum chori canant in missis solemnibus, praesertim diebus per annum solemnioribus », rescriptum fuit: « Invectam consuetudinem, utpote Apostolicis et ecclesiasticis praescriptionibus absonam, tamquam abusum esse prudenter et quamprimum eliminandam, cooperante Capitulo seu clero ipsius ecclesiae curae et auctoritati Rmi sui Ordinarii » *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 36, pag. 329 et 387.

(3) Ad primam propositam quaestionem videtur, esse negative respondendum iuxta decretum in *Natcheten*. 16 Maii 1902 (Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 34,

Ad II. Affirmative ad utrumque, et ad mentem. Mens est: 1°. ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis Laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis; et 2° ut ubi ufficiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum, praesertim in cathedralibus ecclesiis non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda; et cauto semper ut quaevis inordinatio vitetur (1).

Atque ita rescripsit, die 17 Ianuarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



NOVARIEN.

De Missa et officio persolvendis iuxta ritum ecclesiae.

R. D. Petrus Gnappa, canonicus praepositus loci *Cannobio* dioecesis Novariensis, de consensu sui R̃mi Episcopi, Sacro-

---

pag. 761), quo generatim prohibetur lux electrica una simul cum candelis ex cera super altari. Quoad alteram vero, quum in casu non agatur de proprie dicto cultu, res remittenda videtur prudenti Ordinarii iudicio, prout iam decisum fuit in Declaratione diei 22 Nov. 1907 (Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 750), dummodo quaevis theatralis species excludatur: ceterum hic mos in pluribus ecclesiis Urbis ipsaque in Basilica Vaticana inductus conspicitur. Denique nullum dubium adesse potest relate ad tertiam quaestionem; nam in casu lux electrica non stricte inservit ad cultum sed potius ad depellendas tenebras et ecclesiam splendidius illuminandam, sicuti declaratum fuit in decreto diei 4 Iunii 1895 (Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 28, pag. 53) – *(N. R.)*.

(1) Hodierna decisione aliquantisper mutatur disciplina hucusque vigens circa cantum mulierum in ecclesia. Imprimis in functionibus etiam liturgicis magis inculcatur cantus simultaneus vel alternativus fidelium sive virorum sive mulierum, quae tamen extra chorum et ambitum organi stare debent separatae a viris. Quin imo generatim loquendo admittitur etiam cantus exclusivus mulierum, iuxta modum supra dictum, praesertim cum non extent pueri vel viri ad canendum apti. In cathedralibus vero aliisque ecclesiis, in quibus adest ufficiatura choralis, cantus exclusivus mulierum non permittitur nisi ex gravi causa ab Episcopo approbanda *(N. R.)*.

rum Rituum Congregationi humillime exposuit, morem esse in dioecesi Bergomensi et Ticinensi, ut tam viceparochi quam vicecoadiutores ecclesiarum ritus ambrosiani celebrent missam, et officium recitent ritu ambrosiano; sicuti consuetudo est in dioecesi Mediolanensi, ut viceparochi et vicecoadiutores paroeciae ritus romani celebrent et officium persolvant eodem ritu romano. Quum vero etiam in Novariensi dioecesi extent ritus ambrosiani paroeciae, inter quas paroecia loci *Cannobio* recensetur, idem orator sequens dubium pro opportuna solutione proposuit:

Utrum viceparochis et vicecoadiutoribus ecclesiarum ritus ambrosiani, quae in dioecesi Novariensi existunt, et in iis qui ad nutum ab Ordinario dati sunt, ut in administratione sacramentorum aliisque parochialis officii ministeriis inserviant, licitum sit missam celebrare ritu ambrosiano iuxta calendarium Mediolanense et officium persolvere ritu romano iuxta calendarium Novariense?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia reque accurate perpensa, propositae quaestioni respondendum censuit:

Negative, et quum praedicti sacerdotes ecclesiis ambrosiani ritus inserviant, officium, sicut missam, ambrosiano ritu persolvant (1).

Atque ita rescripsit, die 17 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

(1) Quum ritus ecclesiam directe afficiat, generatim loquendo non licet missam et officium persolvere nisi iuxta ritum particularis ecclesiae proprium. Etenim S. C. Rituum nuper in decreto diei 18 Dec. 1906 ad I (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 54) declaravit quod usus liturgicus linguae glagoliticae « considerari et haberi ab omnibus debet ut privilegium *locale,* quibusdam adhaerens ecclesiis, minime vero ut *personale* ». Hoc autem verum est praesertim quoad clericos alicui ecclesiae *stricte adscriptos,* cuiusmodi censentur parochi, viceparochi, aliique praesbyteri a loci Ordinario ecclesiae, etiam ad nutum, adscripti,

Benedictio novae campanae, quae ad usum ecclesiae sive sacelli inserviat.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
Psal. 50. Miserere mei, Deus.....
Psal. 53. Deus, in nomine tuo.....
Psal. 56. Miserere mei Deus, miserere mei.....
Psal. 66. Deus misereatur nostri.....
Psal. 69. Deus in adiutorium meum.....
Psal. 85. Inclina Domine aurem tuam.....
Psal. 129. De profundis clamavi.....
℣. Kyrie eleison.
℟. Christe eleison.
℣. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus

Deus, qui per beatum Moysen, legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri praecepisti, quibus dum sacerdotes tem-

---

ut in ea constanter sacramenta administrent aut alias sacras peragant functiones. Quin imo hoc principium, saltem ex parte, quandoque applicavit S. C. Rituum etiam clericis alicui ecclesiae *late adscriptis,* qui nempe nonnisi quandoque celebrant in dicta ecclesia. Ita in decreto diei 10 Ian. 1902 ad 2 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 34, pag. 431) statutum fuit, « huiusmodi sacerdotes ritus ambrosiani, celebrantes aliqua vice missam *parochialem* in ecclesiis ritus ambrosiani, sequi debere calendarium et ritum ambrosianum ». Cfr. etiam De Herdt, *Praxis S. Lit.,* vol 2, n. 227 *(N. R.).*

pore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret praeparatus, et ad celebrandum conveniret: praesta quaesumus; ut hoc vasculum, sanctae tuae Ecclesiae praeparatum, a Spiritu Sancto per nostrae humilitatis obsequium sancti✠ficetur, ut per illius tactum et sonitum fideles invitentur ad sanctam ecclesiam et ad praemium supernum. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei, procul pellantur omnes insidiae inimici, fragor grandinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, prosternat aereas potestates dextera tuae virtutis: ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant et fugiant ante sanctae crucis vexillum in eo depictum. Quod ipse Dominus noster praestare dignetur, qui absorpta morte per patibulum crucis regnat in gloria Dei Patris cum eodem Patre et Spiritu Sancto, per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Nunc Officians ponit incensum in thuribulum et benedicit (1); *et primum aqua benedicta aspergit circumeundo campanam, choro dicente:*

Asperges me Domine hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor.

Dein incensat circumeundo campanam, choro dicente:

Dirigatur Domine oratio mea: sicut incensum in conspectu tuo.

Officians prosequitur:

OREMUS

Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato et imperante dissiluit: tu necessitatibus populi tui benignus succurre: tu hoc tintinna-

(1) Omissis nempe aliis caeremoniis et unctionibus a Pontificali Romano praescriptis (N. R.).

bulum Sancti Spiritus rore perfunde; ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus, invitetur ad fidem populus christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus, ac sicut davidica cithara delectatus desuper descendat Spiritus Sanctus: atque ut Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum regis aeterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantium; ita dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiae tuae conventum manus conservet angelica, fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te, Christe Iesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate eiusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

℣. In honorem Sancti N.

℟. Amen.

Tum Officians producit super campanam benedictam signum crucis et discedit cum ministris.

ROMANA

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

An praeter ritum de benedictione simplici novae campanae, quae tamen ad usum ecclesiae non inserviat, uti in *Appendice* ad Rituale Romanum, et ritum de benedictione signi vel campanae pro ecclesia vel sacello, uti in Pontificali Romano (de quo utroque ritu agitur in decreto n. 3770 *Sedunen.* (1) 4 Martii 1892), adhiberi possit alter brevior ritus ad campanas in usum sacrum benedicendas. Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis Liturgicae sententia omnibusque accurate perpensis, ita rescribendum censuit: Affirmative cum ritu adprobato, prouti extat in superiori exemplari. Attamen haec benedictio ab Episcopo, vel ab aliis facultatem habentibus

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 25, pag. 57.

facienda est (1); et quod attinet ad ecclesias consecratas in benedictione signi vel campanae decentius servetur ritus Pontificalis Romani.

Quam resolutionem SSmo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatam, Sanctitas Sua in omnibus ratam habere atque approbare dignata est. Die 22 Ianuarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

(1) Campanarum benedictio iuxta ritum in Pontificali Romano praescriptum nonnisi ad unum Episcopum pertinet, qui imo nec sacerdotes ex sua ordinaria potestate delegare valet, sed ad hoc indiget speciali S. Sedis indulto. Ratio in eo est quod, ut tradit Ferraris *(Bibl. can., verb.* Campana, *n. 8)* « unctio, quae debet fieri sacris oleis, est ordinis episcopalis ». Cfr. etiam Benedictus XIV *(Inst. 47, n. 38)*; De Herdt *(Praxis S. Liturgiae, vol. 3, n. 136)* aliique ab eo citati. Caeterum S. C. Rituum hoc pluries declaravit, signanter vero in *Tirasonen.,* diei 16 Maii 1744, n. 2377 ad 4 et 5, et in *Eistetten.,* diei 23 Iunii 1853, n. 3015 ad 1. At decreto diei 4 Martii 1892 in *Sedunen.* n. 3770 ad 2 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 25, pag. 57) S. C. Rituum primum approbavit formulam benedictionis simplicis pro nova campana ad usus profanos destinata. Quum igitur ad huiusce generis campanas benedicendas non requiratur sacrum chrisma sed dumtaxat aqua benedicta, hinc Episcopi huiusmodi facultatem aliis etiam simplicibus presbyteris delegare iure proprio possunt. Quoad campanas vero ad usum sacrum pertinentes, nunquam earum benedictionem Ecclesia permisit omissa unctione, quemadmodum colligere est ex decretis S. C. Rituum in *Maioricen.,* diei 19 Aprilis 1687, n. 1781; in citata *Eistetten.,* diei 23 Iunii 1853, n. 3015 ad 2 et 3; et praesertim in *Strigonien.,* diei 9 Maii 1857, n. 3042 ad 2. Dumtaxat casus excipiendus erat, si nempe campana solemniter benedicenda esset, quin e turri demitti posset; tunc enim, uti legitur in decreto *Perusina* diei 16 Iulii 1594, n. 52 ad 3, quum non deceret Episcopum pontificalibus indutum vestibus turrim ascendere, satis erat ut aliquis sacerdos turrim ascenderet et aqua benedicta campanam aspergeret. Modo autem vi hodiernae decisionis, quilibet sacerdos ab Episcopo rite delegatus benedicere valet, iuxta formulam simplicis benedictionis nunc approbatam, campanas quoque ad usum sacrum inservientes, adhibita sola aqua benedicta *(N. R.).*

DUBIORUM

De usu corollae ligneae in altari, de cantu " Tantum ergo " deque Eucharistiae asservatione.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt, nimirum:

I. Utrum adhiberi possint corollae ligneae, quae super tobaleas altarium aras circumcingunt?

II. Utrum, non obstante consuetudine, in functione benedictionis cum SSmo Eucharistiae Sacramento, liceat, dum exponitur, vel postquam expositum fuerit idem SSmum Sacramentum, statim canere primam stropham *Tantum ergo* usque ad *Genitori,* inde Litanias Lauretanas cum relativa Oratione, ac tandem alteram stropham *Genitori* etc.?

III. Utrum liceat asservare SS. Eucharistiam in altari baldachinum habente, quamvis super illud habeatur habitaculum cum lectulo?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 11 (1).

Ad II. Negative iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n. 27, et decretum n. 3513 *Delegationis Apostolicae Peruvianae,* 15 Aprilis 1880 (2).

---

(1) Ibi enim legitur: « Nullae coronides ligneae circa altaris angulos ducantur » *(N. R.).*

(2) Caeremoniale Episcoporum *loc. cit.* praescribit ut, facta SSmi Sacramenti expositione, statim post cantum strophae *Tantum ergo* etc. addantur stropha *Genitori* et oratio *Deus qui nobis.* Citatum decretum prostat in *Acta S. Sedis,* vol. 21, pag. 626 *(N. R.).*

Ad III. Negative ex decreto n. 3525 *Papien.* 23 Novembris 1880 ad II (1).

Atque ita rescripsit, die 24 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Indulgentia conceditur orantibus pro peccatoribus moribundis.

Ex audientia SSmi, die 26 Octobris 1907.

SSmus D. Noster Pius PP. X sacerdotibus Sacrum litantibus, nec non universis christifidelibus missae sacrificio adstantibus, qui peccatores totius mundi *tunc temporis in agonia positos, et eodem die morituros,* pie Deo commendaverint, indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuo valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 10 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 21, pag. 637 ad III, ubi id conceditur tantum ex gratia speciali *(N. R.).*

Indulgentia adnectitur oblationi omnium missarum pro peccatoribus moribundis.

OFFRANDE DE TOUTES LES MESSES

Mon Dieu, je vous offre toutes les Messes, qui se célèbrent aujourd'hui dans le monde entier, pour les pécheurs, qui sont à l'agonie, et qui doivent mourir ce même jour. Que le Sang précieux de Jésus Rédempteur leur obtienne miséricorde.

Ex audientia SSmi, die 26 Octobris 1907.

SSmus universis christifidelibus suprapropositam precem corde saltem contrito ac devote recitantibus, indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 18 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Indulgentia pro clericis in superpelliceo assumendo.

Ex audientia SSmi, die 1 Decembris 1907.

SSmus Dñus Noster Pius PP. X libenter in Dño concessit, ut indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, consequi valeant quotquot in seminariis aliisve collegiis et asceteriis in spem Ecclesiae rite instituuntur, atque omnes et singuli cuiuslibet gradus et ordinis clerici, quotiescumque, in assumendo de more superpelliceo, se cruce signent pieque sic orent: *Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia et sanctitate veri-*

tatis. Amen. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 1 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro iaculatoria prece ad Cor Iesu Eucharisticum.

Tres Saint Père,

Mathias Raus, recteur majeur des Rédemptoristes et directeur général de l'Archiconfrérie du Cœur Eucharistique de Jésus, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de vouloir bien accorder l'indulgence de trois cents jours, *toties quoties,* applicable aussi aux âmes du Purgatoire, à tous les fidèles qui réciteront dévotement l'oraison jaculatoire: *Cœur Eucharistique de Jésus, ayez pitié de nous.*

Et que Dieu etc.

Ex audientia SSmi, die 26 Decembris 1907.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces, in perpetuum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die et anno uti supra.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia conceditur recitantibus precem S. Luciae.

PREGHIERA A S. LUCIA

O Santa, che dalla luce hai nome, a Te, pieni di fiducia, ci presentiamo, affinchè c'impetri una luce sacra, la quale ci

renda cauti per non incamminarci nelle vie del peccato e per non rimanere avvolti dalle tenebre dell'errore. Imploriamo altresì, per tua intercessione, la conservazione della luce degli occhi, con una grazia abbondante per usare questi sempre secondo il divino beneplacito, senza mai alcun detrimento dell'anima. Fa, o Lucia, che dopo averti venerata e ringraziata pel tuo efficace patrocinio su questa terra, arriviamo finalmente a goder teco in paradiso della luce eterna del divino Agnello, il tuo dolce sposo Gesù. Così sia.

Ex audientia SSmi, die 29 Decembris 1907.

SSmus Dñus Noster Pius PP. X universis christifidelibus, supra relatam precem corde saltem contrito ac devote recitantibus, indulgentiam trecentorum dierum, semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 29 Decembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Indulgentia adnectitur salutationi B. M. V. Immaculatae.

Beatissime Pater,

Presbyter Michael Cardell et Thomas, Praepositus Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Palmae Maioricarum, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit:

Quod promulgata solemniter in Hispania anno 1662 Constit. *Sollicitudo omnium ecclesiarum* edita in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. die 8 Decembris praecedentis anni ab Alexandro PP. VII iuxta preces Catholici Regis Philippi IV et per Legatum suum D. Ludovicum Crespi a Borgia

et Valdaura, Plasentinum Episcopum et Congregationis Oratorii primum plantatorem Valentiae in Hispania, manet ex tunc pia consuetudo Immaculatam Virginem Mariam salutandi a fidelibus sive in viis occurrentibus, sive domum intrantibus, sive denique quamlibet blasphemiam audientibus, his quam dulcissimis verbis: *Ave Maria purissima,* quibus ab audientibus sic respondetur: *Sine peccato concepta.* Haec autem, quae antonomastice appellari potest hispana salutatio, de die in diem et paulatim oblivioni traditur. Ideo suprascriptus Praepositus praedictae Congregationis Maioricensis, oriundae a Valentina superius memorata, desiderans quamplurimum ne deflectat haec consuetudo, sed e contra magis magisque stabiliatur, a S. V. enixis precibus postulat, ut omnibus fidelibus in hispanica ditione degentibus, qui hanc piissimam salutationem *Ave Maria purissima* devote recitaverint, vel eidem *Sine peccato concepta* responderint, concedatur a S. V. indulgentia quinquaginta dierum toties quoties; iis vero, ex praedictis christifidelibus, qui quotidie illam recitare consueverint, plenaria indulgentia semel in mense lucranda, die, eorum arbitrio eligendo, quo, confessi ac S. Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint et inibi ad mentem S. V. pie oraverint.

Et Deus etc.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 8 Ianuarii 1908 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 8 Ianuarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



EX VICARIATU URBIS

DECRETUM

Quo in Urbe prohibetur libellus periodicus " Nova et vetera „.

Libellus periodicus recens, cui titulus *Nova et vetera,* « Rivista quindicinale, Roma, Società internazionale scientifico-religiosa »; cum sibi proposuerit doctrinas modernistarum, nuper ab Ecclesia damnatas, defendere, novissimasque opiniones audeat invehere catholicae veritati pariter adversantes; Nos, pro munere quo fungimur, saluti animarum fideique incolumitati prospicere volentes, eundem, ordinaria auctoritate, prohibemus et proscribimus, atque prohibitum et proscriptum declaramus.

Nemo ideo eum imprimat vel imprimi faciat, nemo vendat aut legat. Si secus quis fecerit, is noverit graviter peccasse. Praeterea clerici cuiusque ordinis, qui periodico eidem se consocient, vel si iam consociationem fecerint, quamprimum eam non retractent, noverint se suspensionem a divinis ipso facto incurrisse.

Datum Romae, die 28 Ianuarii 1908.

PETRUS RESPIGHI, *Card. Vicarius.*

Franciscus Can. Faberi, *Secretarius.*



ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pius PP. X occasione congressus generalis hortatur catholicos Austriae ad concordiam contra Ecclesiae hostes.

DILECTO FILIO NOSTRO
ANTONIO IOSEPH TIT. S. MARIAE ANGELORUM IN THERMIS
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GRUSCHA
ARCHIEPISCOPO VINDOBONENSIUM

VINDOBONAM.

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Habitus, biennio ante, a catholicis Austriae conventus, iter ad salutem religionis et patriae cum maxime accommodum aperuit, quod quidem catholicos ipsos gloriose institisse pervidemus. Id Nobis, ad solatium vehemens, spectabiles alacresque viri enarravere, quibus officium est demandatum novi comparandi, in proximum Novembrem mensem, catholicorum ex universa Austria congressus. Miram hi namque descripsere voluntatum concordiam, cuius uno invictoque ductu, Sedis Apostolicae commendato scriptis, impetum repellere hostium, in negotiis ad religionem civilemque cultum proxime pertinentibus, Austriae catholicae licuit. Porro parem huic tantae laetitiae voluptatem illud Nobis conciliavit, deliberatum catholicis istis itidem esse unitatem firmitatemque animorum servare posthac immotam, si certo perpetuoque velint tuitionis et victoriae metam attingere. Caussa enimvero frugiferi confirmandi propositi oh utinam desit! Contra pervulgatum illud est, profligari Ecclesiae hostes novisse, quiescere et ponere arma non item. Nec sane conquiescunt apud vos inimici, quum aut Ecclesiam progredientibus humanae sapientiae luminibus calumniati infensam, providentissimam auctoritatem eius interdicere institutione iuventutis publicisque

scholis adnituntur; aut commentis promissisque multitudines irretiri male cautas, opificum praesertim, et ab Ecclesiae matris complexu seiungere conantur. Paratis igitur, immo omni nisu contendentibus sacra civilemque rem in gravissimis vitae generibus adoriri, ea vobis obiicienda sola est vis, quae, ut probe estis intuiti, consensu concordiaque gignitur. A Nobis quantum est, hortationem habetote ex intimo prodeuntem corde, ne quando victoriae gloriam utilitatemque cum dedecore deseratis. Si vobis, quod certo percepimus, et animorum et vitae praesentis sunt cordi emolumenta, multo maior quam illis, est adhibenda in decertando contentio, quos unum idque saepe commenticium huius aevi commodum movet. Summis autem utilitatibus, quae proximo sunt assequendae congressui, minus equidem esse aptam industriam humanam intelligimus, nisi divina etiam praesto sint adiumenta. Iis propterea singulis, qui parando conventui dant operam, universisque catholicis, qui congressionis participes erunt, luminum viriumque caelestium copiam deprecamur, gratiaeque auspicem, eamdemque indicem studii, unde personas laboresque coetus prosequimur, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Octobris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X

ALLOCUTIO

Quam die 13 Februarii 1908 Pius X habuit ad Orientales.

Ringraziamo vivamente Lei, Signor Cardinale e con Lei gli egregi del Comitato pel molto che fecero onde render splendide le feste quindici volte centenarie dell' insigne Padre e Dottor della Chiesa S. Giovanni Grisostomo, e con Voi ringraziamo il Venerando Patriarca e tutti gli altri Ve-

nerabili fratelli e figli carissimi, che con tanto loro disagio vennero dal lontano Oriente a rendere più solenne questa ricorrenza nella capitale del mondo cattolico. Come colla massima compiacenza abbiamo assistito ieri al solenne Pontificale, che ci trasportava ai tempi di S. Giovanni Grisostomo, nelle Basiliche di Antiochia e di Costantinopoli, così oggi ci gode l'animo di vedervi qui riuniti per dare una prova novella del vostro attaccamento alla cattolica Chiesa e alla Sede Apostolica, e di perfetta adesione alla dottrina di Gesù Cristo di cui essa è depositaria. Volesse il Signore che come abbracciamo Voi nella carità di Gesù Cristo, così potessimo fare con tutti gli altri fratelli e figli che si mantengono lontani dal centro della cattolica unità! Perchè a Noi è oltremodo soave la rimembranza stessa delle glorie e dei meriti incomparabili che vanta l'Oriente. Ivi infatti è la culla dell'umano riscatto e le primizie del Cristianesimo, di là a guisa di fiume regale si diffuse nell'Occidente la dovizia dei beni inestimabili recatici dal Vangelo di Gesù Cristo. — Nè si spegnerà giammai la rinomanza di quegli illustri Orientali, che, inspirati e guidati dal genio del cattolicismo, poterono salire ad ogni più pregiata grandezza, e mercè la santità, la dottrina, lo splendor delle imprese, raccomandare ai posteri la gloria del loro nome. Le quali cose riandando col pensiero ci sentiamo, come i nostri Predecessori, animati dalla più viva brama di adoperarci con ogni potere, affinchè in tutto l'Oriente torni in fiore la virtù e la grandezza di una volta, e si distruggano quei falsi concetti e quei pregiudizî che diedero argomento alla fatale divisione.

E infatti la Chiesa ben lungi dal dimostrarsi ingiusta e parziale verso i popoli orientali, non ha mai cessato di trattarli con materna predilezione. Se si leggano il Martirologio e il Bollario Romano, gli atti dei Concilii particolari o generali tenuti in Occidente, come a Clermont, a Lione, a Firenze, a Trento, o piuttosto se si legga la storia di quindici

secoli, sarà impossibile tacciare per un solo atto il Papato di rigore o di indifferenza verso l'Oriente.

Il nostro calendario dà un posto d'onore a tutti i santi Pontefici e Dottori dell' Oriente, la nostra liturgia è piena delle loro sapienti Omelie; le lettere e Costituzioni Pontificie mostrano una costante sollecitudine pei sacri interessi delle loro Chiese, e intorno a molti punti considerevoli della disciplina ecclesiastica, l'Occidente si contentò di difendere la propria tradizione, e si mostrò pieno d'indulgenza per le pratiche differenti delle Chiese Orientali. La Santa Chiesa tratta da un pensiero di pacificazione non ha forse sanzionato colla suprema sua autorità la preminenza che Costantinopoli aveva usurpato sui Patriarcati Apostolici dell'Oriente? Non è finalmente il Papato che ha chiamato a raccolta tutte le nazioni cristiane per togliere il divino anatema, che pesa sulla città deicida, e per riscattare Gerusalemme dal giogo degli infedeli? Che se tanti sforzi restarono senza un felice successo, voi lo sapete umanamente il motivo, o Venerabili Fratelli. Ma nessuna meraviglia che l' Oriente non abbia voluto associarsi ai Latini, per la liberazione dei luoghi santi, quando si rifiutarono di ascoltare le preghiere della Chiesa per la loro istessa libertà, e i figli ribelli preferirono alle tenerezze della madre un giogo durissimo.

Ciò non pertanto il Papato non ha mai cessato di piangere sulla sorte infelice di tanti figliuoli; e, per non ricordare fatti lontani, bastano le Lettere Encicliche del 6 Gennaio 1848 di Papa Pio IX, l' invito amoroso con cui lo stesso Pontefice, 8 Settembre 1868, colla carità la più viva e più delicata, col desiderio più ardente della pace e dell'unione, prega tutti i Vescovi dissidenti a venire al Concilio Vaticano e li scongiura ad imitare i loro predecessori, che risposero all'appello dei Papi Gregorio X e Eugenio IV per recarsi al secondo Concilio di Lione e a quello di Firenze. Ma basterà per tutto la carità dimostrata dal Nostro immediato

Predecessore Leone XIII, che, sempre preoccupato da questo pensiero, per gli Orientali non ha risparmiato preghiere, esortazioni e sacrifici, e, in un momento solenne, nonchè distinguere con segni di vera predilezione un figlio, che ritornava tra le braccia del padre, con una singolare eccezione alle regole generali della ecclesiastica disciplina, gli concedeva i titoli, le insegne e gli onori della dignità vescovile malamente conferitagli da alcuni prelati disertori dalla cattolica unità. Per il che, o Venerabili Fratelli, l'Oriente non ha altri nemici che le sue divisioni, i suoi errori, e la passione che lo ha fatto giuoco prima degli imperatori e poi dei suoi più accaniti nemici. E ciò che resta della dignità dell'Oriente è quello soltanto, che ha avuto il coraggio di stabilirsi sotto la benigna influenza di Roma. Siete voi, Venerabili Fratelli, che vivendo nella povertà e assoggettandovi a tutte le privazioni, tenete ancora in onore le sacre tradizioni dei vostri Antenati. Siete voi che non risparmiate fatiche per convertire i vostri fratelli, siete voi, che formate il nostro gaudio e la nostra corona.

Ritornando pertanto ai vostri paesi dite a tutti, che la dignità e lo splendore dell' Oriente non è in alcun luogo tanto caro come a Roma. Che qui i diversi riti orientali sono trattati con onore, regolarmente celebrati in molte Chiese, e si uniscono frequenti alle ceremonie papali. Dite, che una Congregazione speciale è incaricata di vigilare sulla sua conservazione, come alla sua ortodossia. Che la Propaganda manda tutti gli anni a tutte le parti dell'Oriente dei giovani preti indigeni, ch'essa ha nutriti ed educati secondo le tradizioni ortodosse dei loro paesi, e ai quali impone la legge di restar fedeli ai riti delle rispettive loro nazioni. Dite che Roma è così attenta per togliere ogni pretesto alle divisioni, che resiste con fermezza allo zelo ardente dei neofiti, che vorrebbero abbracciare la sua disciplina.

Dite che l'Oriente resterà sempre il paese dell'aurora e che

le sue plaghe ridenti non cesseranno di mandarci il lume della natura; ma, poichè il Signore ha eletto Roma per essere il testamento della nuova alleanza, è di qua che spande i suoi raggi il sole della verità e della grazia come l'han proclamato di gran cuore gli stessi Orientali in tante occasioni.

Dite finalmente che il Papa guarda a loro con affetto straordinario, e fa voti che per l'intercessione del santo glorioso, di cui celebriamo le feste, si rinnovi per le Chiese di Oriente il fatto dei primi secoli della Chiesa, quando dall' Oriente erano chiamati gli Anacleti, gli Evaristi, i Telesfori, i Zosimi, i Teodori ed altri fino al terzo Gregorio a governare la Chiesa di Gesù Cristo.

A tal uopo nell'umiltà del nostro cuore supplichiamo caldamente il Principe dei Pastori, perchè si degni far balenare la divina sua luce alle menti di tanti traviati e infondere loro quel generoso coraggio, che li faccia entrare nell'unico ovile di Cristo, e riconoscere la sovrana autorità dell' unico supremo pastore di tutta la Chiesa.

Intanto a pegno della viva nostra gratitudine e della nostra particolare affezione impartiamo a voi Venerabili Fratelli e diletti Figli e a tutti i cattolici dell'Oriente l'Apostolica benedizione.

EX SECRETARIA BREVIUM

Indulgentia plenaria in forma iubilaei conceditur visitantibus cryptam de " Massabielle „ civitatis Lapurdensis.

PIUS PP. X

Universis Xtifidelibus praesentes Litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Summa Deus hominum miseratione motus, mirifica subinde facit, quibus religionis veritatem adserendo, dum fidelium ani-

mos erigit eisque solatium affert, infirmis quoque corporibus medetur. Neque terrarum potentibus, qui sive opibus, sive humana scientia, sive etiam publicis muneribus elati, fidem saepe vel despiciunt, vel ei pro viribus adversantur, sed simplicibus filiis suis et haud raro parvulis arcana Dominus revelat. Ita quidem Lapurdi in Galliis evenit, ubi quinquaginta abhinc annis per sequestrem Virginem divina misericordia manifesta apparuit. Cum enim Deipara labis nescia humili puellae in crypta quae prope illud oppidum patet, ac vulgo *de Massabielle* nuncupatur, sese pluries conspiciendam obtulisset et ipsam atque homines universos esset poenitentiam agere hortata, coelestem hunc visum omnigenis gratiis prodigiisque confirmavit. Unde factum est, ut ad perpetuam portenti memoriam templum, divite ornatu decorum, ibi extrueretur, minoris deinde Basilicae titulo ac privilegiis locupletatum, quo cum pariter atque ad cryptam frequentissimus omni tempore et ex omni natione populi concursus celebraretur pietatis Matris imploraturi ac saepe exorantis opem. Felix illa civitas unum nunc ex maximis orbis sanctuarium, catholicae veritatis testimonium, possidet ac tuetur. Verum cum propediem quinquagesimus agatur annus, a quo ob tam mirificum factum cultus erga Deiparam Virginem sine labe conceptam eiusque SSmum Rosarium magis magisque in dies auxerit, Nos quo insignis huiusmodi miraculi commemoratio in uberius animarum bonum cedat, spirituales Ecclesiae thesauros, quorum dispensatores, licet indignos, Nos esse voluit Altissimus, libenti quidem animo reserandos censuimus. Quare omnibus utriusque sexus Xtifidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, cryptam quam supra diximus, civitatis Lapurdensis, intra fines Tarbien. dioecesis, uno anni die, ad cuiusque fidelium arbitrium eligendo, a die XI Februarii, primae Deiparae Virginis Apparitionis anniversario, proximi anni MCMVIII usque ad diem pariter Februarii undecimum sequentis anni MCMIX devote visitave-

rint, ibique ante Deiparae imaginem, ab origine Immaculatae, pro Xtianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, in forma Iubilaei concedimus et largimur. Quo autem Xtifideles coelestium huiusmodi munerum facilius participes fiant, Venerabili Fratri ipsi Episcopo Tarbien. facultatem facimus aliquot in sua dioecesi presbyteros saeculares vel regulares, ad sacramentales confessiones excipiendas adprobatos, deputandi, qui fausta p.ta occasione eosdem Xtifideles ad Iubilaeum lucrandum, eorum confessionibus diligenter auditis, ab omnibus censuris et casibus Sedi Apostolicae reservatis, imposita cuilibet arbitrio suo poenitentia salutari, in foro conscientiae tantum absolvere possint, servata tamen Constitutione *Pontificis Maximi* a rec. me. Leone XIII Dec. Nostro die XV Februarii anno MDCCCLXXIX data (1), iis vero omnibus exceptis, quae in eadem Constitutione excipienda praescribuntur. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Novembris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*.

EX SECRETARIA STATUS

De frequentia universitatum civilium ex parte clericorum.

Monseigneur (2),

J'ai reçu votre lettre du 23 Septembre dernier et j'en ai pris en sérieuse considération les divers points.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 11, pag. 417.

(2) Ad R.mum D. Baudrillart, rectorem Universitatis catholicae Parisiensis *(N. R.)*.

Relativement à la défense faite par l'Encyclique *Pascendi* aux clercs et aux prêtres qui ont pris quelque inscription dans une Université ou Institut catholique de suivre, pour les matières qui y sont enseignées, les cours des Universités civiles, je puis vous confirmer que les dispenses et exceptions, accordées par le décret de 1896 visé par l'Encyclique, s'étendent aux Universités de France; toutefois, le Saint-Père excepte de cette autorisation les cours les plus sujets à devenir dangereux, comme ceux d'histoire, de philosophie et des matières similaires.

Pour suivre ces cours, il faut que chaque étudiant ecclésiastique ait une permission expresse de son évêque.

Agréez, etc.

2 Octobre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Circa casus necessitatis pro permittenda clericis frequentia universitatum civilium.

Monseigneur (1),

Vous avez récemment proposé au Saint-Siège les questions suivantes:

1° Est-il contraire à l'Encyclique *Pascendi* que les clercs, les prêtres et les religieux préfèrent aux Facultés catholiques des lettres et des sciences les facultés civiles, s'inscrivent à ces dernières et en suivent les cours, lorsqu'il n'y a en réalité aucune nécessité vraie, comme le témoignent les succès des Facultés catholiques?

2° Les clercs et les prêtres, professeurs ou surveillants dans un collège d'une ville où se trouvent seulement des Facultés civiles, sont-ils dans le *cas de nécessité* visé par la lettre aux évêques (n° 26051)? (2). Peuvent-ils s'inscrire à ces Facultés et en suivre les cours?

(1) Ad Rmum D. Pasquier, rectorem Instituti catholici Andegavensis *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 41, pag. 41.

3° Peut-on regarder comme *une très rare exception* (lettre aux évêques, n° 26051) le cas où un collège comptera parmi ses professeurs et ses surveillants six ou sept prêtres ou clercs s'inscrivant à ces Facultés civiles et suivant les cours?

Or, d'ordre de Sa Sainteté, je m'empresse de vous communiquer les réponses aux questions susdites:

Ad 1. *Affirmative;*

Ad 2. *Negative,* à moins que, dans des cas exceptionnels, des raisons très graves et spéciales s'y ajoutent, dont l'appréciation est réservée à l'évêque;

Ad 3. *Negative.*

Agréez, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments dévoués en Notre-Seigneur.

Rome, 5 Novembre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Lyceum magnum catholicum Lugdunense dilaudatur ob orthodoxam doctrinam et fidem.

ILLUSTRI AC SPECTABILI VIRO

MODERATORI LYCEI MAGNI CATHOLICI LUGDUNENSIS

LUGDUNUM.

Illustris ac spectabilis vir,

Quod per occasionem, sane faustam, natalis quinquagesimi sacerdotii eius, decani et decuriales doctores Lycei magni catholici Lugdunensis, rectore praelucente optimo, gratulationes Sanctitati Suae et vota properarent offerre, equidem luculenter Beatissimus Pater agnovit non humanitatem modo, sed amantissimam quoque omnium vestrum pietatem. Quod vero opportunitate tanta usi, officium iidem, te praeeunte, festinarint explere laetitiae declarandae suae ob Encyclicas editas Litteras adversus modernistarum doctrinae haereses, longe certe libentius vestram cum Apostolica Sede coniunctionem, perfectam, diligentem, concordem, Summus Ponti-

fex repperit. Nam istud tale studiorum domicilium ac centrum, quando scientia falsi nominis fideique inimica infici mentes voluntatesque tam late conspicimus, solutum se expeditumque ab insidioso et vaferrimo errore servasse, mirabile id et consolationis peculiaris est facinus, idemque a divini Numinis erga catholicos Galliae filios singulari sollicitudine plene repetendum. Itaque obsequium Lycei magni Lugdunensis aeque ac retentam incorrupte ab eodem fidem summopere Beatissimus Pater dilaudat, illudque dum probe sperat, ad legitimos disciplinarum progressus strenue quidem, sed haud aliter vos esse nisuros quam et germanae scientiae et romanae Cathedrae amori unico adhaerentes, testem praecipuae dilectionis suae Apostolicam benedictionem singulis vobis impertit.

Dum te his reddo certiorem, cum ea qua par est existimatione permaneo.

Romae, die 23 Octobris 1907

Tibi Addmus

R. Card. MERRY DEL VAL.

Ludovicus Pastor constituitur secretarius coetus cardinalitii ad progressum scientiarum in catholico orbe fovendum.

Illmo Signore,

Non è ignoto alla S. V. Illma quanto interessamento nutra il regnante Pontefice per l'incremento degli studi, e quanta cura Egli abbia sempre dedicato a questa nobile impresa, accordando protezione e incoraggiamento ai più benemeriti cultori delle sacre dottrine. Recentissimo indizio di questa sollecitudine tutta propria del Vicario di Cristo, è l'Enciclica *Pascendi,* inspirata al sincero amore del vero, e molto più l'ultima parte del gravissimo documento, là dove è annunziato il divisamento Pontificio di promuovere con ogni possa la fondazione di un Istituto scientifico internazionale per il

progresso delle scienze. Per mandare ad effetto questo elevato divisamento l'Augusto Pontefice si è recentemente degnato di eleggere un Comitato Cardinalizio coll'incarico di presiedere all'internazionale movimento scientifico cattolico, di cui sarà auspice il novello Istituto.

A far parte del detto Comitato il Santo Padre ha chiamato, col nome di Cardinali Protettori, quegli illustri cultori di scienza che sono gli Em̃i Rampolla del Tindaro, Maffi e Mercier. E poichè è sembrato necessario provvedere a che gli interessi dell'Istituto, per la distanza degli Em̃i Protettori, non soffrissero detrimento, Sua Santità ha disposto che l'Em̃o Sig. Cardinale Rampolla, come colui che ha dimora in questa alma Città, assuma una più immediata direzione dell'opera e riservi soltanto agli affari più gravi l'intervento dei suoi due Em̃i Colleghi. Inoltre, e di ciò godo in particolare maniera di rendere informata la S. V. Illm̃a, la Santità Sua, reputando indispensabile all'anzidetto Comitato Cardinalizio l'aiuto di un Segretario degno di tanto Istituto, ha prescelto all'uopo la persona della S. V., la quale per singolare reputazione che ha raggiunto fra i dotti di tutte le nazioni, e per l'affetto che ha sempre dimostrato verso la sana dottrina, ben ripromette di coadiuvare potentemente il progresso delle scienze inteso dal nascente Istituto cattolico Internazionale.

Mentre mi compiaccio portare a notizia della S. V. queste Pontificie disposizioni, affinchè ella possa senza ritardo mettersi in relazione con i prelodati Em̃i e specialmente coll'Em̃o Sig. Card. Rampolla, colgo con piacere l'occasione per confermarmi con i sensi di ben sincera stima

Della S. V. Illm̃a

Roma, 14 Dicembre 1907.

Affm̃o per servirla

R. Card. Merry del Val.



ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

DECRETUM

Quo damnantur duo diaria modernistica.

Feria V, loco IV, 13 Februarii 1908.

Utrumque diarium *La Justice sociale* et *La Vie catholique* reprobatur et damnatur: sacerdotes Naudet et Dabry formiter ac peremptorie admonentur ne haec vel alia diaria aut scripta quaevis eiusdem indolis sub proprio vel mentito nomine in posterum evulgare audeant, sub poena suspensionis a divinis ipso-facto et absque alia declaratione incurrendae.

DECRETUM

Quo sacerdos Alfredus Loisy nominatim ac personaliter excommunicatur.

Sacerdotem Alfredum Loisy, in dioecesi Lingonensi in praesens commorantem, plura et verbo docuisse et scripto in vulgus edidisse quae ipsamet fidei christianae potissima fundamenta subvertunt, iam ubique compertum est. Spes tamen affulgebat eum, novitatis magis amore quam animi pravitate fortasse deceptum, recentibus in eiusmodi materia Sanctae Sedis declarationibus et praescriptionibus se conformaturum; ideoque a gravioribus canonicis sanctionibus hucusque temperatum fuit. Sed contra accidit: nam, spretis omnibus, non solum errores suos non eiuravit, quin imo, et novis scriptis et datis ad Superiores litteris, eos pervicaciter confirmare veritus non est. Quum plane igitur constet de eius post formales canonicas monitiones obfirmata contumacia, Suprema haec Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis Con-

gregatio, ne muneri suo deficiat, de expresso SSmi Domini Nostri Pii PP. X mandato, sententiam maioris excommunicationis in sacerdotem Alfredum Loisy *nominatim* ac *personaliter* pronunciat, eumque omnibus plecti poenis publice excommunicatorum, ac proinde *vitandum esse* atque ab omnibus *vitari debere,* solemniter declarat.

Datum Romae ex Aedibus S. Officii, die 7 Martii 1908.

PETRUS PALOMBELLI, S. R. et U. I. *Notarius.*

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Revalidantur vota simplicia Religiosarum quae tempore novitiatus habitum religionis non gestarunt.

Beatissime Pater,

Procurator generalis congregationis SSmorum Cordium et Adorationis Perpetuae, vulgo *de Picpus,* humilissime exponit plures religiosas foeminas suae congregationis, in missionibus Oceaniae adlaborantes, numquam, durante novitiatu, habitum gestasse; alias frequenter demisisse pro temporum et locorum opportunitate, non ignorante tamen Illmo Vicario Apostolico. Quum autem dubium nuperrime ortum sit de earumdem sororum professionis validitate, humilis orator efflagitat ut Sanctitas Vestra revalidet aut valida declaret vota simplicia perpetua a religiosis foeminis dictae congregationis in Vicariatu Apostolico Sandsvichien. in Oceania morantibus emissa, licet tempore novitiatus habitum religiosum non gestaverint.

Et Deus, etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum S. Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Re-

gularium praeposita, omnes et singulas professiones prout in precibus emissas in radice sanat atque convalidat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae, die 20 Ianuarii 1908.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
O. Giorgi, *Sub-Secretarius.*

MISSIONARIORUM FILIORUM S. C. B. M. V.

DESERTIONIS

Confirmatur decretum saecularizationis perpetuae.

Factiseries. Pater Iosephus Sisó, sacerdos congregationis Missionariorum Filiorum S. Cordis B. Mariae Virginis, superior domus S. Hippolyti in Mexico extitit usque ad initium anni 1905, quo tempore cum e suo munere desiisset, reelectus non fuit eo quod nimis durum sese ostenderit in regimine. Ex tunc P. Sisó obedientiam detrectare coepit, donec ementito sub praetextu e sua religiosa domo discessit, et prius in villam *Noria* vocatam, dein vero in urbem vulgo *Trapuato,* dioecesis Leonensis in Mexico, se contulit. Cum autem ipse, non obstantibus monitionibus ac comminationibus desertionis ex parte superiorum regularium, ad domum S. Hippolyti ingrediendam adduci non potuisset; hi die 29 Iunii 1905, nomine quoque Delegationis Apostolicae Mexicanae, eum uti transfugam declararunt atque a divinis suspensum: quam suspensionem confirmavit Curia Leonensis.

Dein statim ac P. Sisó rescivit, processum instrui ad eius expulsionem a religione, petiit et obtinuit decretum saecularizationis perpetuae, quod superior regularis ex facultatibus ab Apostolico Delegato sibi tributis concessit, addita tamen clausula ut orator indulto uti non posset, nisi prius Episcopum benevolum receptorem invenerit ac sacrum patrimonium

sibi constituerit. Verum haud acquiescens P. Sisó, ad hanc S. C. recursum obtulit, ut decerneretur declarationem desertionis et subsequentis suspensionis non sustineri, expostulans insimul ut sibi ad tempus concederetur gratia Sacrum litandi.

Deductiones. P. Sisó ius suum fulcire nititur, contendens ex una parte in allatis decretis desertionis et suspensionis illegitime invocari auctoritatem Delegationis Apostolicae Mexicanae, quae tunc rem nec noverat; ex altera vero ipsam sententiam in se spectatam esse iniustam, quum ipse nunquam acceperit veram et proprie dictam monitionem revertendi ad religiosam S. Hippolyti domum. Quod si saecularizationem perpetuam impetravit, haec, utpote sub gravi metu expulsionis obtenta, nullius valoris est censenda.

Ex adverso procurator generalis congregationis Missionariorum in casu probat, documentis prolatis, P. Sisó nedum ineptum esse ad regimen sed et ad vitam religiosam prosequendam imparem evasisse. Auctoritas vero Delegationis Apstolicae non ad hoc invocata fuit, ut P. Sisó transfuga declararetur et suspensus; nam ad primum sufficiebat auctoritas monastica; alterum est primi necessaria consequentia: sed dumtaxat ad hoc ut monitiones canonicae, quibus ille ad obedientiam revocaretur, maiorem exinde vim acciperent. Praeterea in linea iuridica idem procurator observat quod, iuxta omnes auctores, « fugitivus ille proprie dicitur qui ab Ordine vel monasterio sine licentia superiorum suorum recedit ad tempus animo vagandi aut extra obedientiam vivendi cum animo tamen redeundi ad religionem ». Cfr. Appeltern *(Comp. praelect. iuris regularis P. Piati, part. 3, cap. 1, art. 3)*; et Ferraris *(Bibl. can., verb.* Apostasia, *n. 26)*, qui tradit: « In praxi communiter accipiuntur et tractantur uti veri apostatae (*quibus aequiparantur* fugitivi), qui extra claustra sine superiorum licentia, habitu etiam retento et cum animo redeundi ad religionem, vagantur ».

Ex parte sua Consultor, quamvis concedat superiores

regulares maiori cum longanimitate et non implicata auctoritate Apostolicae Delegationis procedere debuissent, censet tamen P. Sisó vere fugitivum fuisse, ideoque iuste uti talem declaratum atque suspensum. Dispositiones autem iuxta eumdem Consultorem adsciscendas in themate confirmavit haec S. C. per infra exscriptam responsionem.

Dubia. I. *An P. Sisó, e congregatione Missionariorum S. Cordis B. Virginis Immaculatae, iuste declaratus fuerit fugitivus e sua congregatione.*

II. *An et quaenam provisiones decernendae sint in casu.*

Resolutio. S. Congregatio Episcoporum et Regularium in plenario coetu diei 19 Aprilis 1907 respondit:

Ad I. et II. *Ad mentem. Mens est, quod S. Congregatio, confirmando decretum saecularizationis perpetuae a P. Sisó obtentae, eidem facultatem tribuit celebrandi ad biennium de consensu Ordinarii loci, dummodo non commoretur in urbe* Trapuato; *quo durante biennio, ipse invenire tenetur Episcopum benevolum receptorem, et sibi constituere sacrum patrimonium aut alia substentationis media, secus suspensus maneat.*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

De licita missarum distributione in Oriente etiam per Delegatos Apostolicos et per Superiores religiosos.

Proposti alla S. C. del Concilio i dubbi:

I. Se i Delegati Apostolici siano compresi nella disposizione dell'art. III del decreto *Recenti* 22 Maggio 1907, col quale è vietato d'inviare direttamente messe « ad Antistites et presbyteros ecclesiarum, quae in Oriente sitae sunt » (1);

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 344-346, ubi praecise ad huiusmodi verba *(nota 2)* monuimus: « Hac formula comprehendi omnes cuiusvis ritus Ordinarios et sacerdotes illis in locis commorantes ». Sed haec interpretatio.

II. Se i Superiori degli Ordini ed Istituti religiosi possano mandare direttamente ai loro soggetti esistenti in Oriente intenzioni di messe con le rispettive elemosine.

S. Congregatio respondit:

Ad I. Negative; ita ut nempe mitti possint ad praefatos Rmos Delegatos missarum intentiones cum respectiva eleemosyna, ut eas distribuant dumtaxat Praelatis et sacerdotibus Delegationis suae.

Ad II. Affirmative et taxative pro religiosis subditis suis, non vero pro ceteris (1).

SSmus Dnus Noster in audientia diei 9 Septembris 1907,

---

haud arrisit P. Vermeersch, qui in suo Periodico *De religiosis et missionariis*, tom. 3, pag. 141, tradit: « *Ecclesiae in Oriente sitae* erunt tum Patriarchatus vel Episcopatus Orientales cum presbyteris et fidelibus qui ad ipsos pertinent. Nam Vicarii Apostolici (et Praefecti Apostolici) nomine S. Sedis suum regunt Vicariatum. Ac proinde coetus cui praesunt pars est *ecclesiae romanae*. Significatio ista stricta quam, in hac materia odiosa, iam suadent ipsae voces, demonstratur etiam dispositionis ratione. Ad sacerdotes Orientales, non autem ad latinos qui in Orientalibus partibus sacra ministeria exercent, imprudenter mittebantur *exuberantia* stipendia missarum ». Deinde in *nota 3* subiungit: « Severiorem interpretationem redactorum *Acta S. Sedis*, qui ad omnes sacerdotes in Oriente commorantes regulam istam traducunt, improbat etiam P. Besson (*Nouvelle Revue théologique*, tom. 39, pag. 438); dum eamdem sequitur Boudinhon (*Canoniste contemporain*, vol. 30, pag. 489) ». — Respondimus primo, ipsas voces *ecclesiae in Oriente sitae*, si uti sonant accipiantur, complecti ecclesias tum orientales tum latinas illis in regionibus extantes: secus enim recenseri debuissent dumtaxat *ecclesiae Orientis seu Orientales*. Nunquid dicti Vicariatus et Praefecturae Apostolicae florent *in Occidente?* Respondimus secundo quod dispositio Pontificia in casu suam rationem praesertim habuit ex abusibus, qui tunc temporis apud sacerdotes latinos in Oriente lamentabantur. Tertio denique addimus quod a regula generali pro Oriente sancita merito excipiuntur *Delegati Apostolici*, qui *prouti tales* dici nequeunt praeesse ecclesiae in Oriente constitutae. Dicimus *prouti tales*, quia ipsi praeterquam *Delegati Apostolici* pro catholicis ritus orientalis, sunt una simul *Vicarii Apostolici* pro catholicis ritus latini: hinc iisdem Delegatis *directe* mitti quidem possunt applicationes missarum ut eas distribuant Praelatis et presbyteris Orientalibus: non autem, saltem per se, ut eas concedant sacerdotibus latinis *(N. R.)*.

(2) Fit igitur specialis concessio favore Ordinum ac Institutorum Religiosorum *(N. R.)*.

audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, benigne ratam habuit et approbavit resolutionem S. Congregationis, et insuper mandavit ut pro ceteris omnibus servetur dispositio decreti.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*
C. De Lai, *Secretarius.*

SENOGALLIEN.

IURIS FUNERANDI

De privilegiato iure funerandi competente ad ecclesiam in solo Lateranensi fundatam.

Factispecies. Capitulum archibasilicae Lateranensis per Bullam diei 26 Dec. 1473 concessit, ut in solo Lateranensi oppidi vulgo *Belvedere Castrense,* dioecesis Senogalliensis, erigeretur ecclesia et confraternitas S. Mariae a misericordia nuncupata, quae esset immediate subiecta ecclesiae Lateranensi, atque « uti posset coemeterio, campanili, campanis, altaribus ac sacro fonte baptismi cum omnimoda libertate, salvo tamen iure parochialis ecclesiae ». Ad munera sacra in praefata S. Mariae ecclesia explenda prius deputati fuerunt nonnulli cappellani, dein vero idem Capitulum Bulla diei 8 Aug. 1587 instituit unum archipresbyterum et quatuor canonicos « cum omnibus ac singulis iuribus et privilegiis sine alicuius praeiudicio ».

Verum tractu temporis non defuerunt lites inter praefatos canonicos atque localem parochum ecclesiae S. Petri, praesertim quoad ius funerandi. Ex antiqua autem concordia seu immemorabili consuetudine constat, emolumenta funeraria (quae in cera ad cadaver accensa consistebant) pro medietate fuisse divisa inter Plebanum S. Petri et Capitulum S. Mariae, tam si cadaver tumularetur in parochiali ecclesia quam in Collegiata; dum ceram in altaribus extantem ad ecclesiam tumu-

lantem pertinuisse. Cuius moris ratio in eo fuit quod tunc temporis Capitulares adiuvabant parochum S. Petri sive in exercendis ecclesiasticis ministeriis sive etiam in explendis funeribus in parochiali ecclesia. Perhibetur item missam exequialem in Collegiata celebratam semper fuisse a canonicis, relicta parocho S. Petri absolutione ad tumulum.

At quum anno 1861 Capitulum collegiale ab iniquis Italiae legibus civiliter suppressum fuerit, pedetentim e vivis ereptis canonicis, in eorum locum suffecti sunt duo cappellani. Hinc de facto an. 1895, extinctis omnibus Capitularibus, parochus tunc temporis, Antonius Renzi, sibi attribuere coepit omnia emolumenta, quae occasione funerum in parochiali ecclesia peractorum obveniebant, atque quartam funerariam pro funeribus in ecclesia S. Mariae persolutis. Interim accidit quod anno 1905, occasione funeris cuiusdam Francisci Filipponi, confratris sodalitatis S. Mariae a misericordia, actualis parochus S. Petri omnia emolumenta funeraria fecerit sua, neglectis cappellanis S. Mariae, imo et ius litandi missam exequialem in Collegiata ecclesia sibi tantum spectare asseruerit.

Eapropter die 6 Sept. dicti anni confraternitas S. Mariae, adversus modum agendi parochi S. Petri, supplicem libellum Episcopo Senogalliensi obtulit, qui die 21 eiusdem mensis decrevit, ad parochum S. Petri spectare ius associandi cadavera ad ecclesiam S. Mariae ibique funera persolvendi, atque omnia emolumenta percipiendi, salva quarta funeraria.

Ab hoc tamen decreto minime sibi favente confraternitas appellavit ad hanc S. C., quae existimans ecclesiam S. Mariae gaudere iure sepeliendi privilegiato ad instar Regularium, sub die 22 Iunii 1906 rescripsit, ius funerandi, quod semper sequitur ius tumulandi, dictae ecclesiae plene spectare, proindeque clausulam *salvis iuribus parochialibus* nihil aliud significare nisi ius, ex parte parochi S. Petri, levandi et comitandi cadavera de domo usque ad ecclesiam S. Mariae, atque exigendi quartam funerariam. Mandavit proinde Epi-

scopo ut, iuxta datas normas, dirimeret enatam controversiam: quod et fecit Praesul Senogalliensis per novum decretum diei 11 Iulii 1906.

At cum parochus S. Petri nova documenta Curiae obtulisset, ut ius suum funerandi in ecclesia S. Mariae comprobaret, Ordinarius, marte proprio, die 6 Aug. 1906 abrogavit postremum decretum diei 11 Iulii eiusdem anni de mandato huius S. O. editum, et primum diei 21 Sept. 1905 in vigorem revocavit. Tunc iterum confraternitas a misericordia ad hunc S. O. recursum interposuit, et quaestio proposita est resolvenda sub dubitandi formula: *An sustineatur decretum Curiae Senogalliensis diei 21 Septembris 1905, vel potius decretum eiusdem Curiae diei 11 Iulii 1906 in casu* (1).

Disceptatio synoptica. Exscriptum dubium triplicem complectitur quaestionem, videlicet: 1° *an confraternitati S. Mariae competat ius funerandi;* 2° *an dictae confraternitati spectet ius missam exequialem litandi in propria ecclesia S. Mariae, emolumentaque percipiendi;* 3° *demum an eidem confraternitati pertineat etiam ius exequias ad tumulum persolvendi.*

Iamvero quoad primum quaesitum non videtur ambigendum quod ecclesia S. Mariae fruatur iure sepeliendi seu funerandi nedum confratres a misericordia verum etiam omnes fideles inibi sepulturam gentilitiam vel electivam habentes. Hoc enim patet ex verbis Bullae, qua an. 1473 erecta fuit ecclesia ipsa, et qua donata fuit privilegio exemptionis a qualibet ordinaria sive Episcopi sive parochi potestate, et immediate subiecta fuit iurisdictioni Capituli Lateranensis, adeo ut « uti possit coemeterio, campanili, campanis cum omnimoda libertate, salvo tamen iure parochialis ecclesiae ». Iam

(1) In dubio non fit mentio de ultimo decreto Curiae sub die 6 Aug. 1906, sive quia nonnisi in vigorem revocavit prius decretum, sive quia, utpote editum inconsulta S. Congregatione iam praeoccupata, imo contra datas ab eadem decidendi normas, nullitatis vitio laborare censendum est *(N. R.)*.

age ius habendi coemeterium aequivalet iuri sepulturae tradendae, quando agitur, uti in casu, de ecclesia seu confraternitate non subiecta ordinariae potestati dioecesanae sed ad instar Regularium exempta. Tunc enim ius sepulturae, praeter ius tumuli, secumfert etiam ius funerandi iuxta adagium *ubi tumulus, ibi funus.*

Neque in themate aliquid facessit clausula apposita in Bulla erectionis *salvo iure paroecialis ecclesiae;* nam haec clausula id tantum importat ut parocho defunctorum proprio solvatur quarta funeraria. Hoc sane modo consimilem clausulam authentice interpretatus est Clemens III. in cap. *Certificari 9, de sepulturis*; quin imo affinis clausula addi solet in privilegiis Apostolicis, quibus conceditur Regularibus ius sepulturae. At nemo inficias ibit Regulares habere ius privilegiatum funerandi.

Ab huius quaestionis solutione pendet et altera supra proposita, quae refertur ad ius litandi missam exequialem et emolumenta percipiendi. Siquidem cum missa exequialis nonnisi pars sit iuris funerandi, semel recognito iure funerandi ecclesiae S. Mariae, eo ipso attribui debet eidem ius celebrandi missam exequialem. Praeterea immemorabilis in casu extat consuetudo, vi cuius missa exequialis semper persoluta fuit a canonicis numquam vero a parocho; quod confirmarunt octo iurati testes a Curia excussi sub die 9 Nov. 1905. Item nulla difficultas adesse potest circa emolumentorum perceptionem. Nam, ad tramites iuris communis, nonnisi quarta funeraria competit parocho proprio: ita S. C. Concilii in *Asculana* 8 et 29 Aug. 1733 ad 3, et in *Viterbien.* 16 Septembris 1826 ad 4.

Denique quoad exequias ad tumulum, confraternitas ultro admittit eas pro praeterito celebratas semper fuisse in Collegiata a parocho S. Petri; quin imo de solis exequiis intelligenda videntur documenta, quae idem parochus ex adverso adducit ut ostendat suum ius litandi missam exequialem.

Ex altera parte favore parochi S. Petri quae sequuntur subiici possunt. Explorati iuris est quod ex iure communi solae ecclesiae paroeciales gaudent iure sepeliendi seu funerandi, uti constat ex cap. *Is qui 3, de sepulturis in VI*, et supponitur in cap. *Nos instituta 1, de sepulturis* etc. Hinc quaelibet alia ecclesia, quae hoc idem ius sibi asserit, ex privilegio Apostolico illud habuisse diserte probare tenetur. Ita privilegiatum funerandi ius habent ex privilegio Regulares aliaeque ecclesiae ab Ordinarii et parochi iurisdictione exemptae. Verum ecclesiae et oratoria, quae intra fines alicuius paroeciae continentur, quaeque immediate subsunt parocho et mediate Episcopo, nonnisi ius tumuli, non autem verum ac proprium ius sepeliendi et funerandi habere valent. Ita respondit S. Congr. Rituum in decreto *Urbis et Orbis* diei 10 Dec. 1703, n. 2123 ad dubium 20. Idem tenuit S. C. Concilii in *Bononien.* 28 Iunii 1724 ad 9, in *Civitatis Castellanae* 28 Ian. 1766; in *Viterbien.* 16 Sept. 1826 ad 5, et in *Novarien.* 5 Iulii 1727. Cfr. etiam Van Espen, *Ius can. un., part. 2, sect. 4, tit. 7, cap. 5.*

Iamvero in casu dubitari posset, an revera ecclesia S. Mariae perfecto exemptionis iure, saltem hodie, fruatur. Nam quamvis Bonifacius IX concesserit Capitulo Lateranensi privilegium erigendi loca pia in solo Lateranensi atque ea eximendi a potestate Ordinariorum ac sibi ipsi immediate subiiciendi, addit tamen clausulam: « iure tamen parochialis ecclesiae et alterius cuiuslibet alias in omnibus semper salvo ». Praeterea Pius V privilegia ac indulta Capituli Lateranensis abrogavit et abolevit. Utique sane Sixtus V eadem in vigorem revocavit per Bullam *Si cunctas* diei 15 Ian. 1586, sed adiecta limitatione, quod accedat licentia Ordinariorum, imo et loca fundanda subiici videntur eisdem Ordinariis. In themate proinde, quum ecclesia S. Mariae sita sit intra limites parochiae S. Petri, neque certo constet de illius exemptione, non immerito argui potest ius parochi funerandi super cada-

vera suorum filianorum in dicta confraternitatis ecclesia tumulandorum; idque eo vel magis quod in Bullis erectionis ecclesiae et Collegiatae adduntur clausulae « salvo iure parochialis ecclesiae », et « sine alicuius praeiudicio ».

Hoc confirmari videtur ex quodam inventario parochiali S. Petri diei 10 Sept. 1743, ubi de funeribus edicitur quod « in ecclesia Collegiata praecipue, licet fundata in solo Lateranensi, Plebanus sive eius cappellanus curatus in eius defectum, per consuetudinem immemorabilem et inveteratam, semper fecit et de praesenti facit functionem funebrem tum saecularium tum canonicorum, si illorum contingat mors ». Idem constat ex attestatione diei 21 Dec. 1805 subscripta a pluribus testibus etiam sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus: item duo aliae similes depositiones praestant diei 21 Aug. 1805 et 31 Aug. 1806. Praeterea quum an. 1824 exorta fuerit quaestio inter Plebanum et canonicos circa functiones funerarias in Collegiata peragendas, Capitulum Lateranense expedivit quidem monitorium super manutentione in exercitio ordinariae iurisdictionis; sed causa acta in possessorio coram Tribunali Collegiali primae istantiae *A. C.* die 21 Aug. 1824, advocatus parochi Caprini praefatum monitorium moderari obtinuit. Quod etiam confirmatur ex epistola, quam die 6 Sept. eiusdem anni Emus Card. Testaferrata scripsit ad parochum Caprini, eidem gratulans de sibi recognito iure funerandi in Collegiata.

Cum igitur ex dictis parocho S. Petri competere videatur ius funerandi in Collegiata, hoc ipso competere eidem videtur ius missam exequialem ibidem litandi, et omnia emolumenta funeraria percipiendi, dempta quarta.

Caeterum parochum S. Petri saltem manutenendum esse in suo iure peragendi exequias in Collegiata, praeter iam adducta confirmant tres ex octo testibus iuratis, qui an. 1905 a Curia excussi sunt, quique deposuerunt, eas a solo parocho hucusque persolutas fuisse. De hac re recens exemplum ha-

betur in causa *Pisauren.* coram S. C. EE. et RR. agitata die 5 Maii 1905 ad dubium V (1).

Dubium. *An sustineatur decretum Curiae Senogalliensis diei 21 Septembris 1905, vel potius decretum eiusdem Curiae diei 11 Iulii 1906.*

Responsum. Emi Patres S. C. Concilii in comitiis generalibus diei 24 Augusti 1907 causam comperendinandam censuerunt per rescriptum: *Dilata.*

Verum eadem quaestio reproposita fuit in plenario coetu diei 1 Februarii 1908, ubi quum clarius constiterit, privilegia et indulta Capitulo Lateranensi a Summis Pontificibus concessa, inter quae ius erigendi ecclesias et loca pia cum exemptione ab Ordinariis et cum iure funerandi privilegiato, derogata non fuisse praesertim a Sixto V per citatam Bullam *Si cunctas* diei 15 Ian. 1586, sive quia hic Pontifex, in vigorem revocans privilegia iam antea a Pio V abolita, ea dumtaxat moderavit ad tramitem Conc. Trid.; sive quia de coetero Bulla Sixtina non iam concessa a Capitulo Lateranensi privilegia sed potius in posterum ab eodem locis piis ecclesiisque concedenda respiceret (2); Emi Patres, omnibus perpensis, ad supra relatum dubium respondendum censuerunt:

Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

REGIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Conceditur dispensatio a matrimonio non consummato.

Compendium facti. Die 7 Dec. 1905 parochus basilicae S. Prosperi civitatis Regiensis in matrimonium copula-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 203.

(2) Hodie Capitulum Lateranense non amplius concedit Bullas sed diplomata aggregationis, vi cuius loca pia et ecclesiae participes fiunt indulgentiarum, quorumdam privilegiorum ac iurium eidem Capitulo a Romanis Pontificibus concessorum *(N. R.).*

vit nubilem Elmiram Dallari et Donninum Menozzi, priori uxore viduatum, ex qua tres filios habuerat: at infauste cessit exitus. Nedum enim diversa coniugum aetas et conditio, verum etiam adversa indoles, praesertim vero frustrata mulieris spes quoad materialem viri substantiam in causa fuerunt, cur ipsorum animi magis magisque dissociarentur, atque Elmira, non obstantibus quibusdam Donnini ad rem uxoriam conaminibus, semper renuerit officia coniugalia adimplere. Quum igitur quilibet abnormalis status, matrimonialis in primis, diu consistere non valeat; hinc, nonnisi quindecim vel ad summum viginti cohabitationis diebus transactis, mulier maritum suum dereliquit cum animo nunquam ad ipsum revertendi. Quod et in praxim deduxit, quum ex actis constet ipsam nullo pacto reconciliari se velle viro.

Nec dissimilis apparet intentio eiusdem Donnini, qui imo, ut sibi genitaeque proli satius consulat, aliam ducendi uxorem mente gerit, si dispensationem matrimonii sui, quod dicit tantummodo ratum, a Pontifice obtineat. Eapropter haec S. C., quum Episcopus Regiensis petiisset quoque ut a quibusdam proceduralibus normis in processu conficiendo benigne dispensaretur, eidem facultatem dedit instruendi processum, servatis saltem quoad substantiam Constitutione *Dei Miseratione* et Instructione *Cum moneat Glossa*. Porro ex actis processualibus liquet tum virum tum mulierem sub iurisiurandi religione professos fuisse, matrimonium inconsummatum mansisse. Mulier tamen corporali inspectioni se submittere pertinaciter detrectavit, quin ullam sui agendi modi rationem redderet. Quod ad testes attinet, ipsi generatim testimonium perhibuerunt, non solum de sponsorum credibilitate sed etiam de facto inconsummationis matrimonii deque adiunctis inconsummationem ipsam confirmantibus.

Dubium. *An consilium praestandum sit SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.*

Responsum. Emi Patres S. C. Concilii die 1 Februarii 1908 responderunt: *Affirmative* (1).

EX S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

Quo datur statutum Missionariis SS. Cordium Iesu et Mariae et Adorationis perpetuae SS. Sacramenti.

Quo clarius iura et obligationes, quae missionarios inter, ad Congregationem SS. Cordium Iesu et Mariae necnon Adorationis perpetuae SSmi Sacramenti altaris pertinentes, et eorum vicissim tum regulares tum ecclesiasticos superiores intercedunt, explanentur et determinentur: ac ita expeditior eorumdem missionariorum, tum in fidelium ac ethnicorum animarum salute, tum in suarum ipsarum animarum perfectione assequenda, labor evadat: moderatoribus laudatae congregationis visum est, statuta quaedam, huic S. Congregationi christiano nomini propagando proponere, in quibus et iura et obligationes ipsorum missionariorum certa ac perspicua norma dirigantur. Quae vero statuta Rma Commissio regulis et constitutionibus novorum Institutorum iudicandis, praeside Emo Viro Francisco S. R. E. Cardinali Satolli, praeposita, cum rite examini subiecerit, nonnullis peractis modificationibus, quae in annexo exemplari exhi-

(1) In hac causa id peculiare adnotandum venit quod, quum Emi Patres sufficienter probatam habuerint inconsummationem coniugii, faciles aures non praebuerunt tum votis Defensoris matrimonii ipsiusque Consultoris consulentium ut efficaciter per opportuna remedia induceretur mulier ad subeundam corporalem inspectionem, tum propositioni eiusdem Consultoris, qui vellet ut postularetur opinio iudicis et aliorum tribunalis membrorum, qui, ex voce plus minusve secura aut ancipiti partium ac testium, melius intelligere potuerunt utrum omne absit periculum collusionis *(N. R.)*.

bentur approbanda esse censuit. Hanc autem laudatae Rmae Commissionis sententiam ab infrascripto huius S. C. Secretario in audientia diei 28 vertentis Novembris SSmo Dño Nostro Pio prov. div. Papa X relatam, eadem Sanctitas Sua confirmare et ratam habere dignata est; ac praesens super hoc decretum edi iussit.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 30 Novembris 1906.

Fr. H. M. Card. Gotti, *Praefectus.*
A. Veccia, *Secretarius.*

STATUTUM

1. Adamussim serventur quae in capite IX Constitutionum, a S. Sede iam inde a die 24 Martii 1840 approbatarum, continentur. Ut autem omnis dissensus praecaveatur, ac etiam, quae ulterius hic statuenda visa sunt, ab omnibus religiose custodiantur.

2. Missionarii religiosi duplici obedientiae vinculo obstringuntur, scilicet: vi canonicae obedientiae, subiiciuntur *qua missionarii* superiori ecclesiastico: vi voti, subsunt *qua religiosi* superiori religioso.

3. Regula generalis est, omnia quae spectant ad sacrum ministerium et temporalem missionis administrationem dirigi debere a superiore ecclesiastico; ea vero quae vitam et disciplinam religiosam tuentur ad munus superioris religiosi pertinere.

4. Hinc superioris ecclesiastici est:

a) Dare et specificare facultates cuique missionario concessas ad sacra munia obeunda.

b) Determinare quae ad sacrum magisterium pertinent, ut catechismorum et catechistarum institutio et approbatio, extraordinaria Iubilaei et missionum popularium exercitia, actus publici controversiarum, normae practicae admissionis catechumenorum ad baptisma et adolescentium ad primam Communionem solemnem.

c) Ordinare quae referuntur ad officia in ecclesiis celebranda, aut ad Sacramentorum dispensationem.

d) Erigere novas stationes, modificare alicuius stationis statum, si necessitas postulet, aedificare sacella, presbyteria, varias domos piis operibus destinatas, instituere scholas, confraternitates, hospitia, etc.

e) Invigilare disciplinae ecclesiasticae a missionariis observandae.

f) Visitare per se vel per suos Vicarios omnes stationes missionis; investigare an in eis bonum sanctae religionis augeatur, an abusus fuerint introducti, an vita quotidiana missionariorum, eorum modus peragendi munia commissa, imprudentiam vel e contra aedificationem redoleat.

g) Administrare bona missionis ecclesiastica, eorumque redditus, et petere a missionariis ut ei reddant rationem relate ad missas fundationum tempore debito celebratas, ad expensas cum pecunia missionis factas.

5. Ad munus superioris religiosi pertinet:

a) Exercitia religiosorum in communitate viventium praesidere.

b) Instructiones speciales ad fovendum perfectionis studium in religiosis habere.

c) Eorum culparum exteriorum contra regulam manifestationem excipere.

d) Mandata superioris generalis promulgare.

e) Invigilare ut preces pro congregationis defunctis exacte compleantur.

f) Visitare missionarios *qua religiosos* ad adiiciendas eis novas vires opportunis et paternis consiliis.

g) Inquirere an missionariis in separatis stationibus degentes mandata superioris generalis fideliter observent; an quotidie vacent piis exercitiis secundum regulam; an studium negligant; an relationes nimis frequentes cum saecularibus personis, praesertim cum mulieribus, habeant.

h) Delinquentes in officiis vitae religiosae admonere, reincidentes benigne prius, deinde graviter reprehendere, si non resipiscant, si fraternam unionem inter religiosos perturbent, vel aliis praebeant exemplum gravis negligentiae in observantia regulari, vel inobedientiae, provocare incorrigibilium remotionem a missione, vel translationem de una statione ad alteram, prius adunato provinciali consilio.

i) Consilio prius inito cum Vicario Apostolico, vocare missionarios ad exercitia spiritualia singulis annis peragenda, sive in domo principali missionis, sive in alia statione ubi aliquot missionarii minori cum difficultate coadunari possunt.

k) Administrare bona congregationis qua talis propria, sive mobilia, sive immobilia, tum sponte oblata, tum per parcimoniam acquisita.

l) Manifestare superiori generali ea omnia quae ad vitam religio-

sam pertinent in missione; in qua inter alios superiores religiosos primatum habet.

6. Singulis tribus mensibus superior ecclesiasticus P. Provinciali solvet summam pecuniae ex utriusque auctoritatis consensu determinatam pro missionariorum sustentatione.

Superior religiosus impertiet hanc pecuniae summam missionariis tribuendo cuilibet, sive in natura, sive in pecunia, quantitatem minorem vel maiorem pro cuiusque missionarii necessitate particularis. Invigilet superior religiosus ne fiant a missionariis expensae inutiles, vel pro cuiuslibet proprio libitu.

Quod supererit pecuniae mittetur ad P. Provincialem ut inserviat extraordinariis necessitatibus missionariorum.

7. Superior religiosus postulabit a superiore generali licentiam, ad tempus mittendi sine socio, quum impossibilitas aliter agendi pro bono missionis id requiret, aliquem sacerdotem vel fratrem ad aliquam stationem longinquam fundandam vel gubernandam.

8. Quando pro bono missionis superior ecclesiasticus in Domino iudicaverit transferendum esse aliquem missionarium ab una statione ad alteram, suum aperiet propositum superiori religioso.

Superior religiosus si habet quaedam motiva in contrarium, ea exponat reverenter. Quo facto, si non admittantur res ab eo allegatae, missionarius designatus transferri debebit. Dare autem litteras obedientiales translationis, unius est Provincialis.

9. Si statuerit superior ecclesiasticus non amplius uti aliquo missionario vel fratre, quatenus minus idoneo ad bonum missionis promovendum, poterit servatis servandis, ipsum ab exercitio spiritualis ministerii amovere.

10. Si superior religiosus cognoscat ad salutem animae seu ad profectum vitae religiosae alicuius patris aut fratris, vel necessarium esse, vel multum conducere eius remotionem a missione, poterit, etiam invito, sed prius admonito superiore ecclesiastico, hunc missionarium vel fratrem mittere ad aliam domum etiam extra missionis limites. Conscientia tamen superioris religiosi ne contra sententiam superioris ecclesiastici, ob aliud motivum in hanc determinationem veniat, stricte oneratur.

11. Quoad itineris expensas, superior ecclesiasticus solvet expensas:

a) Pro exitu et reditu eorum quibus permittitur, post quindecim annos, ire ad Europam ob animi et corporis refectionem.

b) Pro novorum missionariorum vel fratrum appulsione ad missionem.

c) Pro itineribus mandatarii a superiore ecclesiastico deputati ad negotia missionis pertractanda in Europa.

d) Pro reditu definitivo in suam Provinciam religiosam alicuius fratris vel missionarii senis, vel infirmi, qui nonnisi cum difficultate in missione curari potest.

e) Pro reditu ab Europa ad missionem delegati ad capitulum generale.

f) Pro pensionis media parte, prius ex ambarum auctoritatum consensu determinatae, eorum, qui, ob impotentiam inserviendi sive missioni sive alicui domui regulari, pergunt ad locum extra missionem assignatum, ut in isto loco definite commorentur.

12. Superior religiosus solvet expensas:

a) Pro itinere missionariorum vel fratrum, qui, elapsis duobus annis, ab eorum adventu, non vere apti ad bonum missionis promovendum iudicantur.

b) Pro itinere P. Provincialis vel eius substituti ut ad capitulum generale se conferat.

c) Pro visitatione a superiore religioso peracta ad fovendam disciplinam regularem et vitam religiosam missionariorum et fratrum.

d) Pro itinere eorum, qui non amplius missioni inservientes, mittuntur extra missionis limites, et alteri domui regulari inservire possunt.

e) Pro dimidia parte pensionis assignatae iis, qui nec missioni nec alii domui regulari operam suam praestare possunt.

13. Bona quae e fidelibus in religionis propagationem et decorem, cleri sustentationem, pauperum sublevationem, aliosque pios usus erogantur, Deo et Ecclesiae donata censentur; eorumque administratores, seu curatores, sive viri ecclesiastici, sive laici fuerint, nihil amplius quam eorum dispensatores, Deo ipsi reddituri rationem, sunt habendi.

14. Igitur adlaborandum, ut omni modo determinetur (si dubium exsistat) intentio et animus donatoris vel testatoris alicuius fundi, usuique ab ipso definito ipsius fructus accuratissime applicentur.

15. Si vero huiusmodi intentio non constet ex aliquo certo documento, servandae sunt regulae sive canones quibus de tali voluntate recte iudicari possit.

16. Quotiescumque erigatur aut provideatur ecclesia, seu schola, sive aliud quodvis aedificium, usibus religionis destinatum, sive ex integro, sive ex parte pecuniis collatis a fidelibus vel etiam a quavis societate piorum catholicorum eleemosynarum administratrice, eiusmodi aedificium habendum est velut in perpetuum illi addictum. Quare eleemo-

synae praesumuntur non congregationi ipsi, sed Dei cultui promovendo, et pauperum levamini fuisse collatae, eoque loco ad hosce usus erogandae.

17. Similiter iudicandum, si ab aliquo benefactore talia aedificia alicubi provideantur, nisi certissime constet declarasse se in tali erectione non loci eiusque fidelium commodum respexisse, sed congregationi donum voluisse conferre.

18. In omni missione, pecuniae quae a fidelibus contribuuntur collectis seu oblationibus in ecclesia factis, vel privatis oblationibus datis in bonum missionis, ad missionem pertinere censendae sunt. Quare quidquid supellectilis, sacrae vel domesticae, ex his redditibus acquisierit missionarius, vel quidquid in sancta tecta aedium sacrarum vel aedificiorum ad ecclesiam quomodocumque pertinentium conservanda impenderit, non sibi, aut congregationi, sed missioni providit ex bonis ad eam pertinentibus.

19. Communiter etiam censendum, nisi contrarium pateat, iuxta regulam in iure traditam, ea quae ecclesiasticis usibus apta donantur viro missionario, esse missioni donata. Ea vero quae personalem habent usum, ipsi data reputantur; sicuti etiam res sacrae, si expresse veluti grati animi vel affectus pignus ab oblatoribus sacerdoti cuivis donentur.

20. Honoraria missarum et iura stolae ad peculium congregationis pertinent.

21. Optimum est prorsus ut ambae auctoritates mutuo conspirent, in potestatis exercitio, ad bonum missionis simul et vitae religiosae augendum. Caveant igitur ambae auctoritates, ne, sub praetextu maioris boni, unus superior se ingerat negotiis, cuius administratio et gubernatio exlusive propria est alterius superioris.

Cum nihilominus, ob cuiusque ingenii diversitatem, oriri possit conflictus inter ambas auctoritates, statuitur auctoritatem ecclesiasticam in casu conflictus semper praevalere debere, ut conflictui finis imponatur, et ut omnia rite fiant secundum ordinem a variis Sanctae Sedis constitutionibus stabilitum. Patet autem semper congregationi recursus ad S. Congregationem de Propaganda Fide.



EX S. CONGREGATIONE RITUUM

ROMANA

Conceditur Officium cum missa proprium de S. Melania iuniore, vidua, sub ritu duplici minori.

Cupiens Rm̃us Pater Laurentius Cossa, Vicarius generalis congregationis Clericorum Regularium a Somascha, et rector ecclesiae sancti Hieronymi a caritate in alma Urbe, ut cultus sanctae Melaniae iunioris, viduae, augeatur, quae Romae ornamentum, de Ecclesia universa benemerita praesertim omnigenis caritatis opibus, ab illius aetatis luminibus S. Augustino et S. Paulino veluti decus sanctitatis merito laudata fuit; Officium cum missa proprium concinnandum curavit, illudque ex recenti opere historico (1) Em̃i Dñi Cardinalis Rampolla atque ex congruis Sacrarum Litterarum locis depromptum, Sanctissimi Domini Pii Papae Decimi sanctioni humillime subiecit (2).

---

(1) Cui titulus est: *Santa Melania, Giuniore, Senatrice Romana.* Documenti contemporanei e note. Roma, tipografia Vaticana, a. 1905 *(N. R.)*.

(2) *Iuverit heic referre* Lectiones historicas *prout leguntur in dicto Officio S. Melaniae iunioris:* Melania cognomento iunior, e senatoria Valeriorum gente Romae orta, coepit ab infantia Christum unice diligere, eiusque amore saeculi delicias contemnere. Cupiebat virginitatem perpetuo colere; sed quatuordecim circiter annorum puella, cogente patre, Piniano clarissimo iuveni etsi aegerrime nupsit. Suscepta bis prole brevi orbata, ac mortuo Publicola patre suo, coepit Melania palam profiteri sibi neminem alium fore heredem nisi pauperes Christi. In quod cum Pinianus consentiret, ambo holosericas vestes crassiore lana commutant, incipiuntque vendere possessiones: collectamque inde pecuniam in egenos, in monasteria, in ecclesias dispertiri. Ipsi in suburbano, fraterne pieque degentes, peregrinis sanis et infirmis, etiam episcopis et presbyteris hospitium et omnem humanitatem exhibebant. Indignabantur consanguinei sibi tot bona eripi, et obstare etiam vi parabant. Sed Melania in Urbem ad Serenam Honorii sororem se contulit, eaque maxime favente, plenam ab imperatore, de toto patrimonio iuxta vota in pauperes distribuendo, facultatem accepit. — Venundatis itaque omnibus quae in Italia possidebant, in Africam navigarunt. Ibi item

Quum vero ad iuris tramitem, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Seraphinus Cretoni, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, Relator, in ordinariis Sacrorum Rituum comitiis, infrascripta die ad Vaticanum habitis, eiusmodi Officium cum

---

vendere incipientibus, et pecuniam eadem ratione qua Romae distribuentibus, Augustinus, Alypius aliique regionis episcopi consilium dedere, ut pro pecunia, quae cito dispergitur, donarent per singula monasteria potius domos et praedia et reditus: id quo stabilius, ita utilius futurum. Quod illi promptissimo animo effecerunt. Multam etiam pecuniam ad captivos redimendos in Orientem miserunt, qui multa iam servorum millia liberaverant. Et cum Tagasten sibi domicilium delegissent, ibi duo monasteria construxerunt, virorum alterum, alterum puellarum. Hic Melania puellis triginta supra centum, suis antea mancipiis, nunc contubernalibus praefuit. Disciplinae domesticae observantissima, exemplo magis quam voce omnibus anteibat. Ceterum erga alios mitissima, sibi uni asperrima, eum vitae tenorem instituit, servavitque, ut pene incredibile videatur, corpusculum natura delicatissimum ieiunio ad plures dies, cilicio, vigiliis vexare. Cultrix indefessa sacrarum scripturarum eas exscribere, legere, meditari: unde sapor ille coelestium rerum, quo familiaris etiam eius sermo condiebatur. Sancti episcopi, inter quos ipse Augustinus et Paulinus Nolanus, eius sanctitatem sapientiamque suspiciebant. Ad haec ardens addebatur studium procurandae animarum salutis. Quare iuvenes complures et adolescentulas ad perfectiorem Christi sequelam, ethnicos ad fidem, haereticos ad veritatem, quin etiam denariis et hortationibus ipsas mali nominis mulierculas ad honestos mores adduxit. Haec autem omnia ea animi demissione praestabat, ut soleret cum fletu dicere: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, non fecimus. — Ita septennio in Africa exacto, ad loca sancta et in Aegyptum ad sanctos eremi incolas se contulerunt. Unde Hierosolymam regressa sese abdit Melania in cellulam e saxo in monte Oliveti sibi paratam, in eaque sic manebat suo operi intenta, ut integros annos extra limen fere nunquam pedem efferret, quousque mater Pinianusque vixerunt. Quibus defunctis, monasterium ad eorum sepulcrum condidit. Condebatque alia in eodem monte ex oblata piorum pecunia, quum audit avunculum suum Volusianum, adhuc ethnicum, aegrotare Constantinopoli. Quamvis exhausta viribus, advolat. Flectit obstinatum animum, ad Christum trahit, coeloque infert: iustisque peractis, reditum ad suas virgines festinat. Adhuc sacram aediculam ad locum dominicae ascensionis exstruebat, cum venit Eudocia Augusta, eiusque dedicationi cum gaudio adstitit. Post Augustae discessum, praesensit famula Dei tempus resolutionis suae instare. Secreta vox Bethleem ad festa natalitia vocabat. Vadit, et cum consobrina sua Paula iuniore sacra virgine, celebrat sanctas vigilias et more sibi quotidiano communicat. Divino pabulo refecta ad montem Oliveti regreditur, ibique altero die coepit frigore teneri, mox decum-

missa de sancta Melania iuniore proposuerit; Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, re maturo examine perpensa, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, et ad Emum Ponentem cum Promotore fidei.* Die 10 Decembris 1907.

Demum revisione rite peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo ab eodem infrascripto Cardinali Praefecto relatis, Sanctitas Sua sententiam ipsius Sacri Consilii ratam habens, suprascriptum Officium cum missa proprium de sancta Melania iuniore, vidua, sub ritu duplici minori, benigne approbare dignata est, favore ecclesiae sancti Hieronymi a caritate de Urbe et aliarum ob peculiaria adiuncta petentium; illius festo recolendo adsignata die 30 Decembris; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11 iisdem mense et anno.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

ORDINIS FRATRUM MINORUM

PROVINCIAE GERMANICAE INFERIORIS

Regulares addere tenentur in missa symbolum infra Octavam Patroni principalis iam alio titulo celebrandam.

Hodiernus Praepositus Ordinis Fratrum Minorum in provincia germanica inferiori, de consensu sui Rmi procuratoris generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem expostulavit, videlicet:

An infra Octavam Patroni principalis, quae apud Regulares iam alio titulo seu causa celebratur, debeat in missa

---

bere cogitur in lectulo. Unde omnibus valedicens, multaque de perfectione virtutum docens, maxime caritatem commendavit, quae coelestem coronam perficit. Sexto die infirmitatis sub vesperam, adstantibus anachoretis qui circa Eleutheropolim degebant, accepit Communionem de manu episcopi, et completa oratione, respondit: Amen. Inde exosculans dexteram episcopi, secura cum angelis migravit in coelum *(N. R.)*.

Symbolum adiungi, sicut additur in ipso die festo; ita nempe, ut apud eosdem Regulares debeat per totam Octavam Nativitatis dominici Praecursoris in missa Symbolum recitari, si ipse Sanctus sit praecipuus loci Patronus, vel etiam si de ipso reliquia insignis asservetur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, propositae quaestioni respondendum censuit: Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 24 Ianuarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Associationi sacerdotum adoratorum conceditur facultas adnectendi coronis indulgentias PP. Crucigerorum.

Beatissime Pater,

Episcopus Covingtonensis, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, exponit quod ipse a tredecim annis est in Statibus Foederatis Americae septentrionalis protector *Associationis sacerdotum adoratorum,* quae cum approbatione Sanctae Sedis per totum orbem diffusa est, et quam in praedictos Status Foederatos invexit. Et supplex implorat ut sacerdotes ex quacumque regione qui nomen dederint praedictae Associationi possint benedicendo coronas eis annectere indulgentias Crucigerorum vulgo dictas.

Iuxta preces ex animo; et dilectis filiis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Die 29 mense Maio an. 1907.

PIUS PP. X

Indulgentiae ac privilegia extenduntur ceteris ecclesiis Hollandiae per Fratres Minores administratis.

Beatissime Pater,

Fr. Vitalis Keenen, minister provinciae germanicae inferioris Ord. FF. Minorum in Hollandia, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit:

1° Ab hac S. C. Indulgentiarum fuisse declaratum die 4 Febr. 1746 (Decr. auth., n. 157): « Omnes et singulas capellas publicas praefatorum FF. Recollectorum in regione germano-belgica existentes gaudere, donec residentiam inibi duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis eiusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas christifideles ad sacrum audiendum, et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant ».

2° Ab hac S. C. Indulgentiarum obtentum fuisse sub die 19 Martii 1763 rescriptum, prout sequitur: « SSmus Dominus Noster Clemens PP. XIII, ex speciali gratia et attentis peculiaribus circumstantiis, indulgentiam plenariam in perpetuum concessam omnibus ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci die secunda Augusti, Portiunculae nuncupatam, extendit in omnibus et singulis ecclesiis FF. Recollectorum praefati Ordinis S. Francisci ad totam Octavam, ita tamen ut semel spatio octidui ab unoquoque christifideli lucrari valeat. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari futuris perpetuis temporibus absque ulla Brevis expeditione ».

Agitur in hoc utroque rescripto, non de ecclesiis proprie dictis conventualibus, sed de ecclesiis, quae a Patribus praefatae Provinciae administrantur sub iurisdictione Episcoporum ad normam SS. Canonum.

Quum autem post praefatum utrumque rescriptum obtentum, aliae ecclesiae praefatae Provinciae Patribus administrandae fuerint traditae, aliae fuerint reaedificatae in loco diverso a loco primae erectionis, hinc dubitatur, num prae-

dictum utrumque rescriptum etiam ad hasce ecclesias extendatur. Hinc ut omne dubium e medio tollatur, praefatus orator humillimis precibus supplicat, ut Sanctitas Tua benigne dignetur declarare, vel in quantum opus est de novo concedere extensionem praefati utriusque rescripti ad omnes et singulas, tum praesentes quum futuras ecclesias, quae a Patribus praedictae Provinciae sub iurisdictione Episcoporum, ut praefertur, administrantur. Ad normam dicti utriusque rescripti indulgentiae fuerunt populo publicatae, quae sane publicatio sine magna populi admiratione intermitti non posse videtur.

Quam gratiam etc.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 26 Iunii 1907 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 26 Iunii 1907.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Augetur indulgentia pro iaculatoria " Notre-Dame de Lourdes, priez pour nous „.

Très Saint Père,

François-Xavier Schœpfer, Evêque de Tarbes, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, la supplie de daigner porter à trois cents jours, *toties quoties,* l'indulgence de cent jours, applicable aussi aux âmes du Purgatoire, déjà accordée par le Bref du 23 Juin 1902, à tous les fidèles qui dévotement réciteront la jaculatoire: *Notre-Dame de Lourdes, priez pour nous.*

Et que Dieu, etc.

Ex audientia SSmi, die 9 Novembris 1907.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 9 Novembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretario
Ios. Maria Can. Coselli, *Substitutus.*

Prorogatur in perpetuum indulgentia plenaria pro speciali consecratione Deiparae Virgini.

LEO XIII

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus et singulis religiosis geminae congregationis a Beato Ludovico Maria Grignon de Montfort fundatae, nempe Patribus Missionariis Societatis Mariae et Filiabus a Sapientia nec non et singulis utriusque sexus fidelibus qui quotannis pie renovare censuerunt specialem Deiparae Virgini consecrationem (1), quam Beatus ipse composuit ac vere poenitentes et

(1) En textus supradictae consecrationis: *Consécration de soi-même a Jésus-Christ, la sagesse incréée par les mains de Marie.* — O Sagesse éternelle et incarnée! O très aimable et adorable Jésus, vrai Dieu et vrai homme, Fils unique du Père éternel et de Marie toujours Vierge, je vous adore profondément dans le sein et les splendeurs de votre Père, pendant l'éternité et dans le sein virginal de Marie, votre très digne Mère dans le temps de votre Incarnation.

Je vous rends grâce de ce que vous vous êtes anéanti vous-même en prenant la forme d'un esclave pour me tirer du cruel esclavage du démon. Je vous loue et vous glorifie de ce que vous avez bien voulu vous soumettre à Marie, votre Sainte Mère, en toutes choses, afin de me rendre par elle votre fidèle esclave. Mais, hélas! ingrat et infidèle que je ne vous ai pas gardé les

confessi et S. Communione refecti die festo Immaculatae Conceptionis Virginis Deiparae ac die vigesimo octavo men-

promesses que je vous ai solennellement faites à mon baptême. Je n'ai point rempli mes obligations, je ne mérite pas d'être appelé votre enfant ni votre esclave, et comme il n'y a rien en moi qui ne mérite votre rebut et votre colère je n'ose plus par moi-même approcher de votre très sainte et auguste Majesté. C'est pourquoi je recours à l'intercession de votre très Sainte Mère, que vous m'avez donnée pour médiatrice auprès de vous, et c'est par ce moyen que j'espère obtenir de vous la contrition et le pardon de mes péchés, l'acquisition et la conservation de la sagesse.

Je vous salue donc, ô Marie Immaculée, tabernacle vivant de la Divinité, où la Sagesse éternelle cachée veut être adorée des Anges et des hommes. Je vous salue, ô Reine du ciel et de la terre, à l'empire de qui est soumis tout ce qui est au dessous de Dieu. Je vous salue, o refuge assuré des pécheurs, dont la miséricorde ne manque à personne; exaucez les désirs que j'ai de la divine sagesse, et recevez pour cela les vœux et les offres que ma bassesse vous présente.

Moi N..., pécheur infidèle, je renouvelle et ratifie aujourd'hui entre vos mains les vœux de mon baptême. Je renonce pour jamais à Satan, et à ses pompes à ses œuvres, et je me donne tout entier à J.-C., la sagesse incarnée, pour porter ma croix à sa suite tous les jours de ma vie. Et afin que je lui sois plus fidèle que je l'ai été jusqu'ici, je vous choisis aujourd'hui, ô Marie, en présence de toute la Cour céleste pour ma Mère et Maîtresse.

Je vous livre et consacre en qualité d'esclave mon corps et mon âme, mes biens intérieurs et extérieurs, et la valeur même de mes bonnes actions passées, présentes et futures, vous laissant un entier et plein droit de disposer de moi et de tout ce qui m'appartient sans exception, selon votre bon plaisir, à la plus grande gloire de Dieu, dans le temps et l'éternité.

Recevez, ô Vierge bénigne, cette petite offrande de mon esclavage en l'honneur et union de la soumission que la sagesse éternelle a bien voulu avoir à votre maternité, en hommage de la puissance que vous avez tous deux sur ce petit vermisseau et ce misérable pécheur, en action de grâce des privilèges dont la S. Trinité vous a favorisée. Je proteste que je veux désormais, comme votre véritable esclave chercher votre honneur et vous obéir en toutes choses. O Mère admirable, présentez-moi à votre cher Fils en qualité d'esclave éternel, afin que, m'ayant racheté par vous il me reçoive par vous. O Mère de miséricorde, faites-moi la grâce d'obtenir la vraie sagesse de Dieu et de me mettre pour cela au nombre de ceux que vous aimez, que vous nourrissez et protégez comme vos enfants et vos esclaves! O Vierge fidèle, rendez-moi en toutes choses un si parfait disciple, imitateur et esclave de la sagesse incarnée de Jésus-Christ, votre Fils, que j'arrive par votre intercession, et votre exemple, à la plénitude de son âge sur la terre et de sa gloire dans les Cieux. Ainsi soit-il *(N. R.)*.

sis Aprilis vel propriam respectivae piae domus ecclesiam, secus uniuscuiusque parochialem, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua ex praefatis diebus id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem quam etiam animabus christifidelium quae Deo in charitate consumptae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus atque elargimur. Praesentibus ad septemnium valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXV Februarii MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Pro Dño Card. De Ruggiero
N. Marini, *Substitutus*

Prorogamus in perpetuum.
Die 24 Decembris 1907.

PIUS PP. X

Praesentis rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 22 Ianuarii 1908.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Associatio sacerdotalis reparationis commendatur et indulgentiis ditatur.

Beatissime Pater,

Maria Eduardus Mott, presbyter e congregatione Missionis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit:

In pluribus dioecesibus erecta reperitur pia quaedam sodalitas, cui titulus *Associatio sacerdotalis reparationis,* eiusque finis et statuta ea sunt, quae sequuntur:

Art. 1. Associatio sacerdotalis reparationis ut finem intendit: 1° Christo Domino dignam reparationem offerre illis pro peccatis, quae amantissimum cor eius crudelius offendunt; 2° conversionem eorum, qui tanti nefas se reos efficiunt; 3° illorum, qui in bono perseverant, maxime sacerdotum, sanctificationem magis ac magis in dies crescentem.

Art. 2. Talis Associatio, essentialiter sacerdotalis, sacerdotibus praesertim constat. Attamen directoribus dioecesanis facultas facta est alias etiam personas aliquando et per modum exceptionis admittendi, dummodo aliquo voto Deo iam fuerint addictae.

Art. 3. Reparationem quam intendere debent, triplici modo sodales perficere possunt: 1° affective, compatiendo scilicet toto animi affectu dolori Cordis Iesu, cuius horrenda talia sunt causa, eique consolationem praebere nitendo; 2° effective, id est, effectivum Christo amorem impertiendo, ac proinde eo fidelius ei serviendo, quo gravius alii ab eo recedunt; 3° afflictive, seu afflictionem corporis aut spiritus libenter sustinendo, vel sibi voluntarie imponendo, ut pro tot ac tantis improbis gaudiis conveniens fiat compensatio.

Art. 4. Virtutes, quibus spiritus peculiaris huius societatis specialiter constat, sunt: 1° magna cordis mundities; 2° profunda humilitas; 3° amor Christi tener, fortis et invictus.

Art. 5. Associatio a directoribus dioecesanis, qui a respectivis Ordinariis nominantur in singulis dioecesibus, regitur

iuxta spiritum, leges et consuetudines ei propria, sub auctoritate tamen unius directoris generalis.

Art. 6. Associationis patronus coelestis est S. Michael Archangelus. Eius festa primaria sunt: Cordis Iesu Sacratissimi et S. Michaelis Arch., secundaria vero, ea quae Passionem Domini, Sanctissimam Eucharistiam, Immaculatam Conceptionem et compassionem B. Mariae Virg. spectant, nec non festum Sancti Vincentii a Paulo.

Art. 7. Devotiones huic sodalitati speciales eae sunt, quae pertinent ad Christi Passionem, ad Sanctissimam Eucharistiam, ad cor Iesu Sacratissimum et ad Mariam sine labe originali conceptam.

Art. 8. Sodalibus obligatio nulla exterior imponitur. Singuli tamen nituntur in eadem reparationis mente uniri, pias Associationis observando consuetudines, speciatim recitando quotidie Psalmum *Miserere.*

Art. 9. Omnes et singuli sodales, quamvis semper et ubique reparationi addicti, diem tamen unum in unaquaque hebdomada eligunt, quo illi specialiter vacant. Tali die intentio saltem secundaria missae quam celebrant aut celebrandam procurant, aut cui assistunt, nec non et Communionis sacramentalis quam peragunt, ad reparationem dirigitur.

Quo vero sodales ad finem huiusmodi piae Associationis assequendum magis excitentur, humilis orator enixe petit a S. V. ut illis sequentes indulgentias concedere dignetur. *Plenariam:* 1° die quo Associationi nomen dederint; 2° Feria V in Coena Domini; 3° in solemnitate Corporis Christi, vel una die infra octavam; 4° in festo SSmi Cordis Iesu; 5° in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis; 6° in singulis festis quibus Passio D. N. I. C. recolitur, a feria III post Dominicam Septuagesimae ad feriam VI post Dominicam IV Quadragesimae, inclusive; 7° in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V.; 8° in utroque festo Septem Dolorum eiusdem B. V.; 9° in festo S. Michaelis Archangeli; 10° in festo

S. Vincentii a Paulo conf.; 11° semel in mense, die cuiusque sodalis arbitrio eligenda dummodo praefatis diebus sodales sacramentali confessione expiati missae sacrificium fecerint, vel saltem ad S. Synaxim accesserint, et ad mentem S. V. pias preces ad Deum fuderint; 12° in mortis articulo, si uti supra dispositi, vel saltem contriti SSmum Iesu nomen ore si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint. *Partialem:* 1° septem annorum totidemque quadragenarum: *a*) quoties, corde saltem contriti ac devote, sodales aliquem poenitentiae actum iuxta finem Associationis exercuerint; *b*) semel in hebdomada, die, quem ad reparationis exercitium, iuxta Associationis statuta, specialiter elegerint, dummodo ad mentem S. V. oraverint; 2° trecentorum dierum, quoties corde item contriti sodales quinque Crucifixi Domini vulnera devote osculati fuerint, pias reparationis intentiones renovantes; 3° centum dierum pro unoquoque bono opere pietatis vel caritatis. Implorat tandem humilis orator, ut S. V. omnes et singulas praefatas indulgentias, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, animabus etiam in Purgatorio degentibus applicabiles esse declaret. Et Deus, etc.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X, in audientia 22 Ianuarii 1908 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces; ut autem consulatur unitati non minus quam perennitati praedictae Associationis, idem SSmus, cui maxime cordi est eiusdem per orbem diffusio, mandavit ut Director generalis, a Superiore generali Congregationis Missionis pro tempore existenti designetur, sive extra sive intra eius religiosam familiam. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 22 Ianuarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro versiculis " Requiem aeternam " etc.

Beatissime Pater,

Paulus Buguet, Protonotarius Apostolicus ad instar, director generalis pii operis expiatorii D. N. *de Montligeon* ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit, ut quaedam de Ecclesiae thesauro indulgentia tribuatur quibuslibet christifidelibus, quoties in defunctorum suffragium sequentes versiculos recitaverint:

℣. *Requiem aeternam dona eis Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

℣. *Requiescant in pace.*

℟. *Amen.*

Et Deus, etc.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 13 Februarii 1908 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne concessit ut christifideles quoties corde saltem contriti ac devote praefatos versiculos recitaverint, trecentorum dierum indulgentiam, defunctis tantummodo applicabilem, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 Februarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Circa Scapulare Nostrae Dominae a S. Corde.

Beatissimo Padre,

Il P. Pietro Benedetti, procuratore generale dei Missionari del S. Cuore, prostrato ai piedi della S. V. espone quanto segue:

Con prezioso autografo della Santità Vostra del giorno 18 agosto 1907, la S. V. si degnò concedere: *a*) che i sacerdoti Missionari del S. Cuore avessero la facoltà di benedire ed imporre lo Scapolare del S. Cuore, portante sul rovescio l'immagine di Nostra Signora del S. Cuore: *b*) che il superiore generale potesse delegare tale facoltà ai sacerdoti ascritti all'Arciconfraternita di Nostra Signora del S. Cuore.

Ora per non moltiplicare il numero degli Scapolari, preso l'accordo col Vicario generale degli Oblati di Maria Immacolata, che hanno facoltà speciale di benedire uno Scapolare del S. Cuore già approvato dalla S. Sede, ed arricchito di grazie spirituali, l'oratore invece delle concesse facoltà chiede umilmente di avere un rescritto che conceda ai Missionari del S. Cuore la facoltà simile a quella dei sudditi Oblati, di benedire e imporre lo Scapolare del S. Cuore con le stesse indulgenze e per i medesimi privilegi, accordi al Generale di potere delegare a ciò i sacerdoti ascritti all'Arciconfraternita di N. S. del S. Cuore.

Che della grazia, ecc.

Ex audientia SSmi, die 13 Februarii 1908.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 13 Februarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



APPENDIX

VOTUM CONSULTORIS

BONONIEN. ET ALIARUM. – ITERATIONIS MISSAE

Emi ac Rmi Patres (1),

28. Hodie, quae viget, de Sacrorum iteratione iurisprudentia, suam a Benedicto XIV repetit firmitatem. Non quod eruditissimus Pontifex, ni tenuitati meae toto coelo contingat errare, iurisprudentiam antecedentem notabiliter immutaverit; non quod iterationis causas vere sufficientes, et practicas conditiones, praecisius determinaverit: sed quod posteriora Sedis Apostolicae decreta, resolutiones, instructiones, rescriptave nec non iuristarum conclusiones et scholia, praecipue, ne dixerim unice, solidantur super normis quas Benedictus XIV praestituit in sua ad Episcopum Oscensem Constitutione *Declarasti nobis,* diei 16 Martii 1746, aut in suis Operibus, praesertim *De sacrosancto missae sacrificio,* lib. 2, cap. 5, edit. Praten. pag. 162 etc.; et *De synodo,* pluribus locis, signanter lib. 5, cap. 7.

29. Praestat igitur praelaudatam Constitutionem Benedictinam, quae, nostro in themate, quasi fons iuris habenda est, paulo attentius rimari. Cuique perlegenti perspicuum illico fit dictam Constitutionem duabus absolvi partibus, positiva una, negativa altera, nempe:

In priori, doctissimus Pontifex, prolixe congestis, ut de solito, citationibus, iustam praefinit iterationis causam, nempe populi necessitatem: « Unanimi consensu permittitur *(iteratio Sacri)* sacerdoti, qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebrante per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam: tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant *(auctores)* eiusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis Sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat ». Quae populi necessitas, subiungit Pontifex, nullatenus agnoscenda est, si sacerdos alter, in altera paroecia, aut in altero paroeciae loco distanti, in promptu sit qui rem divinam ibi peragere et sic necessitati populi consulere valeat.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 41, pag. 55.

In altera i. e. in parte negativa, Benedictus XIV confutat rationes quas, referente Episcopo Oscensi (vulgo *Huesca* in Hispania) parochi proferebant, ut videtur, ad suam iterandi consuetudinem legitimandam. Quum autem rationes istae, plus minusve sint eaedem ac illae de quibus infra fusius ac distincte dicendum veniet, otiosum videtur heic in illis immorari.

30. Alium iurisprudentiae vigentis fontem reperire est in *Formulis facultatum* sic dictarum quinquennalium. Quae, cum quanta sedulitate quantoque labore fuerint exaratae, nemo est qui nesciat. Attento vero quod memoratae Formulae, penes auctores nonnisi perraro membratimque citentur, haud ingratum erit nec inane integrum hac de re articulum perlegere: « *Art. 23.* Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima missa non sumpserint ablutionem, per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine ministro et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non potest. *Caveat vero ne praedicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur.* Quodsi hanc eamdem facultatem alteri sacerdoti, iuxta potestatem inferius apponendam *(per art. 28)* communicare, aut causas ea utendi alicui, qui a S. Sede facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, *serio ipsius conscientiae iniungitur ut paucis dumtaxat* iisque maturioris prudentiae ac zeli, *et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus,* eamdem communicet, aut respective causas approbet ». (*Form. I,* cui consonat II, III, IV, etc.

31. Tertius habetur fons iurisprudentiae circa facultatem bis in die celebrandi, in notissima Instructione S. C. de P. F. diei 24 Maii 1870, in qua, propter exorta dubia non pauca, visum est opportunum « colligere communiores regulas ac principia, quae in memoratae facultatis usu prae oculis sunt habenda ». Sicut in Constitutione Benedictina *Declarasti nobis*, ita et in Instructione S. C. de P. F., praemisso principio de missa tantum iteranda propter populi necessitatem, *negativae regulae* ex illo principio eruuntur quoad usum facultatis de qua agitur.

32. Has ergo regulas, tum ex Constitutione et Instructione praelaudatis, tum ex aliis S. Sedis resolutionibus, additis, ubi necessarium vel opportunum erit, auctorum commentariis, propriisque animadversionibus, ea qua potero claritate et brevitate, resumere conabor.

I. Reg. ***Nulli sacerdoti, quacumque dignitate praefulgeat, licet unquam, quavis de causa, vel gravissima, missam plusquam bis in die celebrare, excepto die Natali D. N. I. Christi, et*** (pro quibusdam regionibus ad id privilegiatis) ***die commemorationis omnium defunctorum.***

33. « In casu necessitatis permittitur sacerdotibus missae iteratio eodem die. Id tamen debet intelligi de venia celebrandi duas tantum missas, quamvis graves concurrerent causae, quae maiorem numerum celebrare suaderent » *(Instr., n. 3).*

Eadem S. C. de P. F., iam anno 1648, posteaque ann. 1684, 1818, 1820 Praefecto Apostolico Algerien. iniunxerat ut sacerdotibus missionariis praeciperet « ne deinceps ultra duas missas celebrent ».

Haec S. C. Concilii (ut recentiorem resolutionem adducam) Episcopo Costaricensi veniam efflagitanti, propter graves utique causas, *trinam* in quibusdam paroeciis missam ab eodem sacerdote, in comitiis 6 Maii 1893 respondendum mandavit: « Pro gratia ut in praefatis paroeciis, ubi duo tantum adsint sacerdotes, alteruter binare possit, ad decennium, *excluso tamen, quocumque in casu,* ut quisque e sacerdotibus *tertiam* missam celebrare possit ».

34. Non me fugit quosdam auctores, etiam hodiernos, praeter antiquiores, contrariam huic primae Regulae propugnare sententiam, quippe qui, nonobstantibus praelibatis responsionibus, censent etiam nunc Episcopum posse, exstante gravissimo necessitatis casu, absque ulla facultate Apostolica, tertiam permittere missam. Compilator et Redactor collectionis *Acta S. Sedis* (vol. 6, in App., pag. 568, nota 1) eo usque pergit ut facultatem Episcopo, imo presbytero, tribuere videatur toties missam iterandi quot sunt populi; « unde, si sint tres, vel quatuor, ter vel quater idem presbyter iterare missam debet ». Et in probationem allegat S. Leonis Magni ad Dioscorum Alexandrinum epistolam, quae perferme sensum habet longe diversum, prout supra *(n. 5)* adnotavi. Aliunde haud parum singulare videtur quod, ad explanandam de Sacrorum iteratione iurisprudentiam hodiernam, ad verba S. Leonis I recursus habeatur.

35. Imbelle pariter argumentum ex rescripto huius S. Congñis desumptum, nimirum in una *Mexican.* 20 Dec. 1879 *Super facultate missam ter celebrandi.* Indulsit utique S. Congregatio quod Archiep. orator, propter specialissimas circumstantias, *trinam* in aliquibus locis et aliquibus sacerdotibus permitteret missam; sed addita mente, nempe: « ut ultra tertiam missam nunquam nullaque de causa iterationem permittas; necnon ut concessionis tempore durante *(ad quinquennium),* ea

qua praestas prudentia ac solertia, res componere satagas ad tramites disciplinae vigentis, qua scilicet plebis necessitati audiendi Sacrum satis consulatur per binationem ».

Unde, Archiepiscopus Mexicanus, sicut et coeteri omnes per orbem terrarum Ordinarii, non ex iure communi, non e suis facultatibus ordinariis, sed solum ex indulto Apostolico, *trinationem* (venia sit verbo) permittebat; quod indultum proinde, vigentem disciplinam nedum infirmet, reapse confirmat.

II. Reg. *Sacerdos, si vera necessitas urgeat, bis in die missam celebrare valet.*

Ex iam dictis, satis superque patet.

III. Reg. *Necessitas illa desumenda est ex parte fidelium qui, cum una tantum missa, praecepto audiendi satisfacere nequirent.*

36. Ad rem faciunt plurimi textus suprarelati, notanter Concilium Nemausen. (n. 8), Bened. XIV *(Declarasti)*: « ..... Quidquid sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt non de utilitate celebrantis, sed missam audientis. Sic docet Card. Zabarella. En eius verba: « *Considera quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis,* non celebrantis ».

Aptiori adhuc formula, Verricelli (citatus penes Instruct. S. C. de P. F.): « Haec necessitas, inquit, non est desumenda ex parte inopiae sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi et raritate sacerdotum ».

Hinc:

1°. *Nulla prorsus necessitas in diebus feriatis et in festis suppressis,* quia tunc nullum audiendi missam praeceptum.

37. « Evidens est haud recte sentire qui diceret posse missam iterari diebus festis suppressis, in quibus populus missam audire non tenetur » (*Instr.* S. C. P. F.). Inter plurimas H. S. Congr. resolutiones et rescripta, tum ante tum post Benedictum XIV, peculiariter notandum censeo indultum in una *Fanen.* diei 10 Sept. 1887. Ordinarius, qui iam indultum binandi pro quadam paroecia a benignitate Apostolica ad triennium reportaverat, « nel rinnovare le istanze, chiese che si concedesse « tal facoltà non solo pei giorni festivi di precetto, *ma sì ancora* per « alcuni altri aboliti .... ». Sacra vero Congregatio gratiam utique prorogationis ad aliud triennium impertivit, sed voluit indultum explicite limitatum *pro festis de praecepto tantum.*

38. Haud praetereunda videtur responsio S. Rituum Congñis in *Namurcen.* diei 11 Sept. 1841, in qua Episcopo vehementer instanti pro

facultate binandi, etiam « pour les fêtes abrogées par le décret du Cardin. Caprara », rescriptum fuit simpliciter: *Non expedire.* (*Anal. Iur. Pont.*, I Série, col. 557). Firmius adhuc haec S. C. Concilii in una *Lingonen.*: Episcopus exposuerat nunnullos suae dioeceseos parochos duas, *ab immemorabili,* celebrare consuevisse missas diebus de praecepto, et hanc consuetudinem etiam quoad festa suppressa retinuisse. S. Congregatio die 23 Ian. 1847 mandavit: « Scribatur Episcopo oratori ut, revocatis primum omnibus facultatibus, licentiam in posterum concedat bis missam celebrandi diebus festis tantum de praecepto, quatenus eae circumstantiae et praecisae necessitatis casus concurrant, quos Benedictus XIV in sua Const. *Declarasti nobis,* die 16 Martii 1746 edita, requirit ».

39. E quo, de facili colligitur, ut puto, non solum iterationem in festis suppressis esse illicitam, sed eam non obstante consuetudine tolerari non posse. Et hinc ea confirmantur quae paulo inferius, sub regula VII (necessitatem binandi scilicet nunquam ex consuetudine desumendam esse) dicenda venient.

Attamen plura, quanquam relative pauca, possent afferri exempla concessae Sacrorum iterationis pro festis suppressis, quae tamen fideles peculiari cultu prosequi pergebant, ut v. g. in *Argentinen.* 17 Sept. 1859, in *Turonen.* et *Lingonen.* 23 Aug. 1878. At vero, haec et similia particularibus in casibus indulta Apostolica, nullatenus regulam generalem, ut supra notatum est, infirmare valent.

2°. *Nulla pariter necessitas, si secundam missam alter sacerdos celebrare valeat.*

40. Ad rem Benedictus XIV: « Ea potissimum verba diligenter observari debent: *Ubi non est, nisi unus sacerdos* (1); nec non alia: *nec sunt in ecclesia duo sacerdotes* (2): ex quibus clare perspicimus non licere parocho, si alius sacerdos praesto sit, duo Sacra perficere diebus festis, ut populus missae sacrificio intersit, sive missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus, sive una tantum sit ecclesia, in qua missa celebratur et ad quam insimul universus populus convenire non potest. Hi quippe duo casus eodem iure censendi sunt ». *Declarasti nobis,* § Ea potissimum.

Et *Instructio* praelaudata sub n. 9: « Necesse tandem non est ad-

---

(1) Haec verba Benedictus XIV e synodo Rothomagen. 1231 mutuatus est.

(2) E praecitata synodo Nemausen.

notare, interdictam esse sacerdoti missae iterationem, quoties alius haberi possit sacerdos, qui populi necessitati valeat satisfacere ».

41. Maximi momenti rescriptum habemus S. V. O. in una *Malacitana,* quod proinde fere ex integro transcribendum videtur. Episcopus, dubius et anceps circa consuetudinem in dioecesi sua iamdiu inolitam, efflagitavit:

« I. An liceat Episcopo licentiam concedere presbytero unam missam celebrandi in oratorio suburbano vel rurali, *aliam vero* in civitate vel loco, ubi etiam adsint alii sacerdotes Sacrum facientes?

II. An liceat huiusmodi licentiam concedere presbytero ambas missas celebraturo in diversis ecclesiis eiusdem civitatis vel loci in quo et alii sacerdotes celebrant, et hoc etiam si una ex missis celebranda sit (in ecclesia) in qua et alius sacerdos sacrosanctum sacrificium eadem die litat?

III. An expediat Episcopo oratori, ob expositas rationes et allegatas causas, huiusmodi licentiam et agendi rationem confirmare, et etiam ad similes casus, in aliis locis et civitatibus suae dioecesis, prout necessitas expostulet, extendere? ».

Hisce porro dubiis mature perpensis, Emi Patres in comitiis 10 Maii 1897 rescribi mandarunt:

Ad I, II, III: *Non licere;* et Ordinarius, quatenus in aliquo ex enunciatis casibus, necessarium iudicet ut Sacrum iteretur, recurrat ad Apostolicam Sedem. (Cf. *Monit. eccl.*, vol. 10, part. 1, pag. 218).

42. Quae quidem, primo oculo, perspicua videntur et stricte concludentia. Verum, aliqua, ni fallor, perstat adhuc nubecula, propter verbulum istud: *alius sacerdos praesto sit.* Quis sacerdos, quandonam et ubinam praesto esse censendus erit?

Profecto ille solus qui missam hanc secundam, pro necessitate populi, celebrare poterit; minime vero sacerdos qui, propter physicam impotentiam aut propter canonicum impedimentum, v. g. interdictum, a celebratione cogitur abstinere: ille enim est in loco *quasi non sit.* Quod si Sacra libare valeat, etsi forte minus decorose, non amplius iterationi locus esse videtur.

43. Hanc regulam, seu rectius huius regulae corollarium secundum, plus aequo, ni fallor, urgent, qui sentiunt sacerdotem praesto esse, si sit non in loco sed in circumvicinis, unde eum parochus vel Episcopus haud difficulter avocare valebit. At si sacerdos ille, plus minusve e loco distans, quem aliunde nullum constringit officium, parere recuset?

Melius ergo ac securius est regulam (de Sacro non iterando, si alius sacerdos praesto sit) manutenere prout e praecitatis iuris fontibus erui-

tur, praetermissis peculiaribus et mere casualibus circumstantiis. Utrum autem expediat ampliora Episcopis elargiri iura, respectu sacerdotum, etiam animarum curae non addictorum, qui missam pro necessitate populi celebrare renuunt, infra, i. e. in conclusionibus practicis, dicendum veniet.

IV. Reg. *Necessitas nullatenus ex sacerdotis iterantis egestate multoque minus maiori commoditate desumitur.*

44. « Nec presbyterorum paupertas missae iterationem valet probare ..... ».

Annis 1743, 1750, S. Congr. de P. F. certior facta quod « multi sacerdotes *(in Hibernia)* utebantur facultate iterandi missam, non alia de causa nisi ut pinguiores eleemosynas perciperent, atque inde commodius se sustentarent, Emi Patres decreverunt: *Graviter moneantur sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius et pinguius habeant* ». (*Instr.,* n. 8).

Longe antea, a Benedicto XIV qualificatur veluti *abusus intolerabilis* facultas alicui sacerdoti facta iterandi missam, eum in finem ut duplici eleemosyna decentius sese sustentaret. (De stipendio pro secunda, inferius).

V. Reg. *Nec ex sola fidelium commoditate.*

45. Plurimae proferuntur, hac de commoditate, resolutiones Sedis Ap. praesertim huius S. Congregationis, ut in una *Ambianensi* 22 Maii 1841, *Nivernensi* 21 Martii 1888, *Venetiarum* 28 Febr. 1891, etc. etc., in quibus consone responsum fuit iterationem missae non licere, eo solo quod fideles, qui aliis missis in loco interesse poterant, alteri missae, in tali ecclesia aut ad talem horam facilius et commodius adstitissent.

Caeterum unicuique compertum est quam arduum sit in praxi commoditatem fidelium clare secernere ab illa morali necessitate seu *vehementi utilitate* quae sufficiens titulus est iterationis, ut infra. Sic v. g. in praecitata *Venetiarum* vix ac ne vix quidem percipere valeo quod commodior tantum, et non vere (saltem moraliter) necessaria fuerit, tum missa horae octavae pro mulieribus, domesticis laboritiis aliunde addictis, tum horae decimae pro nautis qui, post transactam in piscatione noctem totam, somno usque ad decimam sese reficiebant.

Sane stricte loquendo, non erat impossibile nautis etsi defatigatione exhaustis et somno gravatis huic missae horae octavae interesse: verum praeceptum quodlibet positivum reapse dicitur et est impossibile si, propter nimium incommodum quod secum trahit, ut in casu, gradum communem bonae voluntatis notabiliter superet. Pari modo praeceptum di-

citur et est impossibile si gravem secum trahat in ordinario vitae cursu perturbationem. Seminaristae Aprutii, v. g. de quibus infra, possent utique, hora decima, cathedralem ecclesiam petere, et huic unicae missae interesse: at quis non videt cum quanto incommodo et cum quanto detrimento spirituali, dicti seminaristae missa in sua propria cappella privarentur?

E contrario nulla prorsus impossibilitas neque absoluta neque moralis, si quaedam populi pars missam quidem habet in promptu, sed tamen aliam peculiarem exoptat pro maiori spirituali solamine, ut in *Bononien.*, et *Minoricen.* (de quibus pariter infra): ibi enim non necessitas aut vehemens utilitas sed tantum commoditas.

VI. Reg. *Nulla certe necessitas pro sola cuiusvis privatae familiae commoditate.*

46. « Interdicta est missae iteratio in eorum commodum, qui vellent praecepto audiendi missam satisfacere in suis privatis cappellis ». (*Instr.*, n. 6).

Ex isto textu arguendum foret suprascriptam regulam coarctandam esse ad solam in cappellis privatis iterationem. Nihilo tamen minus formula suprascripta, iuxta vigentem disciplinam, iterationem excludit non solum in cappellis privatis magnatum, sed etiam in ecclesia publica *pro solo magnatum commodo*, puta (prout heu! frequenter contingit) si conspicua quaedam familia missae communi dedignetur interesse, et peculiarem sibi soli distinctis horis efflagitet.

VII. Reg. *Necessitas ex contraria consuetudine oriri nequit.*

47. Praecipuus Constitutionis Benedictinae scopus est praecise limites praefiniendi, ultra quos iterandi consuetudo non amplius consuetudo sed verius corruptela dicenda foret; quam idcirco perperam, in excusationem abusuum suorum, Oscensis dioeceseos parochi allegare satagebant.

Haec S. Congregatio pluries iterationem recusavit aut reprobavit, ratione tantum consuetudinis expetitam vel excusatam, in *Salamantina* v. g. « nulla habita ratione consuetudinis », in *Malacitana* suprarelata, etc.; necnon S. Rituum Congregatio in *Ambianen.* die 22 Maii 1841: « Teneri Episcopum consuetudinem seu *abusum* omnino eliminare ».

48. Hac de re, nova quaedam inducitur exegesis, seu rectius distinctio subtilis inter consuetudinem quae missam iterare permittat extra casum necessitatis, quaeque proinde reprobanda prorsus est; et consuetudinem quae quamdam necessitatem iterandi praesupponit non vero strictam et urgentem, sed tantum moralem, practicam, hodiernis mo-

ribus attemperatam. Sic ex. gr. R. Many in suis, aliunde laudabilissimis, Praelectionibus *De Missa,* pag. 68.

Haec distinctio, ni fallor, difficultatem parumper amovet, minime removet: nam, si ex quadam necessitate consuetudo dignoscitur orta, tunc erit Ordinarii diiudicare utrum asserta necessitas sit, necne, sufficiens, eamque vel ratam habere vel repellere. Aliud est enim, ut quisque videt, ex necessitate consuetudinem, aliud autem ex consuetudine necessitatem agnoscere.

49. Advertatur insuper quod in praememorata *Ambianensi* Episcopus generalem allegaverat in dioecesi sua consuetudinem e quibusdam *practicis* facilitatibus, ita si dici possit, inolitam; attamen S. Congregatio eam edixit abusivam et omnino eliminandam, ea de causa, si quid capio, quod quaevis consuetudo, sine *vera* necessitate, disciplinae laesionem excusare non valet. Immo, tenuitati meae indubium videtur consuetudinem olim forte ex vera necessitate ortam, fieri caducam et abusivam, statim ac cessaverit necessitas. Aërem certe verberare non intenderunt hi qui formulam indultorum munitam voluere hacce clausula: *Attenta necessitate, eaque perdurante.*

VIII. Reg. *De necessitate iterandi iudicare ad Episcopum pertinet.*

50. Frustra perquireretur, in antiquis iuribus, canon quispiam, aut quaelibet declaratio, qua clare et explicite iudicium circa sufficientiam causae iterandi, Episcopis exclusive reservetur: at vero, si textus tacet, rectus clamat sensus.

Re vera Tridentinum Episcopis summopere commendat, seu rectius iniungit, ut perquam sedulo invigilent super his omnibus quae rectam sacrosancti sacrificii celebrationem respiciunt, omnemque abusum, irreverentiam, avaritiam, superstitionem praecavere vel eradicare satagant: et inde, necessario sequitur nexu, munus esse Episcoporum curandi ne circa Sacrorum iterationem, abusibus maxime obnoxiam, praesertim quantum ad causae sufficientiam aut insufficientiam, disciplina ecclesiastica quorundam sacerdotum aviditate nimium laxetur, aut aliorum acedia, haud sine populi detrimento, plus aequo restringatur.

« Licet licentia sit a iure, prout egregie Pasqualigo (penes *Zelada* in una *Derthonen.,* Thesaur. Res., vol. 37, pag. 276), usus tamen licentiae requirit maturam considerationem, quia iudicandum est de sufficientia causae, et quamvis in dicto cap. *Consuluisti,* hoc iudicium non sit alicui reservatum, ex natura tamen rei pertinet ad Episcopum ».

« Certissimum illud est, ait Benedictus XIV, Missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die sacrificium bis

operentur; reliquis vero sacerdotibus opus esse ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur, cuius sane iudicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet ». (*Declarasti,* § Tui praeterea).

51. Absque Sedis Apostolicae peculiari potestate, de qua hic Benedictus XIV, ipsi Missionarii non proprio sed superioris iudicio stare debent, ut in praelaudata Instruct. § 15: « ..... Quapropter in casibus particularibus, deficiente presbyterorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis, prudenti iudicio superioris (1) definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum adiuncta, quae tradunt doctores necessitatis casum efficere, in quo dispensationi a praecepto universali de non iterando sacrificio ab eodem presbytero eademque die locus fiat ».

Haec S. C. Concilii in una *Cameracensi* 25 Sept. 1858, saepe posterius invocata, rescripsit: « .... Placuit Sanctitati Suae, eadem et tibi dare responsa quae ad alios quoque Antistites, per hanc S. Congregationem Concilii, transmissa sunt: *Ordinariorum scilicet esse de re cognoscere et perpendere, num revera necessitas urgeat ut sacerdos duas missas celebrare cogatur, nec aliter utendum concessa hac iteratione, quam iuxta conditiones ab ipsis apponendas, habita locorum, populorum et paucitatis sacerdotum, ac proinde verae necessitatis ratione* ..... ».

52. Plures tamen supersunt, circa iudicium Episcoporum seu Ordinariorum de sufficientia causae, subsidiariae quaestiones, quae praetermitti aut floccifieri non possunt. Et primo: *Utrum praevium requiratur Episcopi iudicium etiam in casu evidentis et urgentis necessitatis?*

Resp. 1°. Casus huiusmodi non mere cerebrosus censendus est. Parochus A, die de praecepto iamiam ad altare conscensurus audit parochum B loci finitimi (dioecesis eiusdem vel alterius, parvi refert) de repente correptum apoplectico ictu. Quare parochus A suam in propria ecclesia absolvit missam, quin ablutionem sumat, et illico vicinam ad parochiam B pergit, ibique denuo celebrat.

2°. Non recte agit, inquient quotquot existimant iteranda Sacra non pro actuali et casuali necessitate, sed tantum pro habituali, quia nullum

(1) Haec responsio Vicario Apostolico Limburgensi data fuit. In hac Regula VIII mentio fit tantum de *Episcopis,* quin nominentur Vicarii aut Praefecti Apostolici, quia iuxta axioma res denominari convenit secundum principale.

vel minimum, iuxta ipsos, inconveniens est, si populus una vel altera vice sine missa relinquatur.

3°. Optime agit, reponent, et meritissime quidem, meo humili sensu, caeteri theologi et canonistae; quia nullibi statuitur Sacra iteranda esse tantum pro necessitate *habituali*; sed e contra provide cavetur iterationis sufficientem esse causam si pars quaedam populi, sine altera missa, praecepto audiendi, sive pro pluribus sive pro una tantum vice, satisfacere non posset, prout consueta sagacitate Emus Gennari (*Consultazioni*, vol. 1, pag. 615, etc.) exposuit.

Huic tamen responsioni affirmativae pro omnibus evidentis et urgentis necessitatis casibus, praeservatorium apponerem limitem, nempe: *si tempus ad Episcopum recurrendi minime suppetat.*

53. Quaerendum est secundo: *Utrum Ordinarius iterationem permittere valeat nonnisi quoad casus necessitatis in iure taxative expressos?*

Resp. 1°. Tres in iure specificantur necessitatis casus, nempe:

Quando unus presbyter duabus paroeciis canonice praeficitur;

Quando unus presbyter unam quidem administrat paroeciam sed cum duobus pluribusve burgis seu castris distantibus quorum incolae nequeunt uni missae parochiali simul interesse;

Quando cuncti paroeciae fideles, etiamsi non longe distent ab ecclesia, nequeunt tamen omnes simul ad unicam missam convenire, ita ut cum una missa quaedam populi pars, maior minorve, praecepto audiendi satisfacere non possit.

2°. Etiam in hisce casibus, Ordinarius nequit iterationem permittere si sacerdos alter praesto sit qui necessariam celebret missam, ut supra dictum est.

54. Adverte tamen populi necessitati (quae in ultima analysi, vera est et unica legitimae iterationis causa) non esse satis consultum, etiam in urbibus, si plures celebrantur missae, quibus nihilominus populus intervenire nequeat. In concreto: missa celebratur in ecclesia parochiali *A*; ast haec missa prorsus insufficiens est, quia ecclesia praefata non est capax omnium paroeciae fidelium. Age vero in ecclesia seu cappella *B*, alia postmodum celebratur missa pro monialibus clausurae, v. g. aut pro carceratis, pro educandis, pro infirmantibus et huiusmodi: porro, haec ecclesia *B* adeo angusta est, vel ita accommodatur, ut exiguus tantum fidelium adventantium numerus ibidem admitti queat, et caeterum alia non habetur in urbe vel oppido missa. In his et similibus casibus

cum una et altera missa non satis, ut apparet, populi necessitati consulitur, et ideo:

3°. Concludendum videtur Ordinarium, absque speciali Sedis Apostolicae licentia Sacrorum iterationem permittere posse non solum in casibus necessitatis a iure, ut supra, taxative praedeterminatis, sed etiam in aliis consimilibus, quotiescumque scilicet certo constet quamdam populi partem, sive una sive plures iam habeantur missae, praecepto audiendi satisfacere non posse. Nec multum a vero distarent qui retinerent Benedictinam Constitutionem aliaque, in themate, pontificia documenta, tres suprarecensitos necessitatis casus specificasse potius per modum exemplificationis quam canonicae determinationis, eo videlicet sensu quod necessitas agnoscenda sit quotiescumque populus, vel populi pars, cum una, vel duabus tribusve in loco missis, quibus intervenire nequeat, sacrosancto sacrificio privaretur.

55. Hanc meam conclusionem, quam nimis facilem nonnulli forsan iudicarent, plane confirmatam esse opinor e pluribus S. Congregationis de P. F. responsionibus. Licet enim alia sit dioecesum, alia vero missionum conditio, quae benigniorem interdum requirit iurium et facultatum interpretationem; nihilo tamen minus Sacrorum iteratio, quoad illas et istas, necessitati fidelium aeque subordinatur, et vix ac ne vix quidem percipi posset eamdem causam in missionibus agnoscendam esse legitimam, in dioecesibus vero prorsus insufficientem. Nec obstat quod in missionibus iteratio vi facultatum apostolicarum permittatur: nam facultates istae praesupponunt, et quidem sub rigidissima formula (prout supra n. 30) veram necessitatem. Valent igitur, etiam pro dioecesum Ordinariis, cautae sapientissimaeque admonitiones Vicariis Apostolicis aut Episcopis Sacrae Congregationi de P. F. subditis, haud una vice datis, v. g.: « Noverit ergo Ampl. tua necessitatem huiusmodi, de qua sermo est, veram quidem sed moralem intelligi non autem absolutam; de qua proinde diiudicare in singulis casibus pendet a prudenti iudicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in diiudicando, ne frustra concessa, aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas praedicta videatur ». (*Instruct.*, n. 16).

Et explicitius: « ..... SSmus D. N. iusserit omnem deponere te debere anxietatem animi, et si existimaverit (Ampl. tua) necessarium esse, *vel fidelibus vehementer utile*, ut sacerdotes bis eodem die celebrent, verborum quibus rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non debere..... ». (*Ibid.*).

Inquirendum tertio: *Qualis respective distantia, vel populi pars,*

seu fidelium numerus, requiratur et sufficiat ad iterationis necessitatem desumendam?

56. ***Resp.*** Quoad ***numerum,*** praeter unam S. R. U. Inquisitionis responsionem, de qua infra, plures habentur resolutiones e quibus inferri debet Sedem Apostolicam, inspecta locorum personarumve varietate, a qualibet fixa determinatione abstinere et decisionem prudenti superiorum arbitrio relinquere voluisse.

Sic Benedictus XIV in Const. praecitata *Apostolicum ministerium,* iterationi locum esse edicit: « cum eorum numerus, qui diebus festivis tenentur Sacris interesse, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui sacerdoti duas missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato *plures* non satisfacerent ».

57. Anno 1828, Episcopis Statuum Foed. Americae sciscitantibus: « Utrum quoties *triginta* aut *quinquaginta* fideles periculo exponuntur missam de praecepto non audire, bis (sacerdotes) celebrare valeant? »; litteris diei 13 Martii, rescriptum fuit, praetermissa numeri determinatione, ut ipsimet Episcopi, pro sua prudentia et conscientia, habita ratione adiunctorum dioecesis, in re iudicarent: et similiter in aliis pluribus responsis.

Sensum facessere nequit responsio S. O. de quo supra: equidem Minoribus Cappuccinis in Graecia missionariis efflagitantibus utrum iteratio liceret « *pro quindecim* seu *viginti* personis quae, legitime impeditae, primae (et unicae in loco) missae adesse non valuerunt », rescriptum fuit, anno 1688: *Non licere.* Nam si legitime impeditae fuerant, ergo a praecepto audiendi exoneratae; et coeterum ex ipsa factispecie praesumendum videtur impedimentum fuisse pro his personis mere casuale.

Eodem anno (1688) S. C. de P. F. noluit decidere num in Tripolitana Praefectura *decem* aut *quindecim* servi satis essent ad iterationem, et rem reliquit « charitati et conscientiae P. Vice-Praefecti ».

Ipsa S. Inquisitio die 22 Iulii 1860 edixit quidem « desiderium neophytorum (in Sinensibus regnis) bis aut ter in anno SSmam Eucharistiam sumere volentium *per se* non esse urgentissimam causam (iterationis) »; attamen subiunxit: « pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis, relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici ».

58. Idem dicito de *distantia*: canonicam disciplinam ad metrum et centimetrum dimetiri satis arduum et haud parum absonum foret, eo magis quod saepe saepius una leuca, vel dimidia leuca, de qua in *Lim-*

burgensi anni 1851, alteri leucae perquam dissimilis esse potest, ut, v. g. si leucam peragere debeo per umbrosam et pergratam viam quae ex Albano ad Castrum Gandulphi ducit, aut si a Tusculo ad conventum Minor. Cappuccinorum, per abruptam saxosamque semitam conscendo. His et aliis huiusmodi apprime quadrat monitum praelaudatae Instructionis: « Ex quibus eruitur eas causas, quae per se atque proinde multis in locis graves non sunt, graves evadere posse in aliis locis ob circumstantias, quae casum concomitentur ».

59. Quarto quaeri potest, et de facto quaeritur a nonnullis canonistis: ***Utrum Episcopus licentiam iterandi concedere valeat sub forma generali, vel solummodo sub forma particulari?***

Resp. 1°. Aequivoca videtur quaestio sic posita, et proinde libenter responderem: Neque sub generali neque sub particulari, sed tantum sub casuali. Mentem evolvo. Talis quaestio videtur primitus exorta ex responsione (praecitata) S. Congregationis EE. et RR. in una *Vicensi* die 25 Oct. 1588, in qua legitur: « ..... Nec concedi potest haec licentia ab Episcopo generaliter quasi privilegium alicuius sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari necessitatis causa ab Episcopo examinanda, et si quando concedi contingat, ***gratis prorsus etiam quoad mercedem notarii*** concedatur ». Lis tota in hisce ultimis continetur verbis sublineatis: Curia Vicensis non modicam pecuniae summam sibi deberi praetendebat pro variis facultatibus per episcopalem Cancellariam expeditis (Cfr. *Fagnanum*, cap. In ordinando *de Simonia.*, edit. Venetae 1697, vol. 5, pag. 32–33) signanter pro facultate binandi quaę per modum privilegii personalis, ut videtur, concedebatur: et S. Congregatio talem praetensionem reiecit, quin ullo modo quaestionem exsolvere intenderit de facultate sub forma generali, aut particulari aut personali concedenda.

2°. Quare, dicendum videtur Episcopum numquam nulloque modo posse facultatem cuilibet personae, i. e. sacerdoti per modum gratiae seu indulti personalis concedere, ut ex dictis abunde patet: bene vero posse ***generaliter,*** id est omnibus suis sacerdotibus, pro omnibus ***particularibus casibus*** in quibus necessarium est ut sacra iterentur: secus falsa reprobandaque forent centena centenaque Synodorum provincialium decreta Italiae, Galliae, Hyberniae, Statuum Foeder. etc. etc. ut videre est in Collectione Lacensi, quibus facultas fit iterandi omnibus indistinctim parochis qui duabus paroeciis unitis praeficiuntur.

IX. Reg. *Missam iterare nemini licet, sine speciali Sedis Apostolicae indulto, nisi servatis adamussim conditionibus a iure praefixis,*

scilicet ut ieiunium eucharisticum minime frangatur, et pro altera missa nullum accipiatur stipendium.

60. Obligationem ieiunii, pro sacerdote secundam (vel tertiam in Nativitate Dñi) missam celebraturo, demonstrare, idem esset ac solem Augusti offerre venalem. Satius erit et efficacius quaedam praelibare circa quaerimonias contra dictum ieiunium in dies propalatas.

Non enim desunt qui, lacymosis dicteriis, legis de ieiunio, vel in casibus iterationis servando, duritiem deflent et nigris coloribus stomachi defatigationem, virium imminutionem, capitis dolores depingunt miselli sacerdotis, qui, post primam horis matutinis missam, et forte post catechismum, concionem, confessiones etc. aliam, versus horas meridianas, in alio distanti loco forsan impervio, celebrare tenetur, quin prius, una tantum vini guttula, uno solo lactis caffaeive haustu, convenienter providere potuerit « ad necessariam sustentationem ventriculi », prout in litteris Iulii III, in forma brevi, diei 15 Martii 1554 ad Imperatotorem Carolum V super ieiunio eucharistico indultum exposcentem, legitur (*De synod. dioec.*, lib. 7, cap. 8, n. 19). Et inde libenter ac saepissime innuitur tempus iam advenisse quo Sedes Apostolica praefatam legem, pro sacerdotibus ipsis, attemperare debeat sicut iam pro laicis, sanctam eucharistiam sumpturis, benignius relaxavit.

61. Parum me movent, fateor, grandiloquae illae lamentationes de aerumnis sacerdotum qui, propter aliam missam tardius celebrandam, ieiunium usque ad unam vel secundam post meridiem horam protrahere coguntur, quia:

Primo « exaggeratum cum primis sacerdotis incommodum, usque adeo grave non est ut ferri non possit. Siquidem nostra etiam aetate multi enumerantur qui per idem temporis spatium, ieiunium tolerant citra ullum valetudinis detrimentum » (*De syn. dioec.*, lib. 6, cap. 8, n. 12).

Secundo, non agitur, in re nostra, de quotidiana vel frequenti abstinentia, sed ad summum de una, vel interdum de una et altera die per singulas totius anni hebdomadas; et coeterum vinum sacrificii, quod in prima missa sacerdos ebibit, suam naturalem non amittit virtutem quadamtenus nutritivam.

Tertio, dato tandem et concesso quod sacerdotes ob ieiunium tarde protractum sensim debilitentur, quid inde? Nil, ut puto, veris Ecclesiae sanctae Dei sacerdotibus, nil gratius esse potest quam ut propter continuos labores, propter nimiam in bonum animarum defatigationem, sese viribus paulatim deficere persentiant: « *Ego ero,* ait Dñus, *merces tua magna nimis!* »

62. Absit igitur ut Sedes Apostolica secundam praebeat praefatis quaerimoniis aurem, et molestis instantiis adducatur « *ad aprire anche questa porta* », per quam, ut pertimescendum videtur, seriusocius intrarent et ad altare conscenderent ebrietas et crapula!

63. Quoad alteram binandi conditionem, nempe de stipendio pro secunda missa nullatenus suscipiendo quaedam videntur adnotanda:

Scite animadvertit Many (Op. cit., n. 58) nullam, penes auctores saeculi XVIII et etiam prioris partis XIX fieri mentionem de prohibitione praefata, quam reapse in anterioribus SS. CC. resolutionibus aut responsis non invenies. Attamen, si clausula deest explicita, genuina mens Sedis Apostolicae meridiana luce coruscat: siquidem, non alia de causa pluralitas missarum in una die suppressa fuit, nisi « ut avaritiae et sordidis quaestibus (verba sunt Benedicti XIV in Brevi *Quod expensis* diei 26 Aug. 1748 ad Hispanos et Lusitanos) adimeretur occasio, vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur ». Ne igitur concessa pro quibusdam necessitatis casibus « Sacrorum iteratio, denuo praeberet ansam abusioni intolerabili »; Sedes Apostolica praefatam cessionem praeservatoriis clausulis, quae iam ex ipso fine legis argui poterant, voluit etiam explicitissime munitam, v. g.: *firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa: Ne eleemosynam vel stipendium a quovis et sub quocumque praetextu pro ea percipiant* etc. etc.

64. Ex his ergo clausulis et aliis similibus videtur statui posse principium generale quantum ad stipendium *pro secunda* missa, nempe:

Si duas paroecias parochus administret, unam pro populo, i. e. pro una paroecia, alteram pro alia celebrare tenetur, et inde nullum prorsus recipere stipendium.

Si unam regat paroeciam, unam pro populo, alteram *gratis* celebret.

Sacerdotes vero, qui curam animarum non habent, unam pro recepto stipendio, gratis alteram applicare debent.

65. Dixi stipendium percipi non posse *pro secunda missa*. Haec porro verba presse sumenda sunt; quia videlicet aliud est *pro secunda missa* stipendium percipi, aliud vero pro secundae missae, tardiori hora et forsan distanti loco, celebrandae labore et incommodo, remunerationem acceptare.

Caeterum Sedes Apostolica centiesque, de speciali gratia benigne indulsit ut, etiam pro secunda missa, stipendium proprie dictum perciperetur.

Ast aliter et aliter, nimirum:

Ex saepelaudata Instructione S. C. de P. F. haud obscure liquet indultum duplicis stipendii missionum Ordinariis generali quadam facultate, concessum fuisse Litteris encyclicis diei 15 Oct. 1863; eo videlicet sensu quod prudentiae committitur Ordinariorum « ut, iusta et gravi causa interveniente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant ».

An huiusmodi indultum sit ad tempus et quibusdam clausulis munitum? Quum nullibi textum integrum repererim, respondere non possum.

Alia vero indulta, quae per caeteras SS. CC. expediuntur, variis limitantur clausulis et conditionibus, v. g. ad tempus et cum onere stipendium secundae missae pio cuidam operi, v. g. Seminarii manutentioni, fideliter applicandi.

66. Singulare tamen, non tam rarum quam forte unicum, exemplum indulti inconditionati, legitur penes *Le Canoniste contemporain*, vol. 16, pag. 76-77. Vivae vocis oraculo diei 19 Iunii 1862 Pius IX facultatem fecerat Episcopo N*** sacerdotibus suis egenis licentiam stipendium accipiendi secundae missae in altera ecclesia celebrandae (1). Episcopo N*** mortuo, successor eamdem efflagitavit gratiam, quam, pariter vivae vocis oraculo b. m. Leonis XIII, die 8 Decemb. 1886 obtinuit, nempe: 1°. .... 2°.: « Item possit, pro arbitrio et conscientia sua, sacerdotibus quos vere egenos iudicaverit, facultatem impertiri non applicandi parochianis missae secundae intentionem, et insuper stipendium accipiendi pro secunda missa, in altera vel eadem ecclesia celebrata ».

67. Haud me latet, Patres Emi ac Rmi, praelibatas regulas, quae disciplinam in re subiecta vigentem constituunt, radicali quodam laborare vitio, quippe quae, si penitius attendantur, sunt in complexu potius negativae quam affirmativae; et ideo non tam casus determinant in quibus Sacra possunt ac debent iterari, quam casus in quibus non necesse est, ac proinde non licet eadem iterare.

---

(1) In *altera* ecclesia: haud pauci sunt, nec infimae notae, Canonistae qui Sacrorum iterationem licitam opinabantur in *altera* tantum ecclesia, numquam in eadem, ut supra n. 22 dictum fuit. Redactor Analectorum I. P. vir mirae eruditionis, hanc opinionem animose tuetur (1ère Série, supra citata), quae nunc, ex praxi necnon e quamplurimis responsis, omnino obsoleta dicenda est. Unde, in isto vivae vocis oraculo, ad 2m recte dicitur: « in altera *vel eadem* ecclesia ».

Verum, praeter generale principium de Sacris nónnisi propter necessitatem eadem die iterandis, quod in disciplina vigenti tutum manet et inconcussum, exegesis canonica, sicut et tempore Benedicti XIV ita et nostro, versatur unice et coacte circa memorati principii generalis ad casus particulares applicationem. Porro quod hi et isti casus speculative sumpti *nullam* includant necessitatem, perfacile est determinare; quod autem illi et alii, si concrete conspiciantur, veram et iustam et sufficientem praeseferant iterandi causam, non solum arduum sed etiam, ut opinor, impossibile est *a priori* praedeterminare, quia necessitas ex ipsismet multiplicibus et diversissimis conditionibus concretis oritur, et iuxta conditiones istas cicumstantiasque concretas diiudicanda est.

Utrum vèro, praesupposito principio generali necessitatis, habitaque ratione regularum praelibatarum, disciplina vigens possit in aliquibus utiliter moderari, nunc tandem inspiciendum venit.

Fr. Pius a Langonio, *Consultor.*

(Sequitur)



ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pius X laudat Archiepiscopum Quebecen. ob promotam actionem socialem catholicam.

VENERABILI FRATRI LUDOVICO NAZARIO
ARCHIEPISCOPO QUEBECENSIUM.

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Qua tu prudentia et vigilantia Archidioecesim regas tuam, e salubri opportunoque consilio, quasi ex argumento omnium certissimo, perspeximus, quod, discrimine vario gravissimoque gregis commotus, recens es amplexus, actionis catholicae socialis apud tuos statuendae eam in rem ut, pro Pontificum monitis, quotquot catholice sentiunt actione iungantur catholica, legitimae libertatis ope sub institutis ac disciplina reipublicae pugnaturi. At illud praeterea pervidisti, si fructus expectentur ex actione huiusmodi uberes vere et mansuros, fulciri eam et provehi adiumento commentarii diurni oportere, qui tamen ipsa sui natura et omni nominis vi se catholicum exhibeat, nihil nisi catholicum ferat, supra civilium dissensiones partium emineat, animatas bene voluntates pro defendenda religione societ et devinciat, populoque sapientibus incorruptisque scriptis praeluceat in Ecclesiae reique publicae quaerenda salute. Opus enim vero aggrederis amplissima plebi tuae allaturum commoda; si quidem est ingenium aetatis ut quae ad vivendi cogitandique rationem pertineant, vulgo e diariis quaquaversus illatis derivet. Sequitur ut mederi malis nostrorum temporum consentanea ratione debeamus. Itaque scripta scriptis opponenda: disseminatis passim opinionibus falsis obiiciendae verae sunt; propinatis lectione venenis reperienda medicina in salutarium lectionum pabulo est; diffluentibus quotidie exitiosae efficacitatis diariis aliquo saltem

obsistendum bonae notae commentario. Id genus praesidia si posthabeant, nulla ii ratione valebunt in populo, a perspicienda aetatis indole aberunt: contra, is erit censendus aestimator aetatis optimus, qui ad inserendas animis disseminandasque in vulgus sententias apte, studiose et assidue diariis utatur. Iam catholicis vobis catholicamque contendentibus actionem socialem proferre, is unus poterit profectui esse diarius, qui, pro opportunissimo consilio tuo, catholicam fidem professionemque tueatur universam sive mentibus ad doctrinam Christi informandis, sive regendis ad egregia facinora voluntatibus, sive denique Ecclesia sequenda duce. Nec istud satis; scilicet si catholicus commentarius quibusvis civilibus partibus faveat. Ea propter multum probavimus te quum ephemeridem voluisti a civilibus omne genus studiis semotam: ei namque uni proprium et peculiare illud erit, ut nulli mancipata parti, pertineat ad omnes. Ecclesiam quae omnium mater est et magistra, sine impedimento sequatur, inditam scriptis doctrinam sine invidia, aut ira, aut studio tradat, supremasque religionis et reipublicae rationes singulorum studiis utilitatique non subdat. Igitur magno animo opus insiste quod tam provido condidisti iudicio, idemque ne quid ab instituto deflectat, constantissime contende. Adversa atque difficilia plurima, quae tamen bonis comitari incoeptis nunquam desivere, obsaepiendo generoso itineri intercedent. Valde autem confidimus validiorem negotiis solertiam tuam exstituram, beneque praeterea speramus potiores e clero et populo viros, qui prae caeteris habeant compertum quanti referat actionem socialem catholicam provehere humanaeque consociationi in germana doctrina catholica comparare salutem, allaturos pro viribus opem, et studium gloriamque patrum, quorum tradita in religionem merita accepimus, fore imitaturos. Nos interim solari te in gravissimo incoepto volumus laudemque amplam eamdemque publicam quum de inito consilio tuo tum de voluntate, qua institutum perse-

queris, damus. Ut vero superna etiam auxilia alacrem te Archiepiscopum adiuvent tuosque fideles de navanda opera remunerent, testem dilectionis Nostrae auspicemque divinorum munerum Apostolicam benedictionem tibi et Archidioecesi universae, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVII Maii an. MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X ad Episcopos Hungariae pro solemniis septem saecularibus S. Elisabeth Hungaricae.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
CLAUDIO S. R. E. PRESB. CARD. VASZARY ARCHIEP. STRIGONIENSI
IOSEPHO S. R. E. PRESB. CARD. SAMASSA ARCHIEPISCOPO AGRIENSI
VENERABILIBUS FRATRIBUS CETERIS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS HUNGARIAE.

PIUS PP. X

Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres,
salutem et Apostolicam benedictionem.

Tempus propediem aderit, vestrae maxime genti expectatum, memoriam Sanctae Elisabethae Hungaricae insueta laetitia renovandi, septimo post diem eius natalem exacto saeculo. Omnino ad haec apparanda solemnia summam apud vos esse omnium ordinum consensionem et alacritatem accepimus: nec miramur; consentaneum est enim, qua vos religione tam clarum patriae lumen semper coluistis, eam nunc singularem in modum apparere. Illud admirationem affert, sane gratissimam, quod, ut intelligimus, habendis Elisabethae honoribus, non modo una ex Archiducibus, christianae caritatis officiis probatissima, praecipuam ante alios curam ope-

ramque tribuit, sed ipse Rex Apostolicus, nullo antehac exemplo, auspicem se ac patronum impertit. Itaque, auctoritate Augustae Domus cum tantis cumulata studiis civium, facile est prospicere, erga sanctissimam foeminam nunquam significationes factas esse tam illustres pietatis publicae. Summopere Nos quidem ista delectant, quae cum declarant quam vivax in vobis sit avita fides, tum vero spem Nobis dant fructuum optimorum, eorumque christiano populo universo, non soli Hungariae vestrae, salutarium. Neque enim putandum est, sine benigno quodam Dei consilio fieri, ut specimen sanctitatis, quod in illa Andreae regis filia, oblatum est Ecclesiae saeculo tertiodecimo, rursus, insigni eius commemoratione vestra, expositum in luce orbis catholici, omnium oculos atque animos ad se convertat. Profecto in vitam et mores intuentem Elisabethae, vehementer capiant necesse est maximarum exempla virtutum omne genus, quum brevi quidem ea, cursum aetatis, at in summa fortunae varietate confecerit. In aula Thuringiae, ubi desponsa et destinata Ludovico ducis filio adolescebat ad nuptias, puellula quantam virtutis maturitatem ostendit! Intento ad Deum semper animo, mortalia contemnere, subesse obedienter, generose simultates contumeliasque perferre, quas vel modestia cultus, vel studium paupertatis, vel pietatis ardor ei comparabat. Compressere parum per hostiles animos coniunctae contra istorum vota nuptiae, quo interim spatio Elisabethae laudes, nemine iam obsistente, visae sunt elucere splendidius. Scilicet *mulierem fortem,* divinis adumbratam Litteris, agnovit Thuringia, coniugi unanimo natisque et familiae sua diligentissime officia praestantem, simul inopes omnes et calamitosos materna charitate complectentem; id quod maxime exstitit in annonae gravitate, quum populo fame periclitanti in primis liberalitate misericordiaque ducis suae quaesita salus. Consecuta sunt tempora, plena miseriarum atque luctus, quum viri in Palaestinam discessum immaturamque subinde mortem, atque, erum-

pente iterum eoque violentius invidiae flamma, spoliationem dignitatis et omnium bonorum tulit. Coacta cum parvis natis mendicato sustentare vitam ipsa, regius sanguis et Thuringiae domina, tum enimvero dedit obsequii erga divinam voluntatem, amoris adversus inimicos, patientiae et fortitudinis documenta maxima. Quae, conversis feliciter tandem rebus, quum posset ex egestate ignominiaque emergere, noluit tamen: sed, instituto, Francisci Assisiensis, similitudinem Iesu Crucifixi cupidissime appetens, vitae genus, nuditate poenitentiaque asperrimum, ad extremum usque spiritum, duxit. Iam ex his velut primis lineamentis patet, quantum christianae perfectionis exemplar in Elisabetha muliebre secus praecipue, virgines, nuptae, viduae habeant sibi quaeque propositum. Quod utinam pleraeque contendant imitando assequi: saluti societatis christianae, magnam partem, consultum erit. Nos quidem certe universas, ut id studeant, hortamur: sed potissime ex eis in Ordinem Franciscalium Tertium adlectas; quae, quum peculiari apud Deum patrona Elisabetha utantur, debent studiosius ceteris virtutes eius velle exprimere. Ad saecularia sacra quod attinet, ut Hungarorum erga beatissimam foeminam ametur pietas, atque ut caeremoniarum celebritas augeatur, libet Nobis aliquod pontificalis indulgentiae munus afferre. Novimus, vos a die 16 mensis Novembris proximi supplicationem in triduum per Hungariam totam in certis destinatisque templis habituros. Quotquot igitur unoquoque die huic supplicationi interfuerint, eis damus, ut ipsa supplicatio ad labes animi expiandas septennis supplicationis instar sit. Quicumque autem, die festo Sanctae Elisabethae, templum ab Ordinario loci designatum adierint, ibique peccatorum confessione rite abluti Sancta de altari reverenter libaverint, remque christianam Deo religiose commendaverint, eisdem concedimus, ut plenariam de admissis suis veniam impetrent. Postremo Episcopis omnibus Hungariae, qui eo ipso festo die sacrum pontificali ritu facturi sint, ut, sacro

peracto, nomine et auctoritate Nostra benedicant populo, libenter permittimus. Auspicem interea divinorum munerum, ac testem singularis Nostrae benevolentiae, vobis, dilecti filii Nostri et Venerabiles Fratres, atque Hungariae universae Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVIII Septembris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex dilaudat et commendat consociationem Hungaricam pro catholico prelo favendo.

VENERABILI FRATRI
OTTOCARO EPISCOPO ALBAREGALENSIUM
ET DILECTO FILIO NICOLAO ESZTERHAZY,
PRINCIPI, UTRIQUE SODALITATIS HUNGARICAE MAGISTRO SUMMO
SCRIPTIS CATHOLICIS IN VULGUS EDENDIS PROVEHENDISQUE
BUDAPESTINUM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater et dilecte Fili,
salutem et Apostolicam benedictionem.

Progredientium aetatis nostrae malorum venenatum fontem exitialemque, qui corruptorum continetur editione scriptorum, valde equidem laetamur comprehensum plene animis intimeque perspectum, non sine confirmata obsistendi digne voluntate, catholicis Hungariae fuisse. Novissimum eorumdem conventum hac par est non modo gloriari laude sed ceteris anteponi, calamitatis istiusmodi sive magnitudinem sive incommoda ob oculos posuisse, remediumque constituenda illico consociatione quaesiisse, cui illud esset communi conatu propositum, obstare viriliter adversorum propagationi scriptorum,

et armis similibus, pro fide moribusque tuendis, aggredi dimicationem, scripta scriptis, diarios diariis, libros libris obiiciendo. Nostrae equidem aetatis hoc potest censeri proprium ut inveniat a prelo nomen: deplorandum tamen est, non usum invaluisse preli, veritati maxime virtutique propagandae perutilem, sed abusionem perversam, quae legum patrocinio freta, fovet et alit in Religionem bellum, mores inducit commendatque perditos, invidias in civitate conflat, effrenatas ciet cupidines, quidquid denique ad hominum mentes animosque corrumpendos est aptum quotidiana opera spargit. Plus semel periculo commoti, et officii non immemores quo custodire gregem universum eumque a malis arcere bonisque enutrire pascuis, obstringimur, alte regna, respublicas, sodalitia, singulos admonere non omisimus, deliberarent conferre sine mora vires, si vellent satam Christi sanguine fidem virtutemque inde dimanantem adservare publice. Nec defuere quaedam recreandi animi caussae, in quibus hoc placet, honoris et hortamenti gratia meminisse, Austriam Nobis studio summo obsecundasse, coniunctisque pro communi incolumitate praesidiis, spem praebuisse peramplam posse aliquando non circumscribi et extenuari tantum, sed propulsari gloriose damna. Grates autem Deo sint, cuius pretioso munere alia nunc eaque vehementissime expetita paratur Nobis ab Hungaria laetitia. Confidimus certo magni originem commodi consilium vestrum extiturum, huiusque efficacitate posse ac debere Hungariam partum a patribus a divoque maxime Stephano decus tueri sartum et tectum. Id autem quum nequeat sine consensione auxilioque bonorum effici, optima Nobis spes est exploratam Hungarorum voluntatem ita iri in praesenti discrimine confirmatum ut omnes ad unum, apud vos generose de suis fortunis saluberrimo necessarioque exequendo operi conferant. Ab Hungaria, magnarum parente gloriarum, magna semper expectamus: illud vero in primis, catholico ut ornata nomine maneat, exemplaque tum in alendis tum in tutandis fide et

virtute illustriora quotidie proponat. Harum conciliatricem utilitatum, Nostri animi pignus, auspicemque munerum caelestium, vobis singulisque ex Hungaria civibus, qui studium, gratiam et adiumenta *consociationi pro catholico prelo* contulerint peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Ianuarii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X



EPISTOLA

Qua Pius PP. X approbat opusculum Episcopi Limericiensis circa scripta Card. Newman.

VENERABILI FRATRI
EDUARDO THOMAE EPISCOPO LIMERICIENSI
LIMERICUM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tuum illud opusculum, in quo scripta Cardinalis Newman tantum abesse ostendis ut Encyclicis Nostris Litteris *Pascendi* sint dissentanea, ut valde cum iisdem congruant, vehementer Nobis probari scito: melius enim cum veritati servire, tum hominis dignitati non poteras. Apparet, inter eos, quorum errores per eas Litteras damnavimus, quasi quoddam constitutum esse factum, ut quae ipsi commenti sint, hisce e praeclarissimi viri nomine commendationem petant. Ita contendunt passim, se ex illo fonte et capite praecipua quaedam sumpsisse, ob eamque causam non potuisse a Nobis suas ipsorum improbari doctrinas, quin simul atque adeo prius improbarimus quae talis tantusque auctor docuisset. Quod, nisi cognitum sit, elati animi tumor quantum ad obruendam mentem valeat, incredibile videatur inveniri, qui sese putent atque

ostentent catholicos, quum in ipsa intima religionis disciplina auctoritatem privati doctoris, quamvis insignis, magisterio Apostolicae Sedis anteponant. Quorum non modo tu contumaciam coarguis, sed fallaciam. Nam, si in iis, quae hic ante catholicam professionem scripserat, licet fortasse aliquid deprehendere, quod similitudinem quamdam habeat cum certis Modernistarum formulis, iure id negas istis suffragari: propterea quod et longe alia ibidem est subiecta vocibus sententia, aliudque scribentis est propositum, et ipse auctor, in aditu ad Ecclesiam catholicam, omnia sua scripta Ecclesiae ipsius auctoritati detulit, utique emendanda, si viderentur. Quod autem ad libros attinet, quos magno vel numero vel pondere confecit catholicus, vix opus est, cum hac haeresi cognationem ab eis repellere. Etenim in luce Angliae, quod nemo ignorat, sic Henricus Newman perpetuo causam catholicae fidei scribendo egit, ut eius opera simul civibus suis maxime esset salutaris, simul a decessoribus Nostris maximi fieret: itaque dignus est habitus, quem Leo XIII, aestimator certe sagax hominum atque rerum, Cardinalem diceret; cui quidem in omni deinceps vita merito fuit carissimus. Profecto in tanta lucubrationum eius copia quidpiam reperiri potest, quod ab usitata theologorum ratione alienum videatur: nihil potest, quod de ipsius fide suspicionem afferat. Recteque affirmas, mirum non esse, si quum indicia haeresis novae nulla apparerent, certis quibusdam in locis non ita cautum adhibuit loquendi genus: sed perperam doloseque Modernistas facere, qui illa verba, invito totius orationis contextu, ad suam ipsorum sententiam detorqueant. Nos igitur gratulamur tibi, quod memoriam optimi et sapientissimi viri, pro tua scriptorum eius omnium notitia, egregie ab iniuria vindicaris: simulque, quantum in te fuit, effeceris, ut inter populares tuos, Anglos praesertim, iam desinant qui hoc nomine abuti consueverunt, imperitos decipere. Atque utinam illi auctorem rite sequantur Newman, non ita nempe ut praeiu-

dicatis opinionibus addicti scrutentur eius volumina, ex hisque dolo malo eliciant aliquid, quo illas confirmari contendant; verum ut sincera et integra eiusdem principia, documenta spiritusque percipiant. Multa e tali magistro discent praeclara: in primis autem, sanctum habere magisterium Ecclesiae, inviolate tueri traditam a Patribus doctrinam, et, quod caput est ad custodiam catholicae veritatis, Successori Beati Petri summa cum fide obsequi et obedire. Tibi praeterea, Venerabilis Frater, tuoque clero ac populo, quod missa communi stipe tenuitati Nostrae subvenire pie studuistis, grates agimus ex animo: atque ad concilianda vobis, primumque omnium tibi, divinae benignitatis munera, itemque ad testandam benevolentiam Nostram, peramanter Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Martii anno MCMVIII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. X



EX SECRETARIA STATUS



Facultates Ordinariis Galliae concessae circa bonorum ecclesiasticorum alienationem.

Monseigneur,

Le Saint-Père, désireux, dans les pénibles conditions actuelles de l'Eglise de France, de faciliter aux Evêques l'administration de leurs diocèses, et de pourvoir à la conscience des fidèles en ce qui concerne l'aliénation des biens ecclésiastiques usurpés par le gouvernement, a jugé opportun d'envoyer aux Ordinaires les instructions et les pouvoirs ci-joints, visant certains cas plus pratiques et plus fréquents.

Relativement aux biens immeubles, Sa Sainteté accorde aux Ordinaires le pouvoir soit d'admettre à une équitable

composition (nn. 1-7) et d'absoudre des censures ceux qui en auraient achetés, sans autorisation préalable de l'Eglise (nn. 9-12), soit d'en permettre l'acquisition, sous la réserve que l'acquéreur entre aussitôt en composition avec l'autorité ecclésiastique (nn. 13-14).

Une exception est faite quant à l'achat des églises, des évêchés, des séminaires et des presbytères; les évêques auront dès lors, pour chaque cas qui s'en présentera, à recourir au Saint-Siège, en lui exposant le fait avec toutes ses circonstances (n. 15).

Les Ordinaires ont aussi la faculté de pourvoir à la conscience de ceux, qui, sans permission légitime, auraient exercé pour leur utilité personnelle l'action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution des biens ecclésiastiques grevés de fondations pieuses (n. 8). Ils devront exhorter les fidèles à intenter ces actions dans le but d'assurer l'exécution des obligations imposées par les fondateurs (n. 16).

Ils pourront en outre permettre à ceux, dont les biens seraient grevés de charges de célébration de messes ou en faveur d'œuvres pies, de les libérer, moyennant le versement d'une somme suffisante pour remplir ces charges (n. 17).

Enfin le Saint-Père a daigné accorder aux Evêques d'autres pouvoirs relativement aux biens mobiliers et aux locations (nn. 18-22).

Les Ordinaires devront avoir soin de faire instruire les fidèles des lois de l'Eglise en cette matière; que ceux-ci soient informés notamment des censures et des peines édictées par le saint Concile de Trente contre quiconque achèterait, sans autorisation de qui de droit, des biens ecclésiastiques usurpés par les gouvernements; que s'ils avaient commis pareille faute, ils n'en pourraient être absolus, que moyennant une équitable composition avec l'Eglise, par suite de laquelle ils resteraient dispensés de la restitution des biens.

Agréez, Monseigneur, l'expression de mes sentiments dévoués en N.-S.

Rome, le 24 Septembre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Ex audientia SSmi, die 21 Septembris 1907.

SSmus D. N. Pius divina providentia PP. X referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, attentis specialibus circumstantiis in quibus nunc Ecclesia catholica in Gallia versatur, fidelium spirituali bono consulere cupiens in iis quae bonorum ecclesiasticorum alienationem respiciunt, facultates quae sequuntur illius nationis Ordinariis concedere dignatus est.

A. - FACULTATES DE BONIS IMMOBILIBUS.

I.

1. *Admittendi* ad aequam compositionem, iuxta normas quae sequuntur, christifideles qui bona immobilia Ecclesiae erepta sine eiusdem Ecclesiae venia acquisierunt; vel acquisita alienaverunt; et praedictorum haeredes et quoscumque successores.

2. Procedat Ordinarius, in compositione facienda, de intelligentia aliorum Ordinariorum si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias canonice repraesentant, aliorumque canonice interesse habentium.

3. In quantitate aequae compositionis determinanda considerentur :

a) fundorum valor realis eo tempore quo compositio initur;

b) pretium emptionis;

c) praesens oratorum status;

d) id in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt;

e) onera pia, quorum, si adsint, praecipue ratio habenda est.

Quoad vero eorumdem onerum redemptionem, condonationem vel reductionem, quatenus opus fuerit, provisum est in sequenti n. 17.

4. Benignior esse potest compositio si pretium solutum, citra culpam emptoris, superet praesentem valorem fundorum; et pro haeredibus eorum, qui bona ecclesiastica ut supra iniuste possederunt, sed alias causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

5. Ordinarius, quando agitur de fundis in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione qua tenentur faciendi, sub directione Ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras nunquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notificandi suis haeredibus et successoribus.

6. Pecuniae vero summas ex compositione acceptas, etiam tenues, ipse Ordinarius quamprimum et quam tutissime possit, favore causarum piarum ad quas de iure pertinent, in titulos liberos *(valeur au porteur)* quos viri competentes tutos agnoverint, investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat; neque alienet sine eiusdem venia, neque commutet, nisi urgeat necessitas et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium.

Si eaedem pertineant ad Ordines vel Congregationes religiosas, requiritur ut eis tradi possint, venia S. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam iam extinctam, vel ad ecclesiam in qua divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit,

celebratis tamen missis et caeteris pesolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

7. Nullum documentum peractae compositionis cuipiam tradatur; quod si illud omnino exigatur, Episcopus iis qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare: *eos omni obligatione conscientiae erga Ecclesiam ratione fundorum etc., exemptos et solutos esse.*

8. Ad compositionem Ordinarius admittere poterit etiam fideles qui iuxta leges civiles per actionem recuperationis *(action en reprise, en revendication, révocation ou en résolution)* in utilitatem propriam vindicarunt bona sive immobilia sive mobilia, Ecclesiae donata pro legatis piis adimplendis, quoties vindicata bona ex integro Ecclesiae restituere nequeant.

II.

9. *Absolvendi,* Apostolica auctoritate, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam, ad hoc in singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam ut supra se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis in quas propterea quomodolibet inciderint, cum congrua poenitentia salutari et reparatione scandali, meliori quo fieri poterit modo, prudenti iudicio absolventis.

10. Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt cum obligatione ut si ad meliorem conditionem devenerint, Ecclesiae satisfaciant, ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda; remoto interim scandalo.

11. Ordinarius moneat confessarios ut si ad poenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant; quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit vel ob alias

rationabiles causas, satis erit si aegrotus eam haeredibus imponat, vel serio promittat eam initurum si convaluerit, remoto scandalo.

12. Ordinarius confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae, vel sacrarum missionum, vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos qui compositionem statim inire nequeunt, dummodo iidem serio promittant se intra duos menses ab accepta absolutione, recursum habituros ad Ordinarium pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo.

III.

13. *Permittendi* christifidelibus ut bona Ecclesiae acquirere valeant, remoto scandalo et ea conditione ut statim ad compositionem, ut supra faciendam, deveniant.

14. Si agatur de bonis ad Ordinem vel Congregationem religiosam pertinentibus, requiritur consensus Superiorum eiusdem Congregationis.

15. Exceptas tamen voluit Sanctitas Sua ecclesias, seminaria nec non domus episcopales et parochiales, pro quibus emendis ad S. Sedem recurrendum erit in singulis casibus.

16. Ordinarius permittere poterit (imo suadeat) ut fideles qui iuxta leges civiles ius habent, actionem recuperationis *(action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution)* exerceant ad hoc, ut pia onera iuxta mentem fundatorum adimpleri possint. Datur autem Ordinario facultas concedendi oratoribus partialem remissionem bonorum recuperatorum, quoties speciales circumstantiae in aliquo casu occurrant, quae iuxta prudens eiusdem Ordinarii iudicium et conscientiam, id exigant.

IV.

17. *Indulgendi* iis qui super bonis quibuscumque habent imposita legata pia vel missarum onera, ut ea redimere valeant data summa, cuius fructus quotannis redditus sufficientes

ac tutos praebeat pro integro eorumdem onerum adimplemento. Quod si aliqua condonatio ex toto vel ex parte, si eis satisfactum non fuerit, vel reductio pro futuro, sive ad tempus sive in perpetuum, concedenda videatur, id Ordinarius facere poterit, omnibus tamen circumstantiis et causis consideratis et perpensis.

B. – FACULTATES DE REBUS MOBILIBUS ET CONDUCTIONIBUS.

Insuper eadem Sanctitas Sua praelaudatis Ordinariis infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per vicarium in spiritualibus generalem, sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc, etiam habitualiter, specialiter subdelegandas, uti licite et libere valeant.

I.

18. *Indulgendi* christifidelibus ut res annonarias, fructus terrae, res mobiles, vel inter mobiles adnumerandas, ad ecclesias aut loca pia spectantes, et a Gubernio usurpatas, acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore praesertim ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a subdelegato taxanda, quatenus emerint pretio quod iudicio Ordinarii aut subdelegati fuerit minus iusto: ita tamen, ut si agatur de rebus quae non sint usu consumptibiles, sive quae servando servari possint, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocumque ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio restituere; et curando pro viribus, ut supellectiles, vasa ac utensilia sacra in usum aliarum ecclesiarum transferantur, nec in usus profanos assumantur.

II.

19. *Providendi* sub iisdem conditionibus ut supra, et praevia eorum absolutione cum congrua poenitentia salutari, iis qui easdem res iam emerint.

III.

20. *Indulgendi* pariter christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio occupata, vel ab iis qui a Gubernio illa acquisierunt sine licentia S. Sedis, conducere, seu iam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas eadem bona de iure pertinent, quatenus conduxerint pretio quod iudicio Ordinarii seu subdelegati fuerit minus iusto, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae eisdem bonis fuerint adnexa, ac praevia absolutione cum poenitentia salutari quatenus illicite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.

21. Quamvis autem optandum maxime sit, ut huiusmodi conductiones ad breve tempus fiant, Sanctitas Sua declarat non obstare quominus, sic iubente Gubernio seu locatore, conductio fiat ultra triennium, sed tamen infra decennium.

22. Vult autem SSmus Pater ut locationes ecclesiarum seminariorum, domorumque episcopalium et parochialium permitti nequeant nisi in casibus necessitatis vel evidentis Ecclesiae utilitatis.

Contrariis quibuscumque minime non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Vaticanis die, mense et anno praedictis.

R. Card. Merry del Val.

Litterae gratulatoriae ad P. Lemius ob opus " Catéchisme sur le modernisme etc. „.

Illme Seigneur,

Une haute louange, en même temps que l'expression de la plus vive satisfaction, c'est ce que j'ai le plaisir d'adresser à V. S. Illme au nom du Souverain Pontife, après la remise

que je Lui ai faite du splendide opuscule de V. S. portant le titre: « Catéchisme sur le Modernisme, d'après l'Encyclique *Pascendi dominici gregis* ».

Le caractère du document pontifical et la nature des erreurs qui y sont condamnées pouvaient rendre malaisée la prompte et complète intelligence, en toutes ses plus minimes parties, de la très importante Encyclique; je dis pour les classes moins cultivées et étrangères au mouvement des bonnes comme des mauvaises doctrines, pour celles-là aussi qui, malheureusement trop faciles à donner accès aux erreurs, surtout quand elles se présentent sous de faux dehors scientifiques, ne sont point ensuite assez éveillées pour comprendre avec une égale promptitude la cause du mal.

C'est pourquoi vous avez fait une œuvre d'utilité insigne en décomposant le document en question, selon la méthode simple et unie de votre Catéchisme et en le mettant par là à la portée des intelligences les moins cultivées.

Sa Sainteté se complaît au génial et fructueux travail de V. S., et vous louant à un autre titre encore, c'est à savoir que vous ne vous êtes écarté en rien de la lettre même de l'Encyclique, Elle vous offre le vœu de voir le produit de votre si opportune étude obtenir une large diffusion et Elle vous accorde de cœur la bénédiction Apostolique.


Après vous avoir fait ces communications, je vous remercie à mon tour de l'exemplaire du dit opuscule que vous m'avez si aimablement offert, et je vous redis les sentiments de très profonde estime avec lesquels je suis, de V. S. Illme le très affectionné serviteur.

Rome, le 13 décembre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.



EX S. CONGREGATIONE INDICIS



DECRETUM

Quo damnantur ac prohibentur quidam libri.

Feria III, die 17 Martii 1908.

Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo D. N. Pio P. X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 17 Martii 1908, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

IL PROGRAMMA DEI MODERNISTI, *Risposta all' Enciclica di Pio X* Pascendi dominici gregis. *Roma, 1908.*

PAUL BUREAU, *La crise morale des temps nouveaux. Préface de M. Alfred Croiset. Paris, s. a.*

P. SAINTYVES, *La réforme intellectuelle du clergé et la liberté d'enseignement. Paris, 1904.*

— *Les Saints successeurs des dieux. Ibid. 1907.*

— *Le miracle et la critique historique. Ibid. 1907.*

— *Le miracle et la critique scientifique. Ibid. 1907.*

FRANC. REGIS PLANCHET, *El absolutismo episcopal en la república mexicana. Apuntes para la historia. Chihuahua 1907.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 18 Martii 1908.

FRANCISCUS Card. SEGNA, *Praefectus*.
Fr. Thomas Esser, Ord. Praed., *a Secretis*.

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Normae ad instaurandam institutionem et disciplinam in Seminariis Italiae a SS. D. N. Pio PP. X approbatae.

Con l'intento di promuovere nel clero un'istruzione più estesa e meglio adatta ai bisogni presenti, la S. C. dei VV. e RR. il giorno 10 Maggio 1907 emanò, con l'approvazione del Santo Padre Pio X, un Programma generale di studi per tutti i Seminari d'Italia (1). A formare però degni ministri del Signore, oltre l'istruzione si richiede la più accurata educazione ecclesiastica, senza la quale l'opera del clero riuscirebbe pressochè inefficace in mezzo al popolo cristiano: « *Lux enim* (2) *doctrinae a clero in christiani populi ordines diffundenda vix dici potest quam magnam habeat utilitatem, si quasi e candelabro virtutis effulserit* » (Leo XIII, Encycl. *Officio sanctissimo* 22 Dec. 1887). Per questa ragione Sua Santità, cui sta sommamente a cuore la formazione del clero, commise altresì a questa S. Congregazione di studiare e proporre le norme che fossero giudicate più adatte a regolare in modo più uniforme ed efficace l'educazione ecclesiastica e la disciplina nei Seminari.

(1) Cfr. *Acta Sanctae Sedis,* vol. 40, pag. 336.
(2) Cfr. » » » vol. 20, pag. 257.

Queste *Norme,* compilate da apposita Commissione, esaminate ed approvate dalla prelodata Santità Sua, vengono ora trasmesse agli Ordinarî, ai superiori ed agli alunni, nella fiducia che, ben praticate, renderanno ai primi più agevole l'arduo e sublime ufficio di formare buoni operai nella vigna del Signore, ed ai secondi più facile e sicura la via per riuscire, quali devono essere, sacerdoti dotti e virtuosi: « *Oportet clerum doctrinae laude, et quod caput est, summa laude virtutis excellere, ut animas hominum conciliet sibi atque in observantiam adducat* » (Leo XIII, Encycl. citata).

Roma, dalla Segreteria della S. C. dei Vescovi e Regolari, nella festa della Cattedra di S. Pietro, 18 Gen. 1908.

D. Card. FERRATA, *Prefetto.*

F. Giustini, *Segretario.*

Quae in hoc libello, cui titulus « Norme per l'ordinamento educativo e disciplinare dei Seminari d'Italia » *a Sacra Episcoporum et Regularium Congregatione praescripta sunt, ab omnibus, ad quos spectat, servari et executioni demandari iubemus.*

Ex Aedibus Vaticanis, Kalendis Ianuarii anno MCMVIII.

PIUS PP. X

NORME PER L'ORDINAMENTO EDUCATIVO E DISCIPLINARE DEI SEMINARI D'ITALIA.

PARTE I. — Direzione dei Seminari.

CAPO I. — ALTA DIREZIONE.

Art. 1. L'alta direzione comprende i diritti e i doveri dei Vescovi sui Seminari in virtù della piena autorità conferita loro dal Concilio di Trento: « *Episcopus.... omnia et singula, quae ad felicem huius Seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur, decernere ac providere valeat* » (Sess. XXIII, cap. 18, de reform.).

Art. 2. L'alta direzione dei Seminari diocesani spetta dunque ai Vescovi di ciascuna diocesi; quella dei Seminari interdiocesani, al Collegio dei Vescovi che fanno parte del gruppo.

Art. 3. Le disposizioni del Concilio di Trento (Sess. XXIII, cap. 18, de reform.) riguardanti l'ufficio dei Deputati del Seminario, rimangono nel loro pieno vigore per i Seminari diocesani. Ai Seminari interdiocesani è provveduto debitamente con il Collegio dei Vescovi.

Art. 4. È gravissimo dovere dei Vescovi di esercitare con premurosa diligenza l'alta loro direzione sui Seminari (1): « *Seminaria clericorum iure sibi vindicant plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae vestrae partes* » (Leo XIII, Encycl. *Etsi nos* 15 Febr. 1882). E lo adempiranno attuando quanto prescrive loro il Concilio di Trento: « *Episcopi omnia opportuna et necessaria (ut pueri in disciplina ecclesiastica instituantur) constituent, eaque ut semper observentur, saepius visitando, operam dabunt* » (Sess. XXIII, cap. 18, de reform.).

Art. 5. I Vescovi, ai quali appartiene l'alta direzione del Seminario interdiocesano, si aduneranno almeno una volta all'anno, per esaminare la relazione del Rettore intorno allo stato morale, scientifico, igienico ed economico dell'Istituto, per prendere di comune accordo i provvedimenti necessari o utili; e, ordinariamente, ne affideranno l'attuazione al Vescovo della diocesi dove si trova il Seminario. Per assicurarsi poi del retto andamento dell'Istituto, si terranno in diretta corrispondenza con lui, potranno visitare gli alunni e tener corrispondenza per posta con i medesimi, come con i Superiori.

Art. 6. Al Vescovo, o al Collegio dei Vescovi, spettano la nomina ed il licenziamento delle persone addette alla direzione interna dei Seminari, d'intesa però col Rettore, quando si tratti dei suoi subalterni.

Art. 7. La scelta e la permanenza dei Superiori e Professori del Seminario sarà regolata dalle disposizioni emanate dalla S. Rom. Inquisizione il 28 Agosto 1907 (2) e confermate dalla Enciclica *Pascendi dominici gregis* (3) e dal Motu proprio *Praestantia* (4) del regnante Pontefice Pio X. Gioverà poi ricordare la raccomandazione che il Sommo Pontefice Leone XIII di s. m. rivolgeva ai Vescovi d'Ungheria (5): « *In iis (Seminariis) maxime evigilent curae et cogitationes vestrae: efficite*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 14, pag. 337.

(2) Cfr. Appendice II, 4.

(3) Cfr. Appendice II, 5.

(4) Cfr. Appendice II, 6.

(5) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 19, pag. 97.

ut, litteris disciplinisque tradendis, lecti viri praeficiantur, in quibus sanctitas cum innocentia morum coniuncta sit, ut in re tanti momenti confidere eis iure optimo possitis. Rectores disciplinae, magistros pietatis eligite prudentia, consilio, rerum usu prae ceteris commendatos, communisque vitae ratio auctoritate vestra sic temperetur, ut non modo nihil unquam alumni offendant pietati contrarium, sed abundent adiumentis omnibus quibus alitur pietas: aptisque exercitationibus incitentur ad sacerdotalium virtutum quotidianos progressus » (Encycl. *Quod multum* 22 Aug. 1886).

Art. 8. I Vescovi non potranno permettere che gli alunni della loro diocesi facciano gli studi sia in privato, sia fuori dei Seminari da essi dipendenti.

Art. 9. I Vescovi faranno del tutto perchè il Seminario abbia un luogo di villeggiatura, dove gli alunni possano passare ricreandosi le vacanze autunnali (1): « *Vitandi periculi ratio suadet ut comparetur alumnis rusticatio ad feriandum, nec arbitrium relinquatur suae cuique ipsorum adeundae familiae. Multa enim pravitatis exempla manent incautos.... quo fit ut, in iuveniles cupiditates proni, aut ab incoepto deterreantur, aut sacerdotes futuri sint offensioni populo* » (Leo XIII, Encycl. *Paternae providaeque Nostrae* 18 Sept. 1899).

Art. 10. Uno dei più gravi e delicati doveri dei Vescovi è la promozione dei chierici agli Ordini sacri; perciò essi useranno tutta la diligenza per adempierlo fedelmente (2): « *Nell'ammettere gli alunni agli Ordini sacri, si usi somma ponderazione, giusta l'ammonimento gravissimo di S. Paolo a Timoteo:* manus cito nemini imposueris. *In tuttociò conviene posporre qualsiasi altra considerazione, che sarebbe sempre da ritenersi inferiore a quella rilevantissima della dignità del sacro ministero* » (Leone XIII, Lettera ai Vescovi d'Italia, 8 Dicembre 1902).

Art. 11. Per portare esatto giudizio intorno alle qualità morali degli Ordinandi, si avranno presenti il Decreto del S. Uffizio e i due documenti del Sommo Pontefice Pio X citati al numero 7. Quanto poi all'età ed agli studi si seguiranno le norme seguenti:

Art. 12. La tonsura non si conferirà se non agli alunni che frequentano il corso di Propedeutica, e gli Ordini minori se non a quelli che già sono nei due primi anni di Teologia.

Art. 13. Nessuno, che pure abbia l'età prescritta dal S. Concilio di Trento, sarà ordinato suddiacono prima di aver compiuto il terzo anno

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 32, pag. 214.

(2) Cfr. » » » vol. 35, pag. 257.

di Teologia; diacono, prima della Pasqua del quarto anno; sacerdote prima della fine del quarto anno medesimo (Cfr. Art. 113): « *Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea aetate constitutos deberé ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat et quorum probata vita senectus sit* » (Conc. Trid., sess. XXIII, cap. 12, de reform.).

Art. 14. Almeno un mese prima del giorno fissato per l'ordinazione, gli ordinandi faranno conoscere per iscritto al Rettore il loro desiderio. Se si tratta di alunni diocesani il Rettore presenterà le istanze al Vescovo che, dopo di aver preso le necessarie informazioni dai parrochi e dai Superiori degli Istituti nei quali avessero prima dimorato, chiamerà a sè i membri della Commissione Tridentina, il Rettore e i Professori del Seminario per chiedere il loro avviso; quindi prese, secondo coscienza, le sue decisioni, spedirà la lista degli ordinandi al Rettore, che ne informerà gl'interessati, senza dar luogo agli esclusi di far reclami. Se poi si tratta di alunni estradiocesani, spedirà le domande ai rispettivi Vescovi, unendo il suo coscienzioso giudizio. I Vescovi, prese le opportune informazioni, come è detto sopra, o spediranno le dimissorie, o chiameranno i propri alunni per la sacra ordinazione, secondo che parrà loro opportuno.

Art. 15. Immediatamente prima della ordinazione, gli ordinandi dovranno fare un corso di spirituali esercizi, di dieci giorni per gli ordini maggiori e di cinque per i minori.

Art. 16. In tutto il resto si osserveranno le prescrizioni dei sacri Canoni.

Art. 17. Per provvedere al retto andamento economico de' Seminari dichiarati interdiocesani verrà istituita una Cassa comune dal gruppo di Vescovi che formano l'ordinaria Conferenza episcopale.

Art. 18. Questa Cassa sarà costituita: *a*) da contribuzioni delle mense vescovili e de' Seminari diocesani, nella misura che verrà determinata nelle Conferenze; *b*) da eventuali risorse provenienti da speciali concessioni della S. Sede; *c*) da offerte del clero e de' fedeli.

Art. 19. L'Amministrazione di questa Cassa verrà affidata ad una Commissione composta di almeno tre membri da eleggersi nella Conferenza episcopale.

Art. 20. Per l'equa ripartizione dei fondi della Cassa suddetta tra i Seminari interdiocesani, l'assemblea dei Vescovi stabilirà le Norme particolari opportune.

Art. 21. La Commissione presenterà ogni anno all'Assemblea dei Vescovi i bilanci ed i conti consuntivi per l'approvazione.

Capo II. — Direzione interna.

Art. 22. La direzione interna dei Seminari spetta al Rettore, che sarà coadiuvato, per la parte disciplinare, da uno o due Vicerettori, secondo il numero degli alunni, e dai Prefetti di camerata; per la parte spirituale, dal Direttore di spirito; per la parte scientifica, dal Prefetto degli studi e dai Professori; per la parte amministrativa, dall'Economo.

Art. 23. Alle persone chiamate dal Vescovo, o dal Collegio dei Vescovi, a esercitare i detti uffici, competeranno tutti i diritti e doveri che son portati dalla natura stessa dell'ufficio e da legittima consuetudine. Qui si accennano sommariamente quelli di maggior rilievo.

Art. 24. Ciascun superiore sarà compreso del nobile e importante ufficio affidatogli, e si adopererà a tutt'uomo per compierlo con fedeltà, zelo, costanza e carità. A tutti siano presenti le parole del Sommo Pontefice Leone XIII di s. m. nella Lettera ai Vescovi d'Italia dell' 8 Dicembre 1902: « *Importa grandemente che, a formare negli alunni del Santuario un' immagine viva di Gesù Cristo, nel che si assomma tutta l'educazione ecclesiastica, i moderatori e gl' insegnanti, alla diligenza e alla perizia propria del loro ufficio, congiungano l'esempio di una vita al tutto sacerdotale. La condotta esemplare di chi presiede, massime ai giovani, è il linguaggio più eloquente e persuasivo per ispirare negli animi loro il convincimento dei propri doveri e l'amore al bene* » (1).

§ 1. — *Del Rettore.*

Art. 25. Il Rettore è il Superiore immediato del Seminario: *omnium primus*, come si esprime S. Carlo Borromeo, il quale continua così: « *eique ceteri cuiuscumque ordinis, in functionibus munerum suorum ac in omnibus prorsus quae ad Seminarii referuntur utilitatem, obtemperare teneantur* » (Inst., p. 2, c. 2). Il Rettore pertanto è come il centro da cui parte la vita del Seminario: a lui spetta la direzione interna, con tutti i diritti e i doveri per l'andamento morale, scientifico, igienico e materiale dell' Istituto.

Art. 26. Tutti gli altri ufficiali dipenderanno immediatamente da lui. Egli poi sarà sotto la dipendenza del Vescovo, con il quale dovrà essere in continua relazione per informarlo di tutto ciò che riguarda il Seminario, e non prenderà alcun provvedimento rilevante senza l'approvazione di lui.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 35, pag. 257.

Art. 27. Esplicherà la sua azione indirizzando e guidando i suoi collaboratori, con i quali conferirà almeno una volta al mese; prenderà da essi esatte informazioni dello stato della comunità; farà conto dei loro suggerimenti per ovviare ai possibili abusi e per promuovere la pietà e la scienza fra gli alunni.

Art. 28. Suo precipuo dovere verso gli alunni è di formarli ad una vita regolare e santa. Li dirigerà paternamente, cioè reggendoli con giusta severità e dolcezza: *fortiter et suaviter*. Egli, più che far uso di minacce e di castighi, sveglierà in essi il rispetto all'autorità, il sentimento del dovere, abituandoli a volere il bene liberamente, per via di persuasione e per impulso di coscienza, e non per timore servile, giusta il consiglio di S. Paolo: « *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam....* (1) *facientes voluntatem Dei ex animo* » (2).

Art. 29. Terrà quindi, di tanto in tanto, opportune conferenze agli alunni, per ammaestrarli ed esortarli nell'adempimento dei loro doveri e nella pratica delle regole di buona creanza. Per conoscerli poi direttamente e intimamente, non si contenterà di dare in privato a ciascuno ammonizioni e consigli, ma si troverà spesso in mezzo a loro come un padre amoroso, senza però perdere della sua autorità.

Art. 30. Nei limiti del suo ufficio, vigilerà sulla sincerità e sullo sviluppo della vocazione sacerdotale dei suoi alunni, tenendo dietro al loro progresso nella pietà, nella virtù, negli studi e in tutto ciò che riguarda lo stato ecclesiastico.

Art. 31. Per la parte disciplinare, eserciterà un'alta e generale vigilanza su tutto e su tutti, senza ingerirsi troppo nelle cose secondarie e minute, affidate ai suoi collaboratori. Mostrerà di aver fiducia in essi, concedendo una conveniente libertà d'azione. Farà sì che il principio d'autorità sia rispettato in tutta la sua pienezza, e che il regolamento venga osservato esattamente. Riservando ai suoi dipendenti le correzioni ordinarie, interverrà nei casi più gravi per fare le debite ammonizioni ed infliggere, quando il caso lo richieda, il castigo proporzionato.

Art. 32. Per la parte scientifica, invigilerà affinchè gli alunni traggano vero profitto dall'insegnamento. Esaminerà quindi opportunamente i registri, dove i Professori terranno notato i punti dei saggi quotidiani scolastici e della condotta di ciascun alunno; avrà il diritto di visitare le scuole e d'interrogare gli alunni, di assistere agli esami; e in fine

(1) S. Paul. *Ad Rom.* xiii, 5.

(2) S. Paul. *Ad Eph.* vi, 6.

d'ogni bimestre manderà le classificazioni al Vescovo, o ai Vescovi che fanno parte del gruppo.

Art. 33. Le paterne sollecitudini del Rettore avranno anche per oggetto la salute fisica degli alunni, assicurandosi per sè o per mezzo del Vicerettore che il vitto sia sano, che vengano osservate le norme igieniche e che sia convenientemente provveduto agli infermi ed a quelli che abbisognassero semplicemente di qualche riguardo.

Art. 34. Per la parte economica, avrà facoltà di ordinare le spese urgenti da lui reputate necessarie o utili al buon andamento del Seminario, consultandosi prima col Vescovo, quando le spese fossero di grave momento, avuto sempre riguardo allo stato finanziario dell' Istituto.

Art. 35. Avrà un registro generale di tutti gli alunni, nel quale, segnato il nome e cognome di ciascuno di essi e dei loro genitori, la diocesi, la patria, l'anno e il giorno della nascita e dell'ingresso in Seminario, gli studi fatti, quelli intrapresi, annualmente si noteranno la camerata, la classe, le eventuali uscite dal Seminario, l'esito degli esami finali e di quelli di riparazione, il giorno delle ordinazioni, i premi riportati, tutto ciò infine che si riferisce al progresso o regresso dell'alunno nella pietà, nello studio e nella disciplina.

Art. 36. In fin dell' anno presenterà al Vescovo una esatta relazione dello stato morale, scientifico, igienico ed economico dell'Istituto.

§ 2. — *Del Vicerettore.*

Art. 37. L' ufficio del Vicerettore è quello di coadiuvare il Rettore o di tenerne le veci quando sia assente o impedito. Il Vicerettore perciò, mostrerà speciale deferenza verso il Rettore, e si guarderà bene dal dar luogo a dispareri e dall' ostentare una inconsulta indipendenza da lui; si terrà sempre nei limiti d'azione assegnatigli, e coltiverà una sincera ed affettuosa soggezione verso il medesimo.

Art. 38. Al Vicerettore spetterà tutto ciò che riguarda la disciplina e l' osservanza del Regolamento. A lui incombe il dovere di una vigilanza particolare ed assidua su i Prefetti di camerata, su l' intervento degli alunni agli atti in comune, su la loro nettezza e su la pratica delle regole di buona creanza.

Art. 39. Si terrà in frequente relazione con i Prefetti per conoscere l'andamento della camerata loro affidata, e così provvedere secondo i bisogni, o da sè, o, in cose di maggior rilievo, d'intesa con il Rettore. A questo nulla terrà nascosto, e in giorni ed ore determinate, darà

notizia di tutto, per ricevere norme e consigli ai quali si atterrà fedelmente.

Art. 40. Avrà cura di far provvedere agli alunni tutto ciò che essi debbono procurarsi a proprie spese, come libri, oggetti scolastici ecc., e vigilerà che nulla entri in Seminario, nulla sia consegnato agli alunni senza il suo permesso. Nel provvedere i libri userà massima cautela, ed in ciò procederà d'intelligenza con il Rettore.

§ 3. — *Dei Prefetti di Camerata.*

Art. 41. I Prefetti saranno scelti dal Rettore tra gli ecclesiastici più stimabili per pietà, studio, discernimento ed amore alla disciplina. Essi poi si studieranno di essere a tutti di esempio, compensando, se giovani, l'età con la saviezza.

Art. 42. Sarà loro precipuo dovere di trovarsi continuamente, eccettuato il tempo di scuola, con gli alunni affidati, esercitando in mezzo ad essi senza sussiego una sorveglianza prudente e discreta, affine d'impedire ogni inconveniente e conoscere bene il carattere e le qualità di ciascuno.

Art. 43. Essi impediranno assolutamente fra gli alunni la mormorazione e la critica, specialmente quando riguardi l'autorità; adoperandosi di spegnere in sul nascere le funeste faville di qualsiasi men retta tendenza.

Art. 44. Impediranno del pari gli scherzi di mano, le liti, le burle irritanti e qualsiasi atto o detto contrario al decoro ecclesiastico, ammonendo caritatevolmente chi manca, perchè si emendi. In generale, saranno sempre vigilanti, affinchè nelle varie circostanze vengano osservate tutte le norme della più compita urbanità.

Art. 45. Porranno ogni studio perchè si osservino puntualmente le regole del Seminario e gli ordini particolari dei Superiori.

Art. 46. Con prudenza e sincerità informeranno il Rettore e il Vicerettore intorno alla condotta degli alunni, verso i quali non avranno nè preferenze nè predilezioni di sorta.

Art. 47. Vigileranno perchè gli alunni in casa e fuori siano sempre puliti.

Art. 48. Occorrendo fare qualche correzione, la faranno con carità fraterna, con modi rispettosi e discreti, e adattandosi all'indole diversa dei giovani per farli migliori.

Art. 49. Useranno tutte le premure per la sanità degli alunni, prendendo e facendo prendere le precauzioni atte a prevenire le infermità, ed

avviseranno subito i Superiori quando alcuno fosse indisposto (Cfr. Norme igieniche, n. 4). Base del loro ufficio sarà la carità.

§ 4. — *Del Direttore di spirito.*

Art. 50. Al Direttore di spirito è affidata la cura del bene spirituale degli alunni per prepararli ad una vita sacerdotale perfetta. Perciò si avrà la massima oculatezza per designare a questo ufficio un sacerdote che abbia dato prova di essere fornito delle doti necessarie (Cfr. Art. 7).

Art. 51. Nessun Seminario mancherà del Direttore di spirito, del che si fa formale e grave precetto a tutti i Rmi Ordinari. Esso risiederà abitualmente nel Seminario per essere pronto ad ogni richiesta degli alunni, secondo la pratica dei migliori Istituti.

Art. 52. Se per circostanze speciali, non potesse provvisoriamente risiedere in Seminario, il sacerdote esterno incaricato dell'ufficio di cui si tratta, si recherà in Seminario tutti i giorni, in ore e luogo stabilito, per ascoltare gli alunni che desiderassero di parlargli.

Art. 53. « *Cura precipua del Direttore di spirito sia d' infondere e coltivare negli alunni con la maggiore sodezza quella pietà la quale è per tutti feconda, ma specialmente pel clero, di utilità inestimabili. Quanto più la pietà avrà messo radici profonde nei chierici, tanto meglio saranno temprati a quel forte spirito di sacrificio, che è al tutto necessario per zelare la gloria divina e la salvezza delle anime* » (Leone XIII, Lett. cit.).

Art. 54. Il Direttore di spirito ascolterà le confessioni degli alunni, e darà loro tutti i consigli che giudicasse opportuni, soprattutto riguardo alla vocazione sacerdotale. Li dirigerà nel far la meditazione, leggendola o esponendola egli stesso, ovvero indicando un libro adatto, e ne regolerà la durata secondo l'età degli alunni.

Art. 55. Per riguardo al suo alto e delicato ministero, esso userà di tutta la prudenza per non ingerirsi nell' andamento disciplinare del Seminario; nè prenderà a patrocinare alunni corretti, castigati ecc.

Art. 56. Ad ascoltare le confessioni degli alunni, oltre il Direttore di spirito, saranno designati alcuni dotti e pii sacerdoti, i quali, memori del grave loro còmpito e sulla scorta di approvati autori, forniranno ai penitenti consigli e lumi richiesti dalle loro incertezze, imponendo l'obbligo di ritirarsi dallo stato ecclesiastico a chi dimostrasse di non esservi chiamato.

Art. 57. I Superiori e i Professori dell' Istituto non potranno allo stesso tempo disimpegnare l'ufficio di Direttore di spirito, nè quello di Confessore ordinario.

§ 5. — *Del Prefetto degli studi.*

Art. 58. L'ufficio di Prefetto degli studi si trova descritto nel Programma generale di studi al capo VI.

Art. 59. In casi speciali, potrà essere chiamato a disimpegnare tale ufficio lo stesso Rettore del Seminario.

Art. 60. Al Prefetto degli studi è commesso il còmpito di fare osservare scrupolosamente il Regolamento degli studi, nonchè di adoperare i mezzi più convenienti a promuovere gli studi stessi nell'Istituto, sempre però d'intesa col Rettore.

Art. 61. Di quando in quando visiterà le classi durante le lezioni, e interrogherà gli alunni, per eccitare in questi l'ardore nello studio, nei Professori lo zelo nell'insegnare.

Art. 62. Vigilerà perchè siano tenuti con esattezza i registri scolastici e che in fine di ogni bimestre siano pronte le note delle medie dei punti ottenuti dagli alunni.

Art. 63. Dirigerà quanto riguarda gli esami finali e di riparazione; porrà ogni vigilanza e fermezza perchè gli esperimenti siano fatti con serietà e imparzialità, e perchè sia veramente vagliato il merito nel decretare le promozioni alle classi superiori. Assegnerà anche la classe ai nuovi alunni dopo averne riconosciuta l'idoneità, o dall'esame dei documenti, o da esami di ammissione.

Art. 64. Procurerà si facciano con la dovuta solennità l'inaugurazione dell'anno scolastico e la distribuzione dei premi, per l'aggiudicazione dei quali, d'intesa col Rettore e con l'approvazione del Vescovo o del Collegio dei Vescovi, stabilirà norme opportune.

Art. 65. In fine d'ogni anno scolastico compilerà un'esatta relazione sullo stato scientifico dell'Istituto in genere, e sul profitto conseguito dagli alunni, aggiungendo quei voti che giudicherà necessari od utili al miglioramento dell'istruzione. Tale relazione verrà da lui presentata al Rettore che la porterà a conoscenza del Vescovo o del Collegio dei Vescovi.

§ 6. — *Dei Professori.*

Art. 66. Ufficio di ciascun Professore è di guidare con competenza e coscienza i discepoli alla cognizione della materia che esso deve insegnare, ricordando che: *primus discendi ardor, nobilitas est magistri* (1).

(1) S. Ambros., *De Virginibus.*

Art. 67. I Professori nell'esercizio del loro ufficio saranno sotto la immediata dipendenza del Prefetto degli studi.

Art. 68. Saranno diligenti nel trovarsi puntualmente in classe, nel ben prepararsi sull'argomento di ciascuna lezione, nell'esaurire il proprio programma, nell'interrogare di frequente gli alunni e correggerne i lavori, nell'eccitarli e incoraggiarli allo studio, nel mantenere la disciplina scolastica, senza di che è vano sperare un vero profitto. Soprattutto si mostreranno esemplari in ogni virtù, il che concilierà loro il dovuto rispetto. Se poi qualche alunno vi venisse meno, lo denuncieranno al Rettore o al Vicerettore perchè venga opportunamente ammonito.

Art. 69. I Professori non trascureranno quelli che in classe si mostrassero di minore ingegno, anzi prima di passare ad altro argomento, si assicureranno che la lezione sia stata ben compresa da tutti, il che gioverà moltissimo a tener desta l'emulazione e a condurre l'intera scolaresca a buona meta.

Art. 70. Ogni Professore avrà un registro dove noterà giornalmente i punti meritati dagli alunni nei saggi scolastici e nella condotta tenuta in iscuola. In fine di ogni bimestre ne farà la media e la presenterà al Prefetto degli studi.

§ 7. — *Dell'Economo.*

Art. 71. All'Economo spetta, sotto la dipendenza del Rettore, l'interna gestione finanziaria e materiale del Seminario.

Art. 72. Avrà un proprio archivio, dove terrà ordinatamente tutti i necessari documenti, specialmente le giustificazioni di entrata e di uscita, i registri, le note ecc., sicchè ad ogni richiesta possa render conto esatto della sua gestione. Farà al principio di ogni anno il preventivo delle spese, e alla fine esibirà al Rettore il bilancio consuntivo.

Art. 73. Non si opporrà mai a fare quelle spese che il Rettore crederà necessarie od utili al bene morale, disciplinare e scientifico del Seminario, a norma dell'art. 34.

Art. 74. Vigilerà in modo particolare su la cucina, affinchè gli alunni siano trattati convenientemente.

Art. 75. Visiterà spesso le diverse parti del fabbricato, per osservare se tutto è a suo luogo, se avvennero guasti o altro, per provvedere prontamente.

Art. 76. Procurerà che nel Seminario siano osservate tutte le norme di una ben intesa proprietà e siano adottati i sussidi dell'igiene (Cfr. Appendice I, § 1).

Art. 77. Sarà in modo speciale sollecito che nella chiesa o cappella del Seminario tutto stia in perfetto ordine, che nulla manchi di ciò che è necessario per il culto, e che le sacre suppellettili siano tenute sempre in istato decoroso.

Art. 78. L'Economo durante l'anno avrà facoltà di fare, non solo le spese ordinarie, ma anche quelle di urgenza, ricordando però che le spese rilevanti, come restauri ai locali, arredi ecc., dovranno essere sottoposte preventivamente all'approvazione del Collegio dei Vescovi, o del Vescovo diocesano.

Art. 79. L'Economo, d'intesa col Rettore, sceglierà i domestici, e questi dipenderanno immediatamente da lui. Esso poi vigilerà su la loro condotta religiosa, morale e disciplinare, secondo apposito regolamento, redatto d'accordo col Rettore stesso.

PARTE II. — Ammissione dei giovani in Seminario.

Quale sia lo scopo dei Seminari, apparisce chiaro dalle parole del Concilio di Trento che li istituì: « *Singulae Cathedrales certum puerorum numerum religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur, quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, ita ut hoc Collegium Dei ministrorum perpetuum Seminarium sit* ». E il Sommo Pontefice Leone XIII di s. m. nella citata Lettera ai Vescovi d'Italia dice: « *Noi sentiamo di dover nuovamente e con più vivo studio raccomandare che innanzi tutto i Seminari siano con gelosa cura mantenuti nello spirito proprio, così rispetto all'educazione della mente come a quella del cuore. Non si perda giammai di vista, che essi sono esclusivamente destinati a preparare i giovani non ad uffici umani, per quanto legittimi ed onorevoli, ma all'alta missione di ministri di Cristo e dispensatori dei misteri di Dio* ».

L'ammissione quindi dei giovani in Seminario richiede la massima ponderazione. « *Non si accolgano,* prosegue Leone XIII, *che giovani i quali offrano fondate speranze di voler consacrarsi in perpetuo al ministero ecclesiastico* ». Non si ha con ciò da pretendere da essi, massime se ancora di tenera età, una risoluta determinazione allo stato ecclesiastico, ma che addimostrino almeno una certa naturale disposizione a tale stato (1).

(1) Cfr. Appendice II, 3.

Nell'ammettere gli alunni sia ai corsi inferiori che ai superiori, si avrà presente il Decreto della S. Congregazione del Concilio *De Seminariorum alumnis,* del 22 Dicembre 1905 (1), e le poche norme che seguono.

Capo I. — Ammissione ai corsi inferiori.

Art. 80. Perchè un giovane possa essere ammesso in Seminario dovrà appartenere a famiglia praticamente cristiana e di fama onorata.

Art. 81. Gli alunni, o chi per essi, esibiranno gli attestati:

1°. Di Battesimo e quello di Cresima, se pur l'hanno già ricevuta;

2°. di legittimità di matrimonio dei genitori;

3°. di buona condotta, rilasciato dal parroco o dai Superiori degli Istituti frequentati;

4°. di sana costituzione fisica e di vaccinazione.

Art. 82. Nell'assegnamento della classe si osserveranno rigorosamente le disposizioni del cap. II, *a*) del Programma generale degli studi.

Art. 83. Quanto all'età, la norma è data dalle disposizioni del Concilio di Trento: « *In hoc vero Collegio (Seminario) recipiantur qui ad minimum duodecim annos et ex legitimo matrimonio nati sint* » (Sess. XXIII, cap. 18, de reform.).

Capo II. — Ammissione ai corsi superiori.

Art. 84. Nessuno sarà ammesso ai corsi superiori che non abbia regolarmente compiuto i corsi inferiori, superandone gli esami.

Art. 85. Gli alunni che, compiuti i corsi inferiori in un Seminario, si recano in un altro per studi superiori, esibiranno il certificato degli studi fatti e quello di buona condotta rilasciato dal Rettore.

Art. 86. Non si ammetteranno ai corsi superiori che quei giovani i quali abbiano dato segni di vocazione allo stato ecclesiastico.

Art. 87. È rimesso alla prudenza del Rettore il ritenere gli alunni che intendessero di rimanere in Seminario al solo scopo di conseguire la licenza liceale.

(1) Cfr. Appendice II, 2.

PARTE III. — Regolamento per gli alunni

Capo I. — Della pietà.

Dicesi pietà verso Dio quella disposizione dell'animo, che spinge ad adempiere i doveri che la creatura ragionevole ha verso il Creatore, rendendogli soprattutto un culto affettuoso e devoto. Essa abbraccia quindi tutto l'uomo e l'ordina alla sua meta divina, dando elevazione alla mente, fermezza al carattere, nobiltà al cuore, eccitamento e sostegno a tutte le virtù. Necessaria ad ogni forma di educazione, la pietà è indispensabile per la educazione ecclesiastica, che ha per fine di formare negli alunni l'*homo Dei* (1).

L'acquisto della pietà è dunque il primo e più grande dovere degli alunni: « *Decet clericos vel a prima aetate iugo Domini assuescere, pietati vacare plurimum, inservire sacris ministeriis, vitae sacerdotalis exemplo conformari* » (Leo XIII, Encycl. *Paternae providaeque Nostrae* 18 Sept. 1899).

Il mezzo più semplice e più efficace per acquistare la pietà, è di esercitarsi nelle pratiche di essa, in modo che siano sempre l'espressione viva degl'interni pensieri e sentimenti dell'animo. Vi saranno pertanto pratiche di pietà quotidiane, settimanali, mensili, annuali.

§ 1. — *Pratiche quotidiane.*

Art. 88. In ogni Seminario si praticheranno ogni giorno i seguenti esercizi di pietà:

1°. Orazioni del mattino.
2°. Meditazione.
3°. Messa.
4°. Lettura spirituale.
5°. Visita al SSmo Sacramento.
6°. Recita del S. Rosario.
7°. Orazioni della sera ed esame generale di coscienza.
8°. Al mattino, al mezzogiorno, all'*Ave Maria* della sera, recita dell'*Angelus Domini,* o della *Regina coeli* secondo i tempi.

§ 2. — *Pratiche settimanali.*

Art. 89. Nelle Domeniche e in altre feste solenni le Camerate presteranno per turno il servizio nella Cattedrale. Il Rettore provvederà

(1) S. Paul. *Ad Timoth.* I, cap. VI, 11.

affinchè gli alunni che rimangono in Seminario, compiano qualche altro atto religioso, giusta l'opportunità. Quando il Vescovo interverrà alle funzioni in Cattedrale, dovranno recarvisi tutti gli alunni.

Art. 90. Nei giovedì o nelle Domeniche essi avranno una conferenza spirituale, della quale verrà incaricato un sacerdote atto per scienza e pietà. Tutti i venerdì nel pomeriggio ad ora competente si reciteranno cinque *Pater, Ave* e *Gloria* coll'orazione *Respice, quaesumus Domine, super hanc* etc.

Art. 91. Ogni otto giorni gli alunni si accosteranno al sacramento della Penitenza, e si comunicheranno di frequente secondo il consiglio del proprio Confessore.

§ 3. — *Pratiche mensili.*

Art. 92. Nel primo venerdì del mese avrà luogo il pio esercizio in onore del S. Cuore di Gesù, nel modo che sarà giudicato più opportuno, non dimenticando il privilegio della Messa votiva concessa dal Sommo Pontefice Leone XIII di s. m. (1).

Art. 93. Si farà il ritiro, detto della buona morte, con quelle conferenze e pratiche che la consuetudine ha indotto, col fine che ciascuno esamini più accuratamente la propria coscienza, e prenda quelle risoluzioni che valgano a meglio correggere i difetti e ad avanzare nella virtù.

§ 4. — *Pratiche annuali.*

Art. 94. Si faranno divotamente le Novene, i Tridui, ecc. che si sogliono premettere alle maggiori solennità di N. S. G. C. e di Maria SSma; parimenti si celebreranno con speciale divozione dette feste, non che quelle altre che la Chiesa inculca al popolo cristiano.

Art. 95. Con divozione filiale si praticherà il *Mese Mariano.*

Art. 96. Ogni anno si terrà un corso di Esercizi spirituali, almeno di cinque giorni consecutivi, ovvero due corsi di tre giorni ciascuno, secondo le consuetudini locali. In quei giorni i chierici già *in Sacris* reciteranno le ore canoniche in comune.

Art. 97. Gli alunni presteranno la dovuta attenzione alle predicazioni degli esercizi, ed in genere, alle meditazioni, istruzioni, letture spirituali e conferenze per il loro profitto, disposti a renderne conto ai Superiori qualora venissero interrogati.

---

(1) Cfr. Appendice II, 1.

Capo II. — Dello studio.

Lo studio è uno dei più gravi doveri per coloro che si preparano a divenire insieme *sal terrae* e *lux mundi.* « *Lumen doctrinae* (1), *neque illud vulgare, in sacerdote requiritur, quia muneris eius est implere sapientia ceteros, evellere errores, ducem esse multitudini per itinera vitae ancipitia et lubrica* » (Leo XIII, Encycl. *Exeunte iam anno* 25 Dec. 1888).

Gli alunni attenderanno quindi con ogni diligenza agli studi loro prescritti. Prima di tutto innalzeranno la lor mente a Dio per invocarne l'aiuto e poi consacreranno allo studio tutto il tempo stabilito, fuggendo l'oziosità che è veleno dell'anima e del corpo.

§ 1. — *Delle scuole.*

Art. 98. Tutti gli alunni saranno sempre pronti alle lezioni e ai rispettivi esercizi scolastici.

Art. 99. Si osserverà la separazione delle classi, nelle quali verrà assegnato a ciascuno un posto, che non cambieranno senza il permesso del Professore.

Art. 100. Nel recarsi alla scuola e nell'uscirne, sia per cambiar classe, sia per restituirsi alla propria camerata, gli alunni procederanno sempre in silenzio e con ordine, senza trattenersi a conversare con scolari esterni, se vi fossero, ricordando che è assolutamente vietato di avere con essi qualunque relazione, senza permesso speciale del Rettore.

Art. 101. Nessuno uscirà dalle scuole, se non per giusto motivo e con l'espressa licenza del Professore.

Art. 102. Alle lezioni ognuno presterà la debita attenzione, per ritrarne ogni profitto.

Art. 103. Il silenzio, la compostezza della persona, il rispetto, la modestia nel domandare e nel rispondere, sono le doti di un ben disciplinato scolare.

§ 2. — *Del luogo e del tempo di studio.*

Art. 104. Gli alunni si occuperanno principalmente delle lezioni di scuola e di altre materie affini. Perciò non si permetterà loro di tenere in camera libri che possano recare danno morale e distrazione dagli studi principali. Quanto alle letture, si osserveranno rigorosamente le prescri-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 21, pag. 323.

zioni del regnante Pontefice Pio X nell'Enciclica *Pieni l'animo* del 28 Luglio 1906 (1) e la già citata Istruzione del S. Uffizio del 28 Agosto 1907.

Art. 105. In tempo di studio si farà il più perfetto silenzio; perciò nessuno uscirà di camera, nemmen per recarsi dai Superiori o dal Confessore, se non per urgente necessità.

Art. 106. Oltre allo studio delle lettere e scienze, gli alunni dovranno imparare il canto gregoriano, secondo le prescrizioni del regnante Pontefice Pio X, intervenendo alla scuola che avrà luogo ogni settimana in giorni da destinarsi.

Art. 107. Si procurerà che ogni Seminario, data la parte principale al canto gregoriano, abbia la sua *Schola cantorum* nella quale si coltiverà il canto figurato, conforme alle prescrizioni del Motu Proprio del regnante Pontefice Pio X (22 Nov. 1903), preferendo le composizioni di genere polifono, che mantengono in istima ed amore il canto gregoriano (2).

Art. 108. Nei giorni e nelle ore stabilite, gli alunni si eserciteranno nelle sacre cerimonie, affine di servire con esattezza, gravità e divozione nelle sacre funzioni, tanto nella cappella o chiesa del Seminario quanto nella Cattedrale.

§ 3. — *Prove obbligatorie del profitto nello studio.*

Art. 109. Tutti gli alunni saranno obbligati a prender parte ai saggi, concorsi, ecc. che saranno stabiliti dal Prefetto degli studi, d'accordo col Rettore.

Art. 110. Tutti si presenteranno agli esami per la promozione alle classi superiori, secondo le disposizioni del capo VI, *e*, *f*, del Programma degli studi.

Art. 111. Chiunque, non impedito da manifesta infermità, o da altra legittima causa riconosciuta dai Superiori, trascurerà di presentarvisi, mostrerà di non voler più rimanere in Seminario.

Art. 112. Se alcuno degli alunni non si presenterà agli esami, per legittima causa, oppure, presentatosi, non verrà approvato, dovrà farli nella sessione di riparazione.

Art. 113. Se alcuno non si presenterà agli esami di riparazione, oppure, ripresentatosi, non verrà approvato, se alunno del ginnasio o del liceo, potrà ripetere la classe con la facoltà della doppia prova di

(1) Appendice II, 3 e 4.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 329 et 387.

esami; se poi sarà alunno di teologia, non essendo possibile di fargli ripetere la stessa classe (per il fatto che gli alunni di due o tre corsi si trovano insieme, per alcune materie), dovrà fare un anno di più, e di ciò si terrà conto nell'ammetterlo agli Ordini sacri.

Capo III. — Della disciplina.

Per disciplina qui s'intende il complesso delle norme pratiche che regolano la vita degli alunni nel Seminario. Essa promovendo l'ordine esterno, mira all'ordine interno della volontà, per formarla al dovere e alla virtù.

La disciplina viene in aiuto della naturale debolezza, generando nell'anima l'abitudine del bene, che non si acquista se non con atti ripetuti. I Superiori perciò la introducano e la mantengano in fiore e gli alunni l'abbiano in vera stima, persuasi che essa non violenta la volontà, ma piuttosto la libera dalle cattive inclinazioni. Saranno un giorno sacerdoti esemplari, coloro che, alunni, sono amanti della disciplina (1): « *Illi in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur* » (Leo XIII, Encycl. *Etsi Nos* 15 Febr. 1882).

§ 1. — *Avvertenze generali.*

Art. 114. Si userà tutta la diligenza affinchè gli alunni siano segregati dal contatto con giovani non aspiranti al sacerdozio, se le scuole fossero frequentate da esterni.

Art. 115. Gli alunni saranno divisi in camerate secondo l'età, la classe, a giudizio del Rettore.

Art. 116. A ciascuno verrà assegnato il posto in scuola, in refettorio, in cappella, nelle file ecc., il qual posto verrà mutato di tanto in tanto, onde promuovere e conservare la mutua carità.

Art. 117. Si formerà un orario che regoli gli atti in comune, tanto nei giorni di scuola, quanto per quelli di vacanza, e rimarrà esposto, perchè tutti possano averne conoscenza. Un orario speciale verrà stabilito per le ferie autunnali, nelle quali, oltre gli esercizi di pietà, non deve mancare qualche lezione ed un poco di studio.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 14, pag. 337.

Art. 118. Tutti indistintamente gli alunni saranno tenuti ad intervenire con puntualità agli atti in comune, dai quali potranno essere solamente dispensati dai Superiori per cause particolari e plausibili.

Art. 119. Occorrendo a qualche alunno la necessità di assentarsi momentaneamente dalla cappella, dal refettorio, dalla scuola, dalla ricreazione e simili, domanderà il permesso al Superiore che presiede.

Art. 120. Sarà data la conveniente importanza al silenzio, che, ben praticato, conferisce moltissimo alla virtù e allo studio.

Art. 121. Nel Seminario vi saranno appositi locali per la ricreazione delle diverse camerate.

Art. 122. Sarà sempre data la preferenza a quei trattenimenti e giuochi, che tengano viva la ricreazione interessando tutta la camerata.

Art. 123. Durante le refezioni, ordinariamente, si farà lettura, usando per ciò libri edificanti ed istruttivi.

Art. 124. Si farà in modo che lo studio, le ricreazioni e le stesse funzioni di chiesa non si prolunghino soverchiamente, perchè gli alunni non ne risentano tedio.

Art. 125. Si avrà l'avvertenza che i dormitorî e tutti gli altri locali frequentati nelle ore notturne, siano sufficientemente illuminati.

§ 2. — *Verso i Superiori.*

Art. 126. Gli alunni riconosceranno nella persona del Rettore un padre, cui è dovuto filiale amore e pronta obbedienza. Proporzionatamente faranno così verso gli altri Superiori.

Art. 127. Ognuno, nelle ore e nel modo che verrà stabilito, avrà libero accesso al Rettore per esporre i propri bisogni ed i propri desiderî con animo aperto e confidente. Con le stesse cautele, e per ragionevole motivo, potranno gli alunni recarsi anche dal Direttore di spirito e dal Vicerettore. Prima però di lasciare la camerata, ne daranno avviso al Prefetto.

Art. 128. Accetteranno con sommissione e in pace i dinieghi, i rimproveri, le correzioni e i castighi, che loro venissero dai Superiori, e ne trarranno profitto, dimostrandolo col fatto di una emenda sincera e duratura.

Art. 129. Alla presenza del Rettore, di altri Superiori, o di persone distinte, rimarranno sempre in piedi e a capo scoperto, quando non siano espressamente invitati a sedere ed a coprirsi.

Art. 130. Ogni alunno, scorgendo qualche grave mancanza, da cui possa derivare offesa di Dio, pericolo alla virtù dei compagni o al buon

nome del Seminario, ne darà avviso ai Superiori perchè vi apportino opportuno rimedio. Il far ciò non è esercitare l'ufficio di delatore, ma zelare il bene comune e la carità verso le anime.

§ 3. — *Verso se stessi.*

Art. 131. Ogni alunno rispetterà in se medesimo l'immagine di Dio e il tempio dello Spirito Santo, coll'osservare la più grande modestia e decenza, tanto in compagnia degli altri, come da solo nella propria camera, pensando che in ogni luogo Dio è presente.

Art. 132. Tutti cureranno la nettezza della persona e degli abiti; porteranno la chioma convenientemente tagliata e composta, alieni da ogni vanità e sordidezza, come da ogni affettazione e singolarità, conformandosi in tutto agli usi del Seminario.

Art. 133. Sarà loro impegno di osservare i precetti igienici, riguardanti la cura della persona (Cfr. Appendice I, § 2).

Art. 134. Serberanno decoro nel tratto, nel portamento, nel parlare, guardandosi da ogni leggerezza e da ogni atto disdicevole alla gravità ecclesiastica.

Art. 135. Terranno ordine e pulitezza nella camera, nei libri, nel suppellettile, e non faranno sciupo nè degli oggetti propri, nè di quelli del Seminario.

§ 4. — *Verso i compagni.*

Art. 136. Gli alunni osserveranno costantemente la divisione fra camerata e camerata, sì in casa che fuori, tanto che quelli dell'una non tratteranno con quelli dell'altra senza licenza dei Superiori.

Art. 137. Nei compagni vedranno altrettanti fratelli in Gesù Cristo, affinchè cominci così a regnare fra essi quella mutua carità che è tanto desiderabile fra gli ecclesiastici.

Art. 138. Nel conversare tra loro useranno sempre maniere informate alla cristiana carità, perciò eviteranno le contese, le parole pungenti, guardandosi soprattutto dal farsi beffe di chi è più virtuoso, o di chi avesse qualche difetto naturale.

Art. 139. Nel chiamarsi l'un l'altro faranno uso del semplice nome o cognome di famiglia, escludendo affatto ogni soprannome.

Art. 140. Eviteranno le amicizie particolari, il mettersi le mani addosso, anche per ischerzo, lo scriversi biglietti o lettere, il farsi dei regali e cose somiglianti rigorosamente proibite. I trasgressori saranno puniti a dovere.

Art. 141. Avranno in orrore qualunque parola o discorso indecente nonchè qualsiasi tratto men che onesto.

Art. 142. In ricreazione, o al passeggio, non sarà mai loro lecito di segregarsi dai compagni e sottrarsi dalla sorveglianza del Prefetto.

§ 5. — *Verso i domestici.*

Art. 143. Gli alunni useranno con i domestici i dovuti riguardi di carità e di civiltà, senza però contrarre alcuna famigliarità con essi. Avendo in alcuna cosa a lagnarsi del loro servizio, ne riferiranno al Prefetto.

Art. 144. A nessuno sarà lecito d'intrattenersi con i domestici e molto meno di dar loro commissioni o incarichi.

Art. 145. I soli Prefetti, d'intesa col Vicerettore, tratteranno con i domestici per far provvedere quello che gli alunni debbono procurarsi a loro spese, e per le commissioni.

§ 6. — *Verso gli estranei.*

Art. 146. Le visite agli alunni saranno permesse d'ordinario, due volte alla settimana, in giorni da fissarsi, in ore libere dagli atti in comune, e prima dell'*Ave Maria* della sera. Per visite straordinarie si dovrà richiedere ogni volta la licenza dei Superiori.

Art. 147. In via ordinaria, potranno gli alunni ricevere le visite dei genitori o dei parenti prossimi. Se si tratta di altre persone, occorre il permesso del Rettore o Vicerettore.

Art. 148. In parlatorio gli alunni si comporteranno in tutto e con tutti secondo le regole di buona creanza, non per piacere vanamente al mondo, ma per fuggire la inciviltà ed ogni ruvido trattare col prossimo.

Art. 149. Gli alunni non potranno ricevere commestibili o bevande senza il permesso del Vicerettore, il quale ne disporrà secondo che crederà conveniente.

Art. 150. Niuno riceverà o spedirà corrispondenze epistolari senza che siano state vedute dal Rettore, che nella sua prudenza, vedrà se sia il caso di farne la consegna o la spedizione.

§ 7. — *Della refezione.*

Art. 151. Nell'entrare e nell'uscire dal refettorio gli alunni osserveranno il silenzio, e nel tempo della refezione ascolteranno la lettura che verrà fatta.

Art. 152. Ognuno a tavola serberà un contegno corretto, come lo esigono le regole di buona creanza evitando soprattutto l'avidità e la precipitazione nel prendere il cibo, contrarie non meno alla sanità che alla temperanza.

Art. 153. Si abitueranno gli alunni al cibo comune. Nei casi speciali il Superiore provvederà secondo il bisogno e nel modo che giudicherà espediente.

§ 8. — *Della ricreazione.*

Art. 154. Ognuno prenderà parte volentieri alla ricreazione in comune, affinchè riesca di vero sollievo al corpo ed allo spirito.

Art. 155. Non sarà lecito ad alcuno, senza speciale licenza del Prefetto, di appartarsi dai compagni nel tempo della ricreazione, nè di ritirarsi in camera, fosse anche per attendere allo studio o alla lettura di qualche libro.

Art. 156. Verranno proscritti quegli scherzi che non fossero conformi allo spirito di carità e che disdicessero a persona bennata, come pure quei giuochi che fossero di pericolo alla salute (Cfr. Appendice I, § 2).

§ 9. — *Del passeggio ed altre uscite fuori del Seminario.*

Art. 157. Ognuno procurerà di trovarsi pronto ed in conveniente assetto per il passeggio, in attesa del cenno del Prefetto per la partenza.

Art. 158. Nessuno potrà rimanere in casa nel tempo della passeggiata, se non per grave ragione e col permesso, ottenuto volta per volta dai Superiori.

Art. 159. Ogni camerata andrà per quelle vie che saranno indicate dal Prefetto, d'intesa con i Superiori. Durante il passeggio è assolutamente vietata qualunque refezione, senza espressa licenza del Rettore.

Art. 160. In città si camminerà sempre in buon ordine, con portamento decoroso, con passo moderato, e ciascuno s'intratterrà col proprio compagno parlando a voce sommessa. Fuori di città, il Prefetto potrà permettere che si sciolgano le file, però nessuno si allontanerà di troppo.

Art. 161. Se nella passeggiata s'incontrasse Monsignor Vescovo, gli alunni si fermeranno a capo scoperto per rendergli il dovuto ossequio; se poi s'incontrassero i signori Canonici, Superiori, Professori del Seminario, altri sacerdoti, ovvero personaggi specialmente indicati dai Superiori, saluteranno scoprendosi il capo, ma senza fermarsi.

Art. 162. Non si permetterà agli alunni di uscire dal Seminario per andare fuori a pranzo o per far visite in case particolari. Così pure non si permetterà, in via ordinaria, di uscire con i parenti quando venissero a visitarli.

§ 10. — *Delle vacanze.*

Art. 163. Nei giorni di vacanza, pur rimanendo fermo il regolamento, sarà in facoltà del Rettore di prolungare la passeggiata e le ricreazioni, ed anche di dispensare per giusta causa, in tutto o in parte, dallo studio.

Art. 164. Non sarà permesso, in occasione di prolungate vacanze, di andare a passarle presso la famiglia; ognuno si contenterà dei divertimenti che verranno procurati in quei giorni nel Seminario.

Art. 165. Le vacanze autunnali si passeranno da tutti nella villeggiatura del Seminario.

Art. 166. È rimesso alla prudenza dei Vescovi di concedere agli alunni, specialmente di Liceo e di Teologia, di recarsi per alcuni giorni (un mese al massimo) presso le rispettive famiglie. In tal caso sarà cura del Rettore di affidarli alle sollecitudini dei rispettivi parrochi o di altro pio sacerdote, dai quali richiederà confidenziali informazioni sulla loro condotta prima di riammetterli in Seminario.

§ 11. — *Dell'espulsione.*

Art. 167. L'espulsione dal Seminario è rimedio estremo, ma talvolta indispensabile, per l'incolumità dell'Istituto: « *Discolos et incorrigibiles,* dice il Concilio di Trento (Sess. XXIII, cap. 18, de reform.), *ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit, expellendo* ». « *Si rimandino,* dice il Sommo Pontefice Leone XIII nella citata Lettera, *quanti nel corso della loro educazione manifestassero tendenze non convenevoli alla vocazione sacerdotale* ».

Art. 168. Saranno perciò rimandati gl'incorreggibili, quelli cioè, che, dopo amorevoli ammonizioni e correzioni opportune, dànno poca speranza di emenda; e gli scandalosi, che inducono gli altri ad ammutinamenti, a trasgressioni di regole, ad insolenze.

Art. 169. Le gravi mancanze contrarie alla moralità saranno punite con l'immediata espulsione dal Seminario, secondo il giusto parere in proposito di S. Alfonso, « *Tutius consilium est eum statim e Seminario expellere, quia talis ovis inquinata contagione potens est totum Seminarium corrumpere* » (Homo Apost., *Reg. de Sem.* 1, 4).

Appendice I.

NORME IGIENICHE.

§ 1. — *Abitazione.*

Art. 1. I locali della cappella, del refettorio, dello studio ecc., siano ampi, bene illuminati ed aereati, possibilmente provvisti di illuminazione elettrica.

Art. 2. Le aule scolastiche siano mantenute nella dovuta nettezza, abbiano banchi comodi, di modello igienico e vario, secondo l'età degli alunni.

Art. 3. Si provveda che in tutte le stanze sia spesso rinnovata l'aria in qualunque stagione dell'anno.

Art. 4. Le camere da letto e i dormitorî siano di tal capacità da corrispondere ad un minimo di 14 metri cubi per ogni individuo.

Art. 5. L'acqua potabile sia separata da quella che serve per gli usi comuni.

Art. 6. I cessi siano in proporzione degli individui, ben aereati, costruiti con il sistema dei vasi di maiolica a sifone, con caduta intermittente d'acqua.

Art. 7. Ogni locale sia provvisto di grandi sputacchiere di metallo smaltato con sabbia.

Art. 8. La pulizia di tutte le stanze e corridoi sia fatta ogni giorno, con segatura bagnata, o meglio, con canavacci bagnati avvolti intorno alle scope.

Art. 9. Qualora le scuole siano fuori del Seminario, occorre che presso la scuola vi sia un vestibolo ampio e ben ventilato, ove si depositino ombrelli, mantelli bagnati e cappelli.

§ 2. — *Cura della persona.*

Art. 10. Ogni alunno deve avere la massima cura della nettezza del corpo, lavarsi il viso e il collo ogni giorno e le mani più spesso, specialmente prima di ogni pasto; risciacquarsi in ore opportune la bocca e pulire i denti.

Art. 11. Occorre lavare di quando in quando tutto il corpo, o mediante un bagno generale in bagnarola o mediante doccia.

Il bagno si prenda nei giorni di vacanza, per turno, a distanza dai pasti, ed avendo cura di farlo seguire da una conveniente reazione all'aperto.

Art. 12. La biancheria personale e quella del letto siano cambiate sovente: gli abiti siano sbattuti e spazzolati ogni giorno. Il collare di gomma è da proibirsi, perchè dannoso alla salute.

Art. 13. Le passeggiate si facciano fuori dell'abitato, e durino non meno di un'ora nei giorni di scuola e di due ore nei giorni di vacanza.

Art. 14. Le ricreazioni si tengano possibilmente sempre all'aperto, sotto un porticato quando piove. Gli alunni non stiano seduti o fermi a conversare, ma camminino o meglio prendano parte a giuochi collettivi per i quali il corpo sia in movimento.

§ 3. — *Medico.*

Art. 15. Il medico addetto al Seminario deve visitare rigorosamente ciascun giovane che si presenti per l'ammissione, e verificare se è stato rivaccinato di recente. Dipenderà dal suo prudente giudizio il non accettare i soggetti gracili o predisposti a malattie, nonchè quelli che presentino infezioni esterne trasmissibili ai compagni.

Art. 16. Egli acceda periodicamente al Seminario in giorni ed ore prestabilite, in modo che tutti gli alunni possano facilmente ricorrere a lui per consigli igienici.

Art. 17. Informi il Rettore di qualunque inconveniente igienico che potesse avvertire nel Seminario e proponga i mezzi per ripararvi.

Art. 18. Dichiari quando un alunno si debba dispensare dall'osservanza del digiuno.

Art. 19. Faccia un'ispezione sommaria a tutti gli alunni, prima e dopo la villeggiatura; e prenda nota in apposito registro delle condizioni generali della loro salute.

Art. 20. Curi gli alunni e tutto il personale nelle malattie brevi e di poca entità nel Seminario stesso; ma appena abbia il dubbio che una malattia possa durare a lungo o possa essere trasmissibile ad altri, proponga al Rettore l'immediato trasporto dell'infermo in famiglia o in una casa di cura.

Art. 21. Ordini le disinfezioni che ritiene opportune, ed invigili che non siano conservate nell'infermeria sostanze venefiche o altrimenti pericolose alla salute.

Art. 22. Il medico, d'intesa con l'economo, sorvegli la nettezza della cucina e della dispensa, la stagnatura dei rami, la bollitura del latte. Verifichi gli alimenti e le bevande, per riguardo alla loro buona qualità ed alle possibili adulterazioni.

§ 4. — *Infermeria.*

Art. 23. I locali destinati ad uso di infermeria siano preferibilmente esposti a mezzogiorno e provvisti di fornello, acqua potabile e cesso separato. Le pareti delle camere siano inverniciate a smalto. L'infermeria sia provvista di tutto il materiale asettico ed antisettico per una prima medicatura.

Art. 24. Vi sia una camera appartata e riservata per i casi di malattie infettive.

Art. 25. Ogni alunno, sentendo qualche indisposizione, ne avviserà subito il Prefetto e questi il Rettore, affinchè il malato sia, con tutta sollecitudine, trasportato all'infermeria, e ne venga subito informato il medico.

Art. 26. Il Vicerettore si darà premura che gli ammalati siano assistiti con diligenza e carità da un infermiere capace e fidato.

Art. 27. Il malato sarà ubbidiente al medico ed all' infermiere in tutto ciò che gli verrà ordinato.

Art. 28. Se il male prendesse, a giudizio del medico, forma complicata, oppure si prevedesse di lunga durata, il Rettore ne avviserà tosto i genitori o i parenti dell'infermo (Cfr. § 3, art. 20).

Art. 29. Nessuno potrà visitare i malati, senza speciale licenza del Rettore o del Vicerettore.

Appendice II.

DOCUMENTI PONTIFICI.

1. — *Ex Brevi* Benigno divinae providentiae consilio *Leonis XIII. - 28 Iun. 1889* (1).

..... In iis ecclesiis et oratoriis ubi feria sexta, quae prima unoquoque mense occurrit, peculiares pietatis exercitationes in honorem divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peragentur, indulgemus ut huiusmodi piis exercitationibus addi valeat Missa votiva Sacri Cordis Iesu, dummodo in illum diem non incidat festum aliquod Domini aut duplex primae classis, vel feria vel vigilia, octava ex privilegiatis, de cetero servatis rubricis.

N. B. La Messa da leggersi per tale occasione è quella stessa che si legge nella festa del S. Cuore di Gesù *(Egredimini)*. Questa Messa

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 21, pag. 694..

si deve celebrare *more votivo pro re gravi,* cioè con *Gloria, Credo,* con una sola orazione, col Prefazio *de Nativitate* dalla Domenica della SS. Trinità fino alla Settuagesima, e con quello *de Cruce* dalla Settuagesima fino alla Domenica di Pentecoste; e sempre col Vangelo di S. Giovanni in fine *(S. C. dei R. 20 Maggio 1890).* Non è però necessario che la detta Messa sia cantata come le Messe votive *pro re gravi (S. C. dei R. 20 Maggio 1892)* (1).

2. — *Decretum S. C. Concilii.* — De seminariorum alumnis (2).

3. — *Dalla Lettera Enciclica* Pieni l'animo *28 Luglio 1906* (3).

4. — *Instructio S. R. et Univ. Inquisitionis ad Rmos Locorum Ordinarios Familiarumque Religiosarum Moderatores* (4).

5. — *Ex Litteris Encyclicis* Pascendi dominici gregis *8 Sept. 1907* (5).

.... His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. — Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re at fortiter agitote.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 22, pag. 738, et vol. 24, pag. 739.

(2) Heic refertur ex integro decretum *Vetuit* S. C. C. diei 22 Dec. 1905, quod prostat in *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 407 *(N. R.).*

(3) Ibi refertur citata Epistola Encyclica a § *A prevenire* usque ad § *Se non che il disordine* exclusive, prout videre est in *Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 322 in fine usque ad pag. 325 ab initio *(N. R.).*

(4) Hic transcribitur integra Instructio *Recentissimo decreto* diei 28 Augusti 1907, quae pariter legitur in *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 727 *(N. R.).*

(5) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 593.

Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus!

6. — *Ex Motu Proprio* Praestantia *18 Nov. 1907* (1).

.... His constitutis, Ordinariis dioecesum et Moderatoribus Religiosarum Consociationum denuo vehementerque commendamus, velint pervigiles in magistros esse, Seminariorum in primis; repertosque erroribus modernistarum imbutos, novarum nocentiumque rerum studiosos, aut minus ad praescripta Sedis Apostolicae, utcumque edita, dociles, magisterio prorsus interdicant: a sacris item ordinibus adolescentes excludant, qui vel minimum dubitationis iniiciant doctrinas se consectari damnatas novitatesque maleficas.

Esempi di orari

I. — *Per i giorni di scuola.*

Ore
5 1/2 – Levata.
6 – Preghiere, meditazione e Messa.
7 – Studio.
7 3/4 – Colazione.
8 – Scuola.
10 – Ricreazione.
10 3/4 – Studio.
12 – Pranzo e Visita al SS̃mo (2).
13 1/2 – Studio.
14 1/4 – Scuola.
16 1/4 – Passeggio o ricreazione in casa (3).
17 1/2 – Lezione spirituale, Rosario, Novene ecc.
18 1/4 – Studio.
20 – Cena.
21 1/4 – Orazione della sera, esame e riposo.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 723.

(2) Si potrebbe portare il pranzo alle ore 13 e allora si prolungherà lo studio delle 10 3/4.

(3) Secondo le stagioni, si potrà anticipare in tutto o in parte lo studio della sera, mettendo in quell'ora il passeggio.

II. — *Per i giorni di scuola.*

Ore	
5 1/2	– Levata.
6	– Preghiera, meditazione e Messa.
7	– Studio.
7 1/4	– Colazione.
8	– Scuola (1).
10	– Ricreazione.
10 3/4	– Studio.
12	– Scuola.
14	– Pranzo e Visita al SSmo.
15 1/2	– Passeggio o ricreazione in casa (2).
16 3/4	– Lezione spirituale, Rosario, Novene ecc.
17 3/4	– Studio.
20	– Cena.
21 1/4	– Orazioni della sera, esame e riposo.

III. — *Per i giorni di festa.*

Ore	
5 1/2	– Levata.
6	– Preghiera, meditazione e Messa.
7	– Studio.
7 3/4	– Colazione.
8	– Ricreazione.
8 1/2	– Messa cantata e Conferenza.
10	– Canto gregoriano.
11	– Ricreazione e ricevimenti.
12	– Studio.
14	– Pranzo e Visita al SSmo.
15 1/2	– Passeggio o ricreazione in casa.
16 1/2	– Lezione spirituale, Rosario e Benedizione col SSmo Sacramento e Novene.
17 3/4	– Studio.
20	– Cena.
21 1/2	– Orazione della sera, esame e riposo.

---

(1) Se si stimasse opportuno posticipare di un' ora la scuola, lo studio delle 10 3/4 si porterà di seguito a quello delle 7.

(2) Nell' estate si potrà assegnare mezz' ora pel riposo, e in questo caso si toglierà mezz'ora dallo studio delle 17 3/4.

IV. — *Per i giorni di vacanza.*

Ore
5 $^1/_2$ – Levata.
6 – Preghiera, meditazione e Messa.
7 – Studio.
7 $^3/_4$ – Colazione.
8 – Ricreazione.
8 $^1/_2$ – Conferenza.
9 – Canto gregoriano.
10 – Ricreazione.
10 $^1/_2$ – Studio.
11 $^1/_2$ – Ricreazione e ricevimenti.
12 $^1/_2$ – Studio.
14 – Pranzo e Visita al SSmo.
Passeggio e il resto come nei giorni di scuola.

ABULEN.

TRANSITUS AD STRICTIOREM RELIGIONEM

Decernitur pro nunc non expedire transitum Carmelitarum Calceatarum Abulensium ad Discalceatas.

Factispecies. Abulae in Hispania extat monasterium SSmae Incarnationis vocatum, ubi degunt duodeviginti moniales Ordinis Carmelitarum Calceatarum, quae, quatuor dumtaxat exceptis, de Episcopi dioecesani venia consilium iniverunt amplectendi reformationem Carmelitarum Excalceatarum, ut exinde maiorem spiritualem perfectionem assequi valerent. In huiusmodi enim monasterio S. Theresia a Iesu solemnia vota emisit in religione Carmelitarum Calceatarum, ibique donis supernaturalibus collustrata per plures annos morata est, atque illuc rediit post peractam ab eadem in variis Hispaniae locis reformationem. Quapropter dictae moniales mense Septembri 1906 hanc S. C. EE. et RR. enixe rogarunt, « ut oratrices ad Ordinem Excalceatarum, servatis de iure servandis, transire possint et in hoc monasterio omnes

permanere, necnon ut coeterae quatuor religiosae, quae nolunt ad Ordinem Excalceatarum transire, permanere valeant in suo Ordine et in hoc monasterio sub regimine Priorissae Excalceatae ».

Hisce super precibus interrogati fuerunt Ordinarius loci et Procuratores generales utriusque Observantiae Carmeliticae.

Animadversiones. Episcopus Abulensis favorabilem se ostendit exhibitae petitioni, quia moniales in casu non semel a suo Ordine ad Excalceatas transire conatae sunt, ut possent ad maiorem animarum suarum perfectionem pervenire. Praeterea quaedam monialis Maria Iosepha a S. Corde Iesu nuncupata, reformationem Theresianarum in dioecesi Salamantina profitens, antequam solemnibus votis se obstringeret, monasterium Abulense Incarnationis donavit suis bonis ex haereditate habitis, dummodo praefatae religiosae ad Ordinem Discalceatarum transirent, ibique et ipsa reciperetur. Hoc sane modo, concludit idem Episcopus, communitas monialium Abulensium et necessarios sumptus sustinere et collabentem domum instaurare poterit. Adnotat tamen quod, quum iuxta constitutiones Carmelitarum Excalceatarum requirantur 25 religiosae pro unaquaque communitate, oporteret ut in monasterio Abulensi admitterentur quaedam aliae Discalceatae.

Item Procurator generalis Discalceatorum, quamvis aliquas difficultates in themate adesse non diffiteatur, preces monialium Abulensium exaudiendas esse sustinet, praeterquam rationibus superius memoratis, etiam ex eo quod secus monasterium SSmae Incarnationis materialiter et canonice destrueretur ob defectum redituum et religiosarum vocationum.

Ex adverso Procurator generalis Carmelitarum antiquae Observantiae instantiam in casu reiiciendam esse contendit. Siquidem quum in dicto monasterio disciplina regularis plene floreat, sufficiens non suppetit ratio modo amplectendi regulam reformatam, quam inibi S. Theresia, eiusdem monasterii

Priorissa, nunquam inducere voluit. Caeterum, subdit, si moniales Abulenses revera aliquam reformationem exoptant, acceptare possunt novas constitutiones nuper monialibus Calceatis in Hollandia confectas atque quamprimum adprobationi S. Sedis subiiciendas.

Dubium. *An et quomodo excipiendae sint preces exhibitae a Carmelitis Calceatis monasterii Incarnationis, dioecesis Abulensis in Hispania, amplectendi regulam Carmelitarum Excalceatarum in casu.*

Responsum. Emi Patres S. C. EE. et RR. in plenariis comitiis diei 18 Ianuarii 1907, rescripserunt:

Dilata et exquirantur plenissimae informationes ab Emo Archiepiscopo Toletano et ab Episcopo Malacitan., eiusdem transmittendo exemplar votorum utriusque Procuratoris generalis. Exquiratur insuper an adsit consensus monasterii Salamantin. pro transitu enunciatae sororis Mariae Iosephae a S. Corde Iesu in monasterium Abulen. (1).

---

(1) De iure communi transitus de uno ad alium Ordinem, etiam arctiorem, fieri nequit absque licentia superioris *ad quem*, atque petita licet non obtenta licentia superioris *a quo*. Hoc constat ex cap. *Licet 18, de Regul.*, praesertim vero ex decreto *Sacra* Urbani VIII quo statuitur ut nullus religiosus « permittatur ad arctiorem religionem transire nisi prius superiori legitime constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit ». Caeterum id congruit rationi, quum in casu habeatur quaedam excardinationis et incardinationis species. Praeterea pro transitu ad Ordinem laxiorem requiritur etiam beneplacitum Apostolicum ad tramitem Concilii Trid. *(sess. 25, cap. 19 de Regul.)*, quod mandat ut « nemo etiam regularis, cuiuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem religionem ». Item pro transitu ad Ordinem militarem vel hospitalarem vel ubi non viget disciplina regularis, ex Const. *Licet sacra* Benedicti XIII, necessaria est facultas S. Sedis. Quin imo eadem licentia requiritur ex praxi et stylo Curiae Romanae pro transitu ad Ordinem vel aequalis vel etiam strictioris observantiae. Cfr. Ferraris *(Bibl. can., verb.* Regulares, *art. 1, n. 61)*. De hoc fidem facit vel ipse Nervegna *(De iure practico Reg., pag. 210 et 215)*, qui 40 fere annis munere Officialis in S. C. EE. et RR. functus est, quique praeterea refert formulam, qua S. Congregatio nomine Pontificis precibus religiosorum, commendatis a superioribus utriusque Ordinis, benigne annuit pro gratia petiti transitus. At ratio a Nervegna invocata, quia nempe

Modo Episcopus Salamantinus refert, moniales omnes monasterii Salamantini, duabus tantum exceptis, consensum praebere pro huiusmodi transitu sororis Mariae Iosephae a Corde Iesu, conditione tamen adiecta, quod non sola sed tribus aut quatuor sororibus associatis transeat in monasterium Abulense ibique maneat.

Emus Archiepiscopus Toletanus fidem facit in omnium votis esse restaurationem monasterii Incarnationis, at nihilominus censet, fieri non posse ut postulantes illuc undique confluant, quum puellae recentiora Instituta votorum simplicium ut plurium ingredi malint. Supposito praeterea in petentibus maioris perfectionis studio, commendabilem solutionem retinet, si quatuor moniales de quibus in precibus ad aliud monasterium transferentur.

Denique Episcopus Malacitanus rem sub triplici aspectu, nempe mystico seu historico, monastico et oeconomico perpendit. Primo sub aspectu nihil immutandum esse credit, quippe monasterium Incarnationis tali historiae et asceseos splendore ob mirabilia facta Virginis Abulensis illustratur, ut sane in obscuriorem et strictiorem formam, iuxta Discalceationis ritualia redactum, plurimum imminueretur. Neque res urget sub aspectu monastico, seu maioris perfectionis; nam, quum in monasterio Incarnationis disciplina regularis adhuc vigeat, ibidem non est consulenda reformatio, quam

---

in themate ageretur de iure tertii quaesito dispensando, non videtur facere ad rem, nec eam approbare videtur Vermeersch (de *Religiosis*, tom. 1, n. 320, nota 1). Potius vera ratio inductae praxis traditur a Reiffenstuel *(lib. 3, tit. 31, n. 260)*: « Hodie fere omnes Religiones, paucis exceptis, habent privilegia, vi quorum prohibetur eorum professis, ne absque speciali licentia Papae ad aliam religionem transeant ». Altera ratio, licet secundaria, indigitatur ab Aichner *(Comp. iur. eccl., § 139, n. 3)* hisce verbis: « Ob multiplices tamen prolixitates et controversias, quae quoad eiusmodi transitum enasci possunt, e. g. utrum institutum quoddam laxioris an arctioris sit observantiae, ex hodierna praxi ad tribunalia Sedis Apostolicae recurrere possunt et solent, qui ad ordinem strictiorem transire cupiunt ». Insuper ad Sanctam Sedem dumtaxat pertinet iudicare, utrum superior *a quo* iusta de causa vel iniuste proprium consensum deneget *(N. R.)*.

ipsa reformatrix non induxit. Sub aspectu demum oeconomico idem Episcopus concedit moniales Abulenses paupertate premi, sed quoad domum materialem nihil edicere valet.

Rescriptum. In generalibus autem coetibus diei 7 Iunii 1907 proposito superius dubio Emi Patres responderunt: *Pro nunc non expedire* (1).

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PARISIEN.

BANNORUM MATRIMONII

Conceditur indultum pro denuntiationibus scriptis matrimoniorum faciendis in dioecesi Parisiensi.

Postulatum. Emus Archiepiscopus nuper defunctus sequentia sub die 4 Nov. 1907 huic S. C. exposuit: « In iis civitatis dioecesisque Parisiensis parochiis, quae numerosissimos incolas habent, plurimae sunt, qualibet die dominica vel

(1) In casu notandum est quod moniales Carmelitae Abulenses nedum ipsas ad regulam Theresianarum transire, verum etiam secum ferre propria bona ac monasterium exposcerunt. Iamvero est iuris principium quod quidquid regularis acquirit, non sibi sed Ordini acquirit, ex *can. 7, caus. 19, quaest. 3,* quia post professionem votorum solemnium personalitas iuridica Regularium sustinetur in personalitate iuridica monasterii seu Ordinis. Cfr. Piat *(Prael. iur. reg., tom. 1, n. 202)* aliique ab eo citati. Idcirco bona ante transitum alicui religioso delata remanere debent penes monasterium *a quo* ipse transit, nam huic per professionem inibi editam quaesita sunt absolute et sine transitus futuri conditione. Cfr. De Luca *(De Regul., disc. 39)*, et Nervegna *(loc. cit., pag. 213)*, qui tamen addit: « Nisi S. Congregatio sit a partibus ad iudicandum adita et pro tribunali, respondere consuescit, ut superiores utriusque Ordinis de intelligentia et consensu adsistentium generalium, rem inter se componant ». Id autem in casu maiorem difficultatem praesefert, quia agitur de integro monasterio cum suis bonis de una ad aliam religionem transferendo *(N. R.)*.

festiva de praecepto, futurorum matrimoniorum publicae denunciationes seu proclamationes in missa parochiali, ad normam Concilii Tridentini cap. *Tametsi, sess. 24 de reform. matr.* Cum porro haec denunciationum recitatio, prae magno numero matrimoniorum, per nimium tempus protrahatur, fideles, qui sacro intersunt et publicata nomina saepissime ignorant, taedio afficiuntur, vix capiunt quid legatur; imo, quod gravius est, avertuntur ne huic missae parochiali intersint, et sacrum ipsum praedicationis officium valde praepeditur. Animadvertit autem praefatus Archiepiscopus orator finem legis Tridentinae multo melius, tutius et plenius attingi posse, si, in his parochiis numerosissimis, parochi, omissis illis oretenus factis matrimoniorum denunciationibus, in loco ecclesiae conspicuo scriptas schedulas affigi curent futura matrimonia continentes; quae schedulae affixae remaneant tota die dominica. Tunc enim omnes fideles praefatas scripturas, et quidem commodissime, legere poterunt, et futura matrimonia cognoscere. Unde enixe rogat Archiepiscopus orator Sanctitatem Vestram, ut sibi indultum concedere dignetur, vi cuius deinceps liceat, in parochiis suae dioecesis quae continent decem millia parochianorum vel amplius, praefatae legi Tridentinae satisfacere, affigendo in loco ecclesiae conspicuo, per tres dies dominicas vel festivas continuas, scriptas schedulas futura matrimonia exhibentes, quae schedulae per totam diem, a prima missa matutina, usque ad ultimum liturgicum officium vespertinum, affixae remaneant ».

Animadversiones ex officio. Ex duabus causis exposcitur ut publicatio oralis matrimoniorum contrahendorum subrogetur per denuntiationem scriptam affigendo ad valvas ecclesiae parochialis schedas scriptas nominum contrahentium; quae causae sunt: 1) magnus matrimoniorum numerus, unde fideles non facile recordantur audita nomina; 2) nimium tempus pro hisce publicationibus faciendis, unde taedio affecti ab interventu missae paroeciali, et sacrae in ea concioni aver-

tuntur. Profecto quoad formam denunciationum matrimonii celebrationi praemittendarum a Conc. Trid. *(loc. cit.)* haec stricte praecipiuntur: « Sancta Synodus sacri Lateranensis Concilii sub Innoc. III celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur a proprio parocho, tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia, publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum ». Uti ex recitato textu per se patet, forma taxative a Conc. Trid. praescripta pro denuntiationibus est, quod fiant viva voce intra missam.

Atqui rationes adductae pro nova forma publicationis in scripto facienda non satis fundatae videntur. Nam si fideles fastidiunt audire longam nominum eorum inter quos erit matrimonium contrahendum recitationem, facilius omittent perlegere vel percipere ea nomina indicata in schedis ad valvas ecclesiae affixis. Hinc finis a Concilio Trid. intentus nempe impedimentorum detectio potiori ratione frustrabitur. Insuper haec nova expostulata forma redoleret quamdam imitationem laicae potestatis in publicatione matrimoniorum ritu civili celebrandorum: et ex responso S. C. Inquisitionis ad Vicarium Apostolicum Iamaicae sub die 12 Maii 1882 habetur, proclamationes a Iure Tridentino praescriptas suppleri non posse per denuntiationes a magistratu civili ad celebrationem matrimonii civilis factas.

Caeterum derogatio formae Tridentinae non videtur necessaria, sed melius expediret ut nomina iam oraliter publicata inter missarum solemnia, iterum denuntientur per schedarum affixionem. Porro tradit Wernz *(de iure matr., tit. 3, not. 28)*: Episcopos non prohiberi quominus praeter consuetas proclamationes possint etiam affixionem scriptam ad valvas ecclesiae paroecialis praescribere: ita in concilio Prov. Neapolitano an. 1669 *tit. 3, cap. 9 de sacr. matr.* habetur: « Ab ipsis parochis matrimonium contrahendum proclametur et nomina denunciatorum in valvis ecclesiae affigentur »: ita in Concil.

Prov. Neogranatensi an. 1868 *tit. IV, cap. II* edicitur: « Si parochi duas vel plures paroecias administrent, denunciationes faciant in illa in qua die dominica vel festo missam celebrant, figant tamen denunciationes ipsas in valvis paroecialis ecclesiae in qua contrahentes domicilium habent, per tres dies festos non interruptos ». Cum itaque Episcopi iubere valeant ut factae a parochis oretenus denuntiationes inter missarum solemnia, renovari valeant affigendo ad valvas ecclesiae nomina iam denunciatorum, petita in casu dispensatio non videtur necessaria et opportuna, cum per hoc duplex publicationum genus legis scopus tutius obtineatur.

Neque magni ponderis videtur alia allata ratio, quod nempe per huiusmodi orales publicationes, fideles avertantur ab assistentia missae paroeciali et concioni: siquidem huiusmodi publicatio seu recitatio personarum matrimonium contrahere volentium non semper eadem erit, sed modo longa modo brevior iuxta diversa tempora et circumstantias. Aliunde etiam Romae, sicuti in aliis magnis civitatibus extant paroeciae valde numerosae: et parochi vel Episcopi nunquam has querelas moverunt.

Ex adverso preces Emi Archiepiscopi videntur benigno favore esse excipiendae. Quamvis enim lex Tridentina taxative praescribat ut denuntiationes fiant diebus festis in ecclesia parochiali et inter missarum solemnia, tamen praecipuus huius legis finis est inspiciendus nempe detectio impedimentorum, nam, uti edicitur in can. *Humanae aures, caus. 24, quaest. 5* Decreti Gratiani, « non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem, quia intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni ». Hinc in proclamationibus faciendis ea teneri debet forma, quae eorum fini respondeat.

Ita, licet ex Trid. Conc. textu denuntiationes fieri debeant intra missam, tamen iuxta resolutionem huius S. C. in una *Lunen.-Sarzanen.* 16 Aug. 1828 declaratum fuit, eas fieri quoque posse in alio tempore, quo populi concursus es-

set frequentior, nempe tempore cantus vesperarum diebus festivis. Nam, uti advertitur in folio citatae causae § *Canonici contendunt*, « saluberrimae legis a Conc. Trid. praescriptae scopus ac finis non alius certe fuit (quemadmodum scribit haec S. C. in *Brunen.* diei 17 Iunii 1780 relata in *Tudertina – Denunciationum* 19 Aprilis 1823) nisi ut in populi frequentia ineunda matrimonia denuncientur, quo facilius, si quae fuerint impedimenta detegantur ».

Item iuxta Tridentinam formam publicationes fieri debent in ecclesia parochiali: at S. Alphonsus *(theol. mor., lib. 6, n. 991)* cum aliis doctoribus ait probabile esse quod fieri possint etiam extra ecclesiam occasione alicuius sacrae functionis in loco magni concursus, saltem sine mortali et, si adsit aliqua causa, sine ulla culpa. Idem tenet Sanchez *(De sacr. matr., lib. 3, disput. 6, n. 9)*: « Quinto Tridentinum iubet denunciationes diebus festivis et in ecclesia inter missarum solemnia faciendas esse: at idem credo esse, si extra ecclesiam in locis competentibus, uti in praedicationibus magna populi copia confluente, fierent.... Nam finis decreti Tridentini dum petit in ecclesia et diebus festivis, inter missarum solemnia denunciationes fieri, est ut ad multorum notitiam matrimonium perveniat, quo facilius impedimenta detegantur: diebus enim festivis inter missarum solemnia ingens hominum copia solet confluere in ecclesiam. Cum ergo sufficientissime huic fini satisfiat, quando in locis publicis, ubi maior est populi concursus, fierent, satis erit ».

Ex hucusque itaque enucleatis liquido apparet, quod forma a Tridentino inducta circa denunciationes faciendas non debet materialiter seu literaliter accipi, sed subordinate ad finem intentum iuxta ea quae tradit lex *ib. ff. de legib.*: « Leges scire non est earum verba tenere, sed vim et potestatem ». Verum, ut exponit Emus Archiepiscopus, forma publicationis oralis inter missarum solemnia matrimoniorum ineundorum in paroeciis Parisiensibus ultra 10 millia incolarum frequen-

tioribus amplius suum finem non consequitur. Ergo congruum est ut de ea amplius ratio non habeatur, sed potius alia inducatur vel substituatur. Cum autem nova forma proposita nempe forma publicationis per schedas affigendas ad valvas ecclesiae in diebus festivis, quibus magnus concursus fidelium ad ecclesiam paroecialem fieri consuescit, ex eiusdem Emi Archiepiscopi testimonio sufficienter respondeat fini a Conc. Trid. intento in denuntiationibus matrimonialibus iubendis, hinc ea videtur approbanda.

Decisio. Emi Patres S. C. Concilii, in plenariis conventibus diei 28 Martii 1908, respondendum duxerunt: *Pro gratia iuxta petita, facto verbo cum SSmo* (1).

ROMANA ET ALIARUM

DUBIORUM

Circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

In plenariis comitiis ab hac S. C. habitis die 1 Februarii 1908 proposita fuerunt, inter alia, dirimenda duodecim dubia decretum *Ne temere* respicientia (2). Resolutiones autem et declarationes ab Emis Patribus editas, in audientia

(1) Concilium Tridentinum, inspectis illius aetatis conditionibus, statuit ut proclamationes matrimoniales fierent in ecclesia parochiali inter missarum solemnia. At progressu temporis proclamationes huiusmodi, Ecclesia consentiente, licite fieri consueverunt etiam extra paroeciam et extra Missam parochialem. Hodie insuper Emi Patres, attentis expositis, indultum concedunt pro dioecesi Parisiensi, peragendi nempe denuntiationes matrimoniorum per schedulas scriptas in loco ecclesiae conspicuo affigendas, ex quo omnes nomina nubendorum facile inspicere valeant. Haec forma imprimis congruit hodiernis temporibus, in quibus quum fere omnes, praesertim in magnis urbibus, legere sciant, finis a Conc. Tridentino intentus saltem pari ratione obtinetur. Praeterea, iuxta praxim adhuc vigentem, acta ecclesiastica generatim promulgantur per eorumdem affixionem ad valvas Curiae vel ecclesiarum *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 41, pag. 108.

diei 4 eiusdem mensis Februarii Emo Card. Praefecto concessa, SSmus Dominus Noster ratas habere et confirmare benigne dignatus est easque vulgari mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Interim quum ad tertium propositum dubium, nempe: ***utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto*** Ne temere ***statuta;*** responsum prodierit: ***Dilata et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales;*** huiusmodi votum a duobus Consultoribus expostulatum fuit, et tertium additum super aliis eadem in materia dubiis ad hanc S. C. oblatis.

VOTUM I.

Emi et Rmi Patres,

In plenariis comitiis a S. C. Concilii habitis die 1 Februarii 1908, inter proposita dubia dirimenda erat tertium, quod sic se habet: *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto* Ne temere *statuta;* ad quod Emi Patres responderunt: *Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales.*

Cum mihi demandatum sit munus votum conscribendi hac de re, qua potero brevitate, id faciam.

Primo quidem dicendum est de legibus hac de re vigentibus apud Orientales.

Si quaeramus leges apud orientales acatholicos haec certa videntur: Orientales ministrum sacramenti matrimonii sacerdotem esse tenent; matrimonia inita absque publicis caeremoniis ab Ecclesia pro eorumdem celebratione praescriptis invalida esse. Praeterea, odio erga Ecclesiam latinam ducti, matrimonium a sacerdote latino benedictum, si una pars contrahentium sit acatholica, invalidum habent; quod quidem nihil mirum est, cum etiam baptismum latinorum ut invalidum considerent. In Imperio Russiaco, quamvis baptismus latinorum agnoscatur a gubernio, tamen si una pars contrahentium orthodoxae sit religionis, matrimonium a sacerdote latino benedictum pro invalido habetur. In Im-

perio Austriaco gubernium imposuerat acatholicis dispositiones Concilii Tridentini, scilicet ut matrimonium contrahatur praesente parocho et duobus testibus, quod unice ut validum agnoscitur a gubernio, et eo ipso etiam ab Ecclesia orthodoxa, quae ubique serviliter sequitur gubernium.

Penes orientales catholicos, quidquid sit de eo, an ius orientale agnoscat ut validum matrimonium contractum absque benedictione sacerdotali (Vide *Enchiridion iuris ecclesiae orientalis catholicae,* auctore Iosepho Papp-Szilagyi, Magni Varadini 1862, p. 413, 464, 465), *numquam* matrimonium absque sacerdote contrahitur, et si tale quid accidisset, matrimonium validum forsitan ab aliquibus sacerdotibus catholicis, qui instructionem theologicam ex libris catholicis in Occidente editis hauserunt, et a missionariis latinis edocti sunt, at ab aliis sacerdotibus et ab universis fidelibus invalidum certe haberetur. Non requiritur tamen penes Orientales ut sacerdos sit parochus, imo saltem penes Armenos et Graeco-Melchitas, cum non semel accidat, catholicos, renuente sacerdote catholico eos matrimonio iungere, sacerdotem acatholicum adire, matrimonium ab eo benedictum validum habetur, nisi forte sacerdos acatholicus ab ipsa propria ecclesiastica auctoritate suspensus fuerit; Chaldaei tale matrimonium ut invalidum habent. Testes nulli requiruntur ad validitatem matrimonii. Talis praxis et talis modus sentiendi est penes catholicos Rumenos, Armenos, Graeco-Melchitas, Syro-Chaldaeos. Alicubi tamen in Oriente dispositiones Synodi Tridentinae introductae sunt, ut apud Italo-Graecos, apud Ruthenos in Austriaco Imperio, apud Syros et Maronitas in Imperio Turcorum et apud Syros in Indiis Orientalibus.

His praemissis ad quaesitum: *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto* Ne temere *statuta;* supposito quod decretum illud non abolevit privilegium quo sponsus exemptus a lege ecclesiastica alteri sponso exemptionem communicat (1), respondendum puto: *affirmative,* si sacerdos catholicus non suspensus matrimonio assistat, etiamsi non sit parochus, et quantum ad illos Orientales, apud quos dispositiones Synodi Tridentinae introductae sunt, si observetur decretum illius Synodi. Si vero privilegium illud communicationis exemptionis abolitum esset, matrimonia contracta a catholicis ritus latini cum catholicis ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta, nulla essent, nisi contracta cum Orientalibus apud quos decretum Synodi Triden-

(1) Sed haec praecise videtur esse quaestio: utrum nempe, attentis praesertim legibus apud Orientales vigentibus, privilegium communicationis exemptionis in casu censendum sit abolitum nec ne *(N. R.).*

tinae viget; nam, qui iuxta decretum Synodi Tridentinae matrimonium contraheret, satisfaceret formae a decreto *Ne temere* statutae (1).

Quam meam sententiam humiliter sapientiae EE. VV. submitto et S. Purpuram deosculor.

Romae, die 10 Martii 1908.

PAULUS SMOLIKOWSKI C. R., *Consultor*.

VOTUM II.

Emi et Rmi Patres,

1. Cum mihi valde quidem imperito demandatum sit munus pandendi EE. VV. quid sentiam relate ad quaestionem quae in praesenti agitatur: utrum nempe validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta; nonnulla praemittenda censeo quae ad quaestionem dilucidandam inserviant, et quidem:

1°. Quid in genere Orientales sive catholici sive acatholici sentiant de matrimoniis, quae nos latini clandestina dicimus;

2°. Quaenam in specie statuta sint, in materia de qua agimus, apud singulas nationes orientales catholicas;

3°. Nonnulla principia circa mutuam diversorum rituum relationem, a S. Congregatione de Propaganda Fide pro Negotiis Rituum Orientalium in praxim admissa.

I. – DE MATRIMONIO CLANDESTINO AC DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII APUD ORIENTALES.

2. Cum hae duae quaestiones in Ecclesiae Orientalis disciplina intimam connexionem habeant, de his una simul aliquid dicendum esse puto.

Clariss. Papp-Szylagyi in suo *Enchiridion iuris ecclesiae orientalis catholicae, a propriis fontibus constructum* (Magni Varadini a. 1862) part. 2, sess. 2, c. 2. § 88, p. 411 haec habet: « Ministrum sacramenti matrimonii, prout reliquorum Sacramentorum, *Orientales sacerdotem esse tenent* ».

Hinc « ut matrimonium validum sit, debet a sacerdote concernente secundum ritum ab Ecclesia praescriptum benedici; matrimonia vero a sacerdote non benedicta pro nullis habentur », prouti asseruerunt Episcopi graeci provinciae ecclesiasticae Alba-Iuliensis in relatione circa

(1) Haec tamen exceptio non videtur admittenda, uti ex infra dicendis patebit *(N. R.)*.

disciplinae ecclesiae graecae capita praecipua die 15 Aprilis a. 1856 S. Congregationi Negotiis Extraordinariis propositae exhibita. Hanc sententiam confirmavit a. 1863 Episcopus Lugosiensis, ad S. Congr. de Propaganda Fide pro negotiis R. O. scribens: « Cum iuxta Ecclesiae Orientalis doctrinam, minister sacramenti matrimonii sit sacerdos legitime copulans, ideo matrimonia absque praesentia parochi et duorum testium contracta ut invalida tenentur ».

3. Quidquid de hac sententia theologice sentiendum sit, alius videat (1). Quo autem innitatur fundamento in iure canonico Ecclesiae Orientalis iam expressit S. Congregatio de Propaganda Fide in Instructione *de matrimoniis mixtis* ad Archiepiscopum Fogarasiensem et Episcopos eius suffraganeos graeci ritus uniti, die 28 Iunii 1858 emanata his verbis: « Notum profecto est... Ecclesiam (Orientalem) non minus quam occidentalem inde ab origine christiani nominis in celebrandis fidelium nuptiis, utpote novae legis sacramento, sacros ritus, sacerdotumque benedictiones adhibuisse, simulque omnibus severissime interdixisse, ne illis praetermissis seu neglectis coniugale foedus conciliare auderent. Quod autem matrimonia contra hunc communem Ecclesiae usum inita non solum pro illicitis, sed etiam pro irritis habenda fuerint, ex ecclesiasticis Orientis documentis demonstrare nequit. Equidem nullum cognovimus antiqui eiusdem Ecclesiae Patris effatum, nullum Conciliorum canonem quo illud expressis ac indubiis verbis declaratum fuisse appareat... Hinc persuasio illa de sacerdotalis benedictionis necessitate posterioribus temporibus orta esse videtur: quod nec difficulter explicari potest. Constat enim Leonem Philosophum Imperatorem nono saeculo legem tulisse (inter Novellas 89) cuius titulus est: *Ne matrimonia citra sacram benedictionem firma habeantur,* et in qua iussit eadem *sacrae benedictionis testimonio confirmari.* Viri autem docti demonstrant, mutatis illo tempore tum publicis tum privatis imperii conditionibus actus illos legitimos, quibus ex iuris civilis praescripto nuptias, ut iustae legitimaeque evaderent, conciliari oportebat, aut in desuetudinem abiisse,

(1) Haec opinio, quae etiam tempore Benedicti XIV *(De syn. dioec., lib. 8, cap. 13, n. 4)* habebatur uti valde probabilis, hodie, post plurimas S. Sedis declarationes, omnem amisit probabilitatem. Nam theologice omnino certum est, ministros sacramenti matrimonii esse ipsos contrahentes, quippe ministros contractus qui pro christianis est una simul sacramentum. Parochus autem vel alius sacerdos assistens, iuxta Conc. Trid. *(sess. 24, cap. 1, de reform. matr.)* nonnisi testis auctorizabilis de inito coniugio dici potest. Cfr. Benedictus XIV *loc. cit., et lib. 13, cap. 22, n. 67,* nec non Gasparri, *de matr., vol. 1, n. 32 (N. R.).*

aut amplius non suffecisse ut in singulis connubiis cognoscerentur ea ad legum normam pro legitimis haberi posse. Hinc ratus est Imperator sacras caeremonias ab Ecclesia in celebrandis nuptiis adhiberi solitas praebere certissimum documentum, quo maritalis ille honor et affectio atque legitimus in unionem coniugalem consensus, qui ad vera et legitima matrimonia requiritur, cognosci et probari posset. Huiusmodi vero Leonis Imperatoris sanctio, utpote a civili potestate lata nec ecclesiasticas leges mutare neque dirimens matrimonii impedimentum inducere potuit. Tota ipsius vis ad civiles tantummodo matrimonii effectus referenda erat. Attamen plurimi Orientales, qui tum canones tum Imperatorum leges collegerunt atque interpretati sunt, eamdem sanctionem seu legem sicut et aliam posteriorem ab Alexio Comneno (1) publicatam, in suas collectiones retulerunt. Minime autem mirandum est, quod ipsa sanctio seu lex ad sacramentalem etiam matrimonii naturam, deinceps fuerit applicata, cum neminem, qui ecclesiastici iuris historiam apud Graecos noverit, lateat, imperatoriis sanctionibus in Orientali Ecclesia, maxime postquam diro schismate ab unitate avulsa fuit, parem imo et maiorem quam sacris canonibus attributam fuisse auctoritatem. Hinc sententia quae matrimonia absque sacerdotis benedictione inita pro invalidis habet, in hominum animis eo facilius praevaluit, quo magis illorum intererat, ut nuptiae eo modo celebrarentur, qui ad consequendos civiles eorumdem effectus omnino requireretur ».

4. Ad haec autem quae ex Instructione S. Congr. de Propaganda Fide hausimus, animadvertendum esse duco, iam ante Leonis Philosophi tempora, Graecos pro nullis habuisse nuptias absque sacerdotali benedictione celebratas. Et sane praeclarum de re testimonium habemus S. Nicephori qui fuit Patriarcha Constantinopolitanus ab a. 806 ad a. 815. Is enim in suis *Syntagmis* quorum vel minima pars adhuc extat, proponit hanc questionem sub n. 199: « Famulos et famulas ab eorum dominis matrimonio iunctos sine sacerdotis benedictione, an iuris est recipere in liturgiae oblationem et communionem? ». Et ita respondet: « *Coniunctio sine sacerdotali benedictione est fornicatio,* sive servus sive liber sit; et sicut minime ad oblationem donorum, ita neque etiam in Dei domum fornicarii recipiuntur. Iubet autem divinus Apostolus ne minima quidem coena eorum utendum esse, neque cum eis commisceri » (2).

(1) Alexii Comneni (a. 1118) pariter duo habentur edicta quae neque *sponsalia* sine benedictione sacerdotali rata validaque esse testantur.

(2) Cfr. Pitra, Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta, t. 2, p. 346. S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, teste cl. Card. Angelo

5. Disciplinam vero Graecorum transmeasse ad caeteros Orientales patet ex sequentibus testimoniis:

Copti: Echmini, celeberrimus canonista qui floruit saec. XII: « Ille qui mulierem assumit, quin oratio praecesserit, eidem poenitentiae ac fornicatores submittetur, eamque ipse et mulier suscipient, postquam oratio super ipsos fuerit facta, eritque convenientius, ut ad tempus separentur. *Non debet enim fornicatio pro matrimonio reputari, neque unquam talis debet censeri* ».

Ebnassal, canonum collector (saec. XIII): « Celebrari nequit matrimonium et perfectum non est, nisi per praesentiam sacerdotis, per orationem, quam super contrahentes pronunciat, et per oblationem sacrae Eucharistiae, quae pro ipsis fit eodem tempore, quo coronantur; et per hunc ritum duo in unum corpus uniuntur, vel in unam carnem, ut ait Dominus. Quodsi conditiones istae non concurrant, *coniunctio ista pro matrimonio non reputatur*: nam oratio licitum reddit viris usum mulierum et mulieribus virorum ».

Abulbircat (saec. XIV): « Non potest contrahi matrimonium, et *nullum est, si in praesentia sacerdotis non celebretur,* qui preces super sponsos pronuntiet, iisque communionem S. Eucharistiae impertiatur, tempore coronationis, qua copulantur fiuntque unum corpus. Si aliter egerint, id eorum respectu pro matrimonio non reputabitur; nam oratio licitum reddit viris usum mulierum et virorum mulieribus ».

Syri Iacobitae: Barhebraeus (saec. XIII) in Nomocanone desponsationem absque sacerdote fieri non posse ait.

Ebedjesu Sobensis (saec. XIII) in Epitome canonum statuta describit in quibus sponsalia aeque ac matrimonia, quae praeter christianum ritum absque presbytero et testibus celebrantur, irrita et nulla declarat.

Syri Nestoriani: Timotheus II nestorianorum patriarcha (saec XIV) in libro de 7 causis sacramentorum, quaestionem instituens « de iis sine

---

Mai, doctrinae pietatisque dotibus cunctos byzantinos post Chrysostomum praesules superavit. Eiusdem scripta, nunc deperdita, cognita erant praecipuis graecis scriptoribus qui ultro citroque innumera ex eius libris loca sibi in suis scriptis mutuarunt; leges vero quas ipse tradidit singulari cum reverentia omnes graeci iuris magistri receperunt et laudarunt; eas novit Zonaras, Balsamon, Matthaeus Blastares, Harmenopolus, Nicon, Malaxus et inter recentiores Spiridion Melia ac Pedalii editores. Testimonium allatum excerptum est ex superextantibus syntagmis quae Nicephorus collegerat « ex ipsius et sanctorum cum eo Patrum ecclesiasticis constitutionibus de variis argumentis » ubi suas cum canonicis veterum patrum literis videtur coniunxisse. Cfr. Pitra, l. c., pag. 314.

quibus desponsatio non perficitur », haec enumerat quae eo referenda sunt: sacerdos et calix ex vino et aqua mistus et crux et annulus et pulvis (1).

6. Quod autem etiam hodiedum Ecclesia orientalis teneat necessariam esse parochi vel sacerdotis praesentiam ad matrimonii validitatem confirmatur a clarissimo Nicolao Milas, Episcopo graeco orthodoxo Iadrensi (Zara) apud Dalmatas qui in recentissimo suo opere circa *Ius ecclesiasticum Ecclesiae catholicae orthodoxae* (cuius tamen prae manibus habui tantummodo versionem in graeca lingua a Meletio Apostolopoulos factam a. 1906) scribit tria concurrere debere ad matrimonii validitatem (2) sc.: *a*) mutuum consensum sponsorum vitam communem instituendi; *b*) manifestationem huius consensus per solemnem promissionem in ecclesia *coram sacerdote* faciendam; *c*) confirmationem huius promissionis *per benedictionem* ab ipso sacerdote impertiendam (part. 4, § 179, p. 825-826). Et alio loco scribit: « all'infuori del matrimonio benedetto *coram Ecclesia* (ἐκκλησιαστικῶς εὐλογηθείς γάμος) nessun altro modo di compiere il matrimonio è considerato come legittimo dalla Chiesa orientale, sia pure che siano state osservate tutte le altre condizioni e che non vi sia nessun altro impedimento » (§ 186, p. 849). Ex hoc Ecclesia graeca nullum omnino tenet matrimonium civile christianorum (ibid., pag. 849).

7. Si vero ea quae diximus coniungantur cum illa prava animi dispositione qua schismatici orientales insectantur Ecclesiam latinam, facile explicantur ea quae R. P. D. Delegatus Apostolicus Aegypti scripserat in dubiis H. S. C. iam propositis: « I greci scismatici segnatamente gli Elleni talmente disprezzano ed hanno a vile il matrimonio celebrato da qualsivoglia ministro cattolico e particolarmente latino, da considerarlo invalido e di nessun valore (3). Anzi il governo di Grecia non riconosce per legittimo che il matrimonio religioso celebrato avanti al ministro greco. E non vi è mai il caso che si approvi il matrimonio misto di Greci con qualsivoglia altro di rito cattolico e particolarmente latino, se non intervenga il sacerdote greco scismatico quale ministro ».

8. Imo iuxta vulgatam apud Orientales sive unitos sive schisma-

---

(1) Cfr. Denzinger, *Ritus Orientalium,* etc. t. 1, pag. 150. Wircerburgi 1863.

(2) ΜΙΛΑΣ. Τὸ ἐκκλησιαστικὸν δίκαιον τῆς ὀρθοδόξου ἀνατολικῆς ἐκκλησίας. — Athenis. D. Sakellarios, a. 1896, pag. 1066.

(3) Ex quo patet Graecos non admittere principium individuitatis contractus, per quod validum ante decretum *Ne temere* erat matrimonium contractum a catholico cum acatholica et viceversa coram ministro haeretico vel schismatico.

ticos opinionem benedictio parochi proprii tantummodo ad liceitatem non vero ad validitatem matrimonii est necessaria: nam apud omnes fere receptum est ad validam matrimonii celebrationem benedictionem cuiusque sacerdotis sufficere. Huius rei praeclarum testimonium attulit cl. Antonius Mussabini Archiep. Smyrnensis qui praxim vigentem per Orientem tum apud schismaticos et haereticos tum apud catholicos orientales ita retulit. Quoad schismaticos: « Giusta la disciplina e la pratica della Chiesa orientale, basta per la validità del matrimonio la presenza e la benedizione nuziale di un ecclesiastico qualunque anche non parroco, purchè sia insignito del carattere sacerdotale... Qui in levante i scismatici e gli eretici orientali, i quali non hanno a rigore altro pastore che il proprio vescovo, fanno benedire i loro matrimoni da qualunque sacerdote del loro rito, e così pure tutti i matrimoni misti che accadono, si fanno avanti dei semplici sacerdoti non aventi ufficio parrocchiale ma solo carattere sacerdotale, in cui la Chiesa orientale fa consistere tutta la validità del matrimonio » (1). Quoad unitos: « La prassi che vige tra gli Orientali di Smirne circa il sacramento del matrimonio è quella stessa che ha invalso sempre nelle Chiese dell' Oriente. Vale a dire che fanno dipendere la validità di questo sacramento non dalla presenza del parroco e dei testimoni come si usa presso gli Occidentali, ma unicamente dalla presenza e benedizione di ogni e qualunque sacerdote del loro rito, purchè sia insignito del carattere sacerdotale; nè importa che il sacerdote sia scismatico ed i sposi ambedue cattolici, poichè il carattere sacerdotale dal quale gli Orientali fanno dipendere la validità del matrimonio esiste non meno nel sacerdote scismatico che nel sacerdote cattolico » (2).

9. Non tamen desunt apud Orientales qui teneant benedictionem sacerdotalem tantummodo ad liceitatem non vero ad validitatem matrimonii esse necessariam. Inter hos eminet cl. Papp-Szylagyi, qui in memorato Enchiridion, eodem loco, § 118, haec relate ad clandestinitatem nuptiarum scribit: « Cum Constitutio Principis laici (Leonis Philosophi) non potuerit validitatem matrimonii quoad forum conscientiae infringere, manifestum est, ex ea impedimentum dirimens clandestinitatis, nullo desuper existente antea Ecclesiae universalis decreto, derivari non posse... Quod Ecclesiam orientalem adtinet, probe distinguenda est clandestineitas antiqui iuris, a clandestineitate per Concilium Tridentinum inducta, certumque est, ius orientale non agnoscere nisi clandestineitatem veteris

(1) Lettera alla S. C. di Prop. Fide del 18 Maggio 1847.

(2) » » » » » 19 Maggio 1859.

iuris, videlicet prohibitionem contrahendi matrimonium absque publicis caeremoniis ab Ecclesia pro eiusdem celebratione praescriptis (1), quae quidem necessariae sunt ut matrimonii celebratio licita evadat et non prohibita; utrum vero benedictio aut coronatio necessaria sit ad matrimonii validitatem decisum ac definitum non fuit ab Ecclesia ».

II. – De impedimento clandestinitatis apud singulas nationes orientales catholicas

10. Exordimur ab Ecclesiis orientalibus in Europa sitis et praesertim in Austro-Hungarico Imperio, quae influxum Ecclesiae latinae et iuris canonici eiusdem maxime persenserunt, ita ut in pluribus a disciplina Ecclesiae orientalis valde discordent.

A) – *Graeci-Rutheni.*

11. Apud Ruthenos vulgatum non fuerat decretum *Tametsi*, neque ex consuetudine observabatur in universa eorum provincia. Tamen ad praecavenda mala quae ex matrimoniis clandestinis proveniebant, Synodus Provincialis Cobrinensis a. 1626, nulla in posterum declaravit matrimonia absque praesentia parochi et testium contracta. Sed S. Congr. Concilii et deinde S. Congr. de Propaganda Fide nullius valoris esse

(1) Clandestinae nuptiae in disciplina Ecclesiae orientalis illae potius esse videntur quae benedicuntur quidem a sacerdote, sed absque testimoniis et contradicentibus parentibus. Sane in Nomocanone haec leguntur: « Can. 325: Si cuiuspiam filius uxorem duxerit *absque consilio parentum suorum, sacerdotes qui eas benedixerint deponantur.* Illorum oblatio in missa non offeratur; poena triennii afficiantur, centumque inclinationum. Can. 326: Sin autem clandestinae nuptiae ex necessitate factae fuerint benedictio non denegetur, ac poena moechorum plectantur. Can. 327: Illi enim habent Adae maledictum qui non obtemperaverit sermoni Domini; atque liberi eorum versantur in iniquitate; illi non obsequuntur voluntati parentum suorum ». Abulbircat Coptus: « Matrimonium annunciari et proclamari debet antequam celebretur, quia *SS. Canones prohibent aliquem coronari clandestine sed id praesentibus testibus fieri debet* ». Gregorius Illuminator Patriarcha Armenorum: « Si quis *clanculum matrimonio benedicet,* deponatur qui benedicit. *Matrimonium clandestinum caret testibus* et est instabile atque illegitimum... *Nemo clam matrimonio cuiusvis benedicat,* nisi huic sint parentes et ipse eamdem habeat voluntatem neque scienter dissentiat, omniaque eius voluntate fiant. Sin autem non sit sub parentum tutela, *matrimonium benedicetur palam et coram populo, ut omnes testentur illud recte factum fuisse,* non vero contra Dei legem ».

duxerunt decretum Synodi relate ad clandestina coniugia, quatenus ab incompetenti auctoritate emanans. Tamen cum rationes in medium prolatae ad impedimentum illud inducendum spernendae non erant, et ex alia parte expediens non videbatur publicare in universis Ruthenorum parochiis decretum Tridentini Concilii utpote Graecis et schismaticis maxime invisi, statutum fuit ut Summus Pontifex (Urbanus VIII) per literas in forma Brevis, iisdem fere verbis conceptas quibus Tridentinum utitur, clandestina matrimonia in posterum irrita decerneret.

Legem Tridentinam postea expresse nominant synodus Provincialis Ruthenorum in urbe Zamosciae a. 1720 coadunata, ac novissimum Concilium Provinciale Ruthenum Leopoliense a. 1891 his verbis: « Relate ad sacramentum matrimonii inhaerentes omnino *disciplinae* et doctrinae *Conc. Tridentini* et synodi Zamoscenae nec non decreto Concordiae, iniungimus animarum pastoribus ut iisdem tenaciter inhaereant ». Et c. 3: « Praeterea caveant (parochi) ne benedicant matrimonio eorum qui illegitime transierunt a ritu latino ad graecum; sed de legitimitate talis transitus diligenter antea explorent quia in casu quo transitus iste utriusque partis fuerit illegitimus, matrimonia talia *invalida esse sciant,* utpote non coram proprio parocho celebrata prout praescribit Conc. Tridentinum et Concordia ».

Haec autem quae dicta sunt valent tantummodo pro Ruthenis in Galitia Austriaca commorantibus. Hi vero qui habitant Hungariam non tenentur legibus Synodorum Zamoscenae et Leopoliensis, neque per quantum scimus, ullum apud eos extat concilium vel synodus.

B) — *Graeci-Rumeni.*

12. Quid Rumeni sentiant de clandestinis nuptiis nobis aperuit Archiepiscopus Fogarasiensis Ioannes Vancsa in literis die 7 Sept. 1878 ad Congregationem de Propaganda Fide quae eum interrogaverat, « utrum et quomodo in parochiis istius Provinciae (Rumenae) ecclesiasticae vigeat observantia decreti Tridentini ». Cl. Antistes respondit nulla invenisse documenta ex quibus constaret decretum Tridentinum publicatum fuisse in parochiis suae provinciae, quae tempore Concilii Tridentini funesto erat schismate obnoxia. « Hoc tamen non obstante matrimonia clandestina hic locorum pro illicitis habebantur adeo ut dici possit quod impedimentum clandestinitatis in parochiis huius provinciae ecclesiasticae semper fuerit consideratum qua impedimentum saltem impediens matrimonii. Quandoquidem et Ecclesia ritus graeci catholica omni tempore unanimi voto desideraverit ut coniugia fidelium suorum praemissis so-

lemnitatibus ineantur, atque sacerdotali benedictione cohonestentur. Quod ipsum vero ex communi Ecclesiae primaevae praxi suum repetit fundamentum, cum indubie constet, consuetudinem matrimonia clandestina pro illicitis considerandi iuxta disciplinam Ecclesiae utriusque iam inde a primis eiusdem saeculis fuisse in vigore..... Nec in Ecclesia nostra graeco-catholica desunt documenta quae extra dubium ponant matrimonia clandestina et hic locorum constitutionibus disciplinaribus sive statutis dioecesanis fuisse prohibita. Sed inde ab anno 1854 quo publicata fuit Instructio pro iudiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci circa causas matrimoniales, omnia fora matrimonialia huius quoque provinciae ecclesiasticae, impedimentum clandestinitatis qua dirimens matrimonium reputabant ». In his rerum adiunctis Concilium primum provinciale Fogarasiense statuit impedimentum clandestinitatis inter dirimentia annumerare, ac in decretis de matrimonio ita rem expressit: « *Causa efficiens matrimonii est mutuus et voluntarius coniugum consensus coram parocho proprio ac duobus testibus saltem expressus* ». Verum S. Congregatio de Propaganda Fide pro negotiis R. O. cui acta Concilii pro confirmatione delata fuerunt, noluit decretum memoratum adprobare, ac respondendum censuit: « Dilata, et ad mentem. Mens est, che trattandosi di cosa molto grave innanzi di proporre il dubbio alla S. Congregazione, si scriva una ulteriore lettera all'Arcivescovo di Fogaras affinchè unitamente ai suoi suffraganei voglia considerar meglio le conseguenze che porterebbe seco la richiesta estensione dell'impedimento dirimente di clandestinità a quella provincia ecclesiastica *appartenente al regno d'Ungheria* in cui è vigente l'infausta legge del matrimonio civile e *pel quale Benedetto XIV derogò alla necessità della presenza del parroco, onde assicurare la validità dei matrimonii misti;* e tutto ben ponderato, rimetta le osservazioni e il parere in proposito » (Die 16 Dec. 1878).

Huic voto obsecundavit Archiepiscopus, sed S. Congregatio priorem confirmavit sententiam, et impedimentum clandestinitatis non admisit, integrum tamen relinquens prudenti Antistitum Rumenorum arbitrio, poenarum comminatione deterrere sacerdotes ne clandestine contrahentes coronare praesumerent.

Hinc factum est quod in 2° Concilio Provinciali Fogarasiensi a. 1882 impedimentum clandestinitatis inter impedientia demandatum fuerit.

C) — *Italo-Graeci.*

13. Disciplina Italo-Graecorum quoad matrimonium definitur in Bulla *Etsi Pastoralis* Benedicti XIV iussu edita. In qua haec ad rem

nostram leguntur; *§ VIII, n. 1:* « Curent Ordinarii locorum, ut decretum s. generalis Concilii Tridentini de reformatione matrimonii vertatur in linguam graecam vulgarem, et in locis et parochiis Graecorum et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur.

N. 11: Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahatur; inter maritum vero graecum et mulierem latinam potest contrahi vel graece coram parocho graeco, duobus vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino ubicumque maritus graecus voluerit ».

D) — *Graeci puri.*

14. Adeo tenuis est eorum numerus ut nihil particulare pro ipsis statutum adhuc reperiatur. Habitant hi urbem Constantinopolitanam et vicinia eiusdem; cum autem sint Orientales, legi tridentinae non subiiciuntur; cum autem e castris schismaticorum graecorum veniant, pro ipsis valent quae superius in cap. primo dicta sunt.

E) *Graeci-Bulgari.*

15. Exiguus adhuc est numerus Bulgarorum unitorum, qui antequam fidem Romanam amplecterentur, obediebant Patriarchae schismatico Graecorum in urbe Constantinopolitana residenti: proinde et ipsi a Graecis schismaticis mutuati sunt disciplinam quam ab erroribus purgatam et nunc tenent.

F) — *Graeci-Melchitae.*

16. In synodo Antiochena Graecorum-Melchitarum Carcaphae habita a. 1806, quae tamen damnata fuit a Gregorio XVI decreto diei 3 Iunii 1835, haec quoad matrimonium leguntur:

« Questo sacramento consiste nella vicendevole consegna che si fa dai coniugi de' loro corpi... e nell'esprimersi colle parole o con i segni indicanti il reciproco consenso di contrarre questa unione, nonchè con quella benedizione ed orazione cui è esposta negli Eucologi. Questa benedizione conviene che diasi dal Vescovo di uno dei coniugi o dal suo parroco, ovvero da un sacerdote deputato da essi giusta la prattica delle diocesi. *E non prendendo la benedizione delle corone da uno dei suddetti, questo vincolo non sarebbe sacramento o matrimonio cristiano.* Laonde ogni cristiano che vuole congiungersi in matrimonio deve chiedere ed ottenere questa benedizione, poichè Nostro Signore Gesù Cristo

istitutore della legge Evangelica sublimandolo al grado di sacramento, comandò a tutti i fedeli che chiedessero questa benedizione da' suoi ministri costituiti alla amministrazione de' sacramenti.

« Da qui deducesi ad evidenza che con tutta ragione *la Chiesa santa unitamente agli Imperatori cristiani annullò ogni unione che non si adempia colla benedizione del Vescovo o del parroco di uno dei coniugi*. Comandò altresì che fossero separati e puniti i trasgressori.

« *Can. XI.* N. S. G. C. avendo elevato il matrimonio allo stato di sacramento, perciò fa d'uopo in primo luogo che non si faccia uso del matrimonio prima di ottenere la benedizione della corona dal Vescovo della diocesi o dal suo Vicario o dal parroco del luogo. Chiunque ardirà far uso del matrimonio senza la benedizione delle corone ma col solo chirografo del giudice laico sia interdetto da tutti i sacramenti, finchè si ravveda e ne faccia esemplare penitenza ed accetti le penitenze che gli saranno imposte. *Si faccia quindi la orazione solita della corona, e dopo ciò il suo congiungimento sarà un matrimonio cristiano* ».

G) — *Armeni.*

17. Acta synodi Armeni Constantinopoli habitae a. 1890 adprobata non fuerunt a S. Congregatione de Prop. Fide. In his haec de matrimonio clandestino traduntur:

C. 10: « Synodus declarat omnia ea sola posthac apud nos haberi impedimenta impedientia ac dirimentia quae a S. Tridentina Synodo praescripta in Ecclesia Romana vigent, praeter impedimentum matrimonii clandestini, quod aliter apud nos praescribitur.

C. 11: « Quoad matrimonium clandestinum ad omnem praeripiendam confusionem atque ob regulam disciplinae haec synodus decernit apud nos posthac validum et licitum esse matrimonium nostratum si benedicatur a proprio parocho vel pro-parocho, duobus testibus praesentibus, secundum Rituale adprobatum; attamen *pro valido, quamvis illicito haberi nostratum matrimonium benedictum, duobus saltem praesentibus testibus a quovis presbytero catholico,* etiamsi iste non sit proprius parochus vel vice-parochus aut sit diversi ritus sacerdos. Qui vero id facere audebunt, et operantes et cooperantes a proprio Ordinario iure puniantur.

« *Si quis* autem inter nostrates *efficere audebit ut suum* cum catholica vel acatholica muliere *matrimonium a sacerdote schismatico benedicatur,* quamvis *pro valido habebitur matrimonium,* si, duobus saltem testibus praesentibus, contractum fuerit, incurret tamen ipso facto

excommunicationem, cuius absolutio Ordinario reservabitur, qui poenitentias salutares ordinabit. Verum reputabitur invalidum nostratum matrimonium cum catholica vel acatholica aut e contra benedictum, duobus quidem testibus praesentibus, sed a sacerdote degradato, vel qui apostasiam a sacerdotio fecerit, sive catholicus sit, nec ne. Pariter *pro invalido ab Ecclesia nostra habebitur matrimonium a quovis sacerdote benedictum* duobus saltem testibus haud praesentibus *vel etiam initum absque presbytero coram laicis* sive magistratibus sive notatu dignis, licet praesentibus testibus.

« Quoad autem benedictionem matrimonii, *ad huius validitatem, non modo solam sacerdotis praesentiam intelligimus, sed et quamlibet benedictionem a sacerdote factam cum intentione benedicendi matrimonium;* ad liceitatem vero, benedictionem matrimonii iuxta ritum cuiusque Ritualis ».

Quid Armeni intelligant pro matrimonio clandestino iam retulimus in nota, p. 8.

H) — *Syri-Maronitae.*

18. Maronitae in synodo provinciali in Monte Libano celebrata a. 1736, quam Benedictus XIV Apostolicis literis in forma Brevis *Singularis Rom. Pontificum* (1 Sept. 1741) confirmavit, haec habent relate ad matrimonium clandestinum, quae concordant ad verbum cum Conc. Tridentini dispositionibus in capite *Tametsi* comprehensis, addita tantummodo poena excommunicationis in contravenientes:

C. XI, n. 8, XII. « Nullum est matrimonium clandestinum, idest quod aliter contrahitur, quam praesente parocho, vel sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus.

« *N. 28:* Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentarunt, eos sancta Tridentina Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit... Praeterea eadem sancta Synodus statuit benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam, nisi ab ipso parocho, vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse. Proprius autem ille habetur parochus, in cuius parochia contrahentes maiori anni parte morantur et degunt. *Qui vero simulato domicilio habitationis in aliena parochia ausi fuerunt coram parocho non proprio contrahere, praeter nullitatem matrimonii tam viri quam mulieres sint ipso facto excommunicati.* Quod si quis

parochus vel alius sacerdos sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit: ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Sufficit autem alter ex parochis si vir et mulier sint in distincta parochia; et e duobus ille debet assistere in cuius parochia matrimonium celebratur ».

I) — *Syri puri.*

19. Quod Syri catholici retineant invalidum matrimonium absque benedictione et coronatione contractum, constat ex pluribus documentis quae in Archivo S. Congregationis de Propaganda Fide asservantur. Ex hoc Patres Synodi Sciarfensis habitae a. 1888 statuerunt clandestinitatem ad normam Tridentini connumerare inter impedimenta dirimentia. Cum autem S. Congregatio de Propaganda Fide rem non confirmaverit; quae clandestinitatem respiciebant, a Synodo expuncta fuerunt, non tamen omnia: nam eorum aliquod vestigium remansit – ut sacerdotes Syri noscerent universam doctrinam Ecclesiae catholicae circa matrimonia – prout nobis aperuit Cl. Consultor qui tunc temporis Acta Synodi ad trutinam revocavit. Revera Synodus haec tradit de impedimentis dirimentibus: « Sunt haec impedimenta quindecim in lege Ecclesiae catholicae » atque ea enumerans ultimo loco ponit *clandestinitatem*. Explicans deinde singula impedimenta, de clandestinitate silet omnino. Progreditur ulterius Synodus ac doctrinam tradit de dispensatione super impedimentis, ac deinde *de revalidatione matrimonii irriti*, et ait: « Matrimonium fit nullum sive ex defectu consensus, sive *ex omissione formae requisitae*, sive ex inhabilitate contrahentium... Quando autem matrimonium nullum est ex omissione formalitatis praescriptae, quae est forma a Concilio Tridentino statuta, in locis ubi eius decretum publicatum est, illud non revalidatur nisi per renovationem contractus coram parocho et duobus testibus ».

L) — *Chaldaei.*

Chaldaei catholici synodum non habent; tamen in re testimonium habemus doctissimi eorum Patriarchae Georgii Khajat, cui a quodam Episcopo Syro, a. 1896, quaestio proposita fuerat de matrimoniis clandestinis apud chaldaicam nationem.

« Notre nation chaldéenne et notre patriarcat n'admettent point le mariage clandestin; c'est à dire tout mariage qui n'a pas été beni par

un prêtre quelconque est invalide et illegal ou qu'il est contraire à la liturgie et aux coutumes... Si quelque audacieux se permettait de contracter un mariage par l'intermediaire d'un moula (sceik chez les musulmans) cette personne est considerée alors n'appartenant plus à l'Eglise Romaine; son mariage est illegal et mérite l'anathème. Un cas semblable s'est produit dans ces derniers temps a Telleskef (près de Mossoul) » (1).

M) — *Copti.*

20. Synodus Alexandrina Coptorum an. 1898, inter impedimenta dirimentia, ultimo loco ponit clandestinitatem: « Clandestina matrimonia, ea scilicet quae fiunt absque praesentia parochi et testium, sancta Ecclesia semper ut abominabilia detestata est, quia in huiusmodi connubiis et dignitas sacramenti spernitur et populo christiano multa scandala obiiciuntur. Quapropter sanctitati christiani matrimonii simul et aedificationi fidelium efficaciter providere volentes, decernimus antiquissimam consuetudinem in nostra ecclesia Alexandrina vigentem esse servandam, quae irrita vult matrimonia, quibus non assistit sacerdos cum duobus saltem testibus » (sect. 2, c. III, art. VIII, § 5, n. XVI).

Quoad vero Syro-Malabarenses nihil est observandum cum ipsi praeter linguam liturgicam, in omnibus sint latini ac latinae Ecclesiae legibus regantur.

21. Ex dictis itaque patet:

a) Rutheni, Italo-Graeci, Maronitae decreto *Tametsi* moderantur.

Melchitae, Armeni, Syri puri, Chaldaei, Copti, reliqui graeci (puri et Bulgari) invalidas tenent nuptias absque benedictione sacerdotali contractas.

Rumeni impedimentum clandestinitatis inter impedientia recensent.

b) Orientales catholici quorum Synodi Romae apud S. Congregationem de Propaganda Fide ad examen revocatae fuerunt atque adprobatae, ad Latinorum sententiam accessisse circa ministrum sacramenti matrimonii; non ita tamen reliqui. Verum omnes admittunt saltem practice necessitatem coronationis s. benedictionis ad christianum matrimonium valide contrahendum.

III. — PRINCIPIA QUAEDAM IURIS ORIENTALIS

22. Sed ad propositi dubii solutionem, nonnulla principia prae oculis habenda sunt quae mutuam rituum relationem respiciunt: et quidem:

1) *Sacerdos qui ex necessitate sacramenta ministrat fidelibus di-*

(1) Ex Tabulario S. Congr. de Prop. Fide.

versi ritus, deficiente proprii ritus ministro, ea administrare tenetur in r oprio ritu. Hinc ex. gr. « deficiente sacerdote proprii ritus valeat latinus a presbytero rutheno in fermentato et ruthenus infirmus a presbytero latino in azymo sacrum viaticum accipere » (Decr. *Concordiae,* L C. d.)

2) « Viro ritum uxoris suae amplecti non licet (exceptis Italo-graecis apud quos potest vir graecus ritum mulieris latinae sequi). E contra « *mulieri latini ritus quae viro nupserit ritus orientalis, aeque ac mulieri orientali quae nupserit latino, integrum erit ut ad ritum viri, ineundo vel durante matrimonio transeat* » (Const. *Orientalium dignitas,* n. VIII).

3) « *Si sponsi catholici ex diversis sunt ritibus, quidquid pertinet ad eorum sponsalia et nuptias nonnisi sacerdotibus ritus viri competit, idque virtute consuetudinis vigentis apud omnes nationes orientales catholicas* » (Syn. Sciarfensis). Exceptis tamen Ruthenis apud quos « matrimonio benedicit secundum antiquissimam consuetudinem parochus sponsae » (Decr. *Concordiae,* l. C. c).

CONCLUSIO

23. Sed ad dubii solutionem deveniendum est: utrum nempe validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto *Ne temere* statuta.

Respondeo: 1) Si apud Orientales publicatum fuit decretum « *Tametsi* »: *Negative.*

2) Si publicatum non fuit: *Affirmative.*

1) Dicimus invalidum matrimonium contractum a catholico latino cum catholico ritus orientalis, si in ecclesiis huius ritus publicatum fuit Tridentinum decretum. Et sane decretum *Ne temere* praesupponit decretum *Tametsi* et est, ut ita dicam, – saltem in locis in quibus *Tametsi* publicatum fuit – correctivum eiusdem (sit venia verbo!), cum eo fine emanatum fuerit ut auferrentur omnes difficultates quae ex decreti *Tametsi* applicatione promanabant (1). Iamvero difficultates, de quibus est sermo, omnes tangunt: ergo omnibus extendendum est decretum *Ne temere* qui decreto *Tametsi* reguntur.

---

(1) Adest tamen altera sententia quae defendit, decretum *Ne temere* esse legem omnino novam. Sed verisimilius tenendum videtur decretum *Ne temere* simul participare de natura legis correctivae et legis novae, quum ex una parte revera reformet caput *Tametsi,* ex altera vero novam etiam inducat disciplinam in Conc. Trid. minime contentam. Verum hac etiam seposita quaestione theoretica, certum est Orientales omnes *per se* non ligari decreto *Ne temere;*

24. Dicimus vero validum matrimonium contractum a catholico latino cum catholico ritus orientalis, si in ecclesiis huius ritus *Tametsi* publicatum non fuit. Et re quidem vera, iam haec S. Congregatio proposito dubio: « An decreto *Ne temere* adstringantur etiam catholici ritus orientalis, respondit *negative*; ac S. Congregationi de Propaganda Fide iudicandum commisit utrum ad eosdem orientales decretum extendere expediat. At, quod sciamus, S. Congregatio de Propaganda Fide quaestionem nondum resolvit. Sequitur proinde ex hoc disciplinam quoad matrimonia apud Orientales nondum esse immutatam, scilicet eamdem perseverare quae vigebat ante decreti *Ne temere* promulgationem. Iamvero S. Congregatio de Propaganda Fide pluries declaravit orientales tum catholicos tum schismaticos non teneri decreto *Tametsi* ac valida esse tum matrimonia eorum non servata forma Tridentini, tum etiam matrimonia inita a catholico ritus latini decreto *Tametsi* subiecto, cum catholico ritus orientalis huic decreto non subiecto, non servata pariter forma Tridentina.

Hinc in Synodo Smyrnensi a. 1859, cuius acta a S. Congregatione de Propaganda Fide adprobata fuerunt a. 1871, legimus: « Cum caput *Tametsi* sancti Concilii Tridentini in omnibus nostris dioecesibus et vicariatibus Apostolicis vim habere constet (excepta Delegatione Apostolica Graeciae), ideo nulla habentur omnia matrimonia quae a fidelibus ritus latini non contrahantur coram parocho et duobus vel tribus testibus. Idem autem dicendum non est si unus ex contrahentibus sit ritus orientalis: matrimonia quidem non obtenta dispensatione tunc essent illicita, non autem invalida; decretum enim *Tametsi* Conc. Trid. in his regionibus personas ritus orientalis non afficit ».

---

id enim iam resolutum fuit a S. C. Concilii in comitiis generalibus diei 1 Februarii 1908, cum ad I propositum dubium: *an decreto* Ne temere *adstringantur etiam catholici ritus orientalis*; respondit: *Negative.* Cuius responsionis ratio in eo invenitur, quod Orientales legibus disciplinaribus, prouti in themate, non tenentur nisi expresse de ipsis dispositum sit. Porro idipsum dicendum est etiam de Orientalibus, apud quos publicatum fuit decretum *Tametsi*: nam eatenus ipsi etiam nunc tenentur legi Tridentinae, quatenus illam, Sede Apostolica consentiente, acceptarunt; non autem tenentur legi a decreto *Ne temere* statutae, quia haec lex ad eos nondum extensa est. Nec opponatur Orientales sive catholicos sive acatholicos observare debere decretum *Ne temere*, si contrahere velint cum catholicis latinis; hoc enim est dumtaxat *indirecte et per accidens*, quatenus nempe catholicus latinus factus est inhabilis ad contrahendum cum quolibet, nisi servata forma ab eodem decreto statuta *(N. R.)*.

Ratio autem huius dispositionis evidens est, admisso principio individuitatis contractus: tunc enim pars orientalis quae non tenetur decreto *Tametsi*, privilegium exemptionis communicat parti latinae quae tenetur, et matrimonium eorum, non observata forma Tridentina, validum censetur.

25. Sed estne in hoc principio adhuc insistendum? Iam enim, et convenienter, istud principium vulneratum est ex dispositione art. XI, § 2 decreti *Ne temere*, quae invalidum declarat matrimonium contractum a catholico cum acatholico, et quidem etiam si acatholici sint orientales – quia lex non distinguit – ita ut orientales qui utpote orientales viderentur soluti a lege *Ne temere* nondum ad eos extensa; utpote tamen schismatici et haeretici tenentur contrahere iuxta formam *Ne temere*. Proinde principium individuationis contractus valeret adhuc et solummodo in matrimoniis catholicorum mixti ritus. Sed liceat mihi, EE. PP., mentem meam aperire.

Profecto enim non intelligo cur idem principium individuitatis contractus non debeat et catholico latini ritus applicari, ita ut catholicus latinus qui tenetur ad contrahendum iuxta formam a decreto *Ne temere* praescriptam, – propter individuitatem contractus matrimonialis – non trahat ad se catholicum orientalem qui solutus est a lege *Ne temere*? Cum enim uterque contrahens sit catholicus, unus tamen a lege impeditus, alter solutus, principium individuationis ab utraque parte invocari potest.

26. Immo addam; non desunt argumenta quae mihi suadeant extendere abolitionem illius principii etiam ad matrimonia catholicorum mixti ritus. Et sane cum ex his quae exposui, Ecclesiae orientales generatim loquendo, nuptias pro invalidis habeant nisi benedictio sacerdotalis intervenerit, cur non poterunt et orientales catholici contrahentes cum catholico latini ritus adstringi decreto *Ne temere?* Nam quidquid sit de erronea sententia orientalium quae benedictionem s. coronationis necessariam esse putat ad essentiam Sacramenti, certum est de facto Orientales non contrahere matrimonium, nisi praesente sacerdote. Nulla proinde potest esse difficultas si Ecclesia latina in matrimoniis mixti ritus (latini sc. cum orientali) eos obstringat ad observantiam alicuius legis, quam et ipsi *de facto* iam observant.

His positis itaque, duplex casus dari potest: aut vir latinus uxorem ducit mulierem orientalem aut mulier latina unitur viro orientali.

In utroque casu iuxta praxim in Oriente vigentem matrimonio a parocho viri generaliter est benedicendum. Hinc vir latinus trahit ad se

mulierem orientalem ac *coram parocho latino viri* servata forma *Ne temere* matrimonium contrahendum est.

Si vero vir orientalis sit, et mulier latina, haec sequatur oportet virum coram parocho eiusdem.

Si vero uterque sit extra propriam paroeciam tunc matrimonio benedicet parochus loci iuxta proprium ritum.

27. Quod verum ad liceitatem adtinet, quamvis in decreto *Ne temere* c. V, § 5 statutum sit: « in quolibet casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset », non recedendum esse puto a praxi orientalium qui tribuunt parocho viri ius benedicendi matrimonio.

Haec autem quae valde inconcinne exposui, sapientissimo EE. VV. iudicio humiliter subiicio.

HENRICUS BENEDETTI
S. Congr. de Prop. Fide
Pro Neg. Rit. Orient. Officialis.

VOTUM III.

Em̃i et Rm̃i Patres,

Demandatum mihi munus votum conscribendi pro solutione quorumdam dubiorum circa decretum *Ne temere,* qua potui celeritate mihi enixe commendata exequi curavi. Solutionem, quae mihi conformior visa est rectae interpretationi ipsius decreti, primo loco proposui eamque maiori minorive argumentorum amplitudine, prout cuiusque dubii gravitas aut difficultas postulare visa est, confirmavi; tum si quo loco aliquid utile existimavi, licet minus forte cohaerens cum stricta decreti interpretatione, modeste proposui; omnia sapientissimo EE. PP. iudicio definienda aut corrigenda subiiciens.

Dubium I. *An vi decreti* Ne temere *generatim sublata sit, quoad formam coniugii ineundi, quaevis communicatio exemptionis unius partis alteri comparti non exemptae* (1).

Hoc dubium *affirmative* resolvendum videtur.

Ad clariorem dubii intelligentiam et solutionem, ante omnia videtur praemittendum, post vigentem legem decreti *Ne temere,* illud principium communicationis, quod hactenus vigebat relate ad decretum *Tam-*

(1) Hoc dubium magis patet quam infra propositum ex officio *(N. R.)*.

etsi, non amplius futurum practici momenti, nisi ad summum in duplici casu; nam duplex tantum est exceptio in nova lege facta, altera in matrimoniis mixtis pro Germania, altera in matrimoniis Orientalium. In ceteris casibus, cum omnes catholici in matrimoniis sive inter se sive cum parte acatholica ineundis ad formam decreti *Ne temere* teneantur, communicatio immunitatis (quae non datur) ne fingi quidem potest.

Illam exceptionem pro Germania non admittere illam communicationem, corollarium est doctrinae in dubio subsequenti propositae, quum probabitur, illam exceptionem esse *mere localem* non personalem: quo posito Germanicus extra territorium Germaniae, etiam pro casu excepto matrimonii mixti, tenetur ad formam decreti *Ne temere*; ac proinde non datur casus Germanici immunis, qui possit alteri parti suam immunitatem communicare. Quodsi consideretur alter casus alicuius extranei in Imperio Germanico volentis cum Germanico matrimonium mixtum inire, utraque pars erit immunis, non propter communicationem immunitatis; sed pars Germanica propter ius particulare regionis quo ipsa regitur, pars extranea propter facultatem peregrinorum gaudendi exceptione locali a lege universali et celebrandi contractum secundum ius loci ubi contrahit; sicque iterum non erit locus illi communicationi immunitatis.

Altera exceptio est de Orientalibus: constat enim esse rem admissam Orientales legibus mere disciplinaribus etiam universalibus non ligari, nisi in his aliquid expresse de ipsis Orientalibus statuatur, aut expressa eorum mentio fiat, aut implicite pro subiecta materia ad illos quoque lex extendatur, ut accidit cum datur mera declaratio iuris divini aut naturalis (S. C. P. F. 8 Nov. 1882; Benedictus XIV Const. *Etsi Pastoralis* 26 Maii 1742). Ceterum ipsi Orientales profitentur se non teneri legi capitis *Tametsi* (Cfr. Papp–Szilagyi, *Enchiridion iuris eccl. orientalis, pag. 274*).

At illa Orentalium exceptio iam non est mere localis, sed potius *personalis*, non enim Orientales alicuius regionis, sed *omnes* Orientales sunt liberi a legibus mere disciplinaribus observandis. Quare hic habemus casum practicum, in quo illa communicatio esset possibilis si *latinus* vellet cum orientali contrahere.

Verum dicendum videtur, illud principium communicationis per novam legem esse penitus abrogatum. Nam historice et iuridice constat, illud principium, vi cuius pars immunis a servanda forma alteri parti suam immunitatem communicabat, non derivari neque ex *natura* contractus matrimonialis, neque ex *natura* legis irritantis matrimonium sine

certa forma celebratum. Natura enim matrimonii haec est, ut requirat habilitatem utriusque partis, adeo ut si vel una pars est inhabilis (v. gr. in voto solemni unius partis) matrimonium *ex natura rei* est invalidum, etsi altera pars habilis sit. Hinc consequenter lex irritans matrimonium latini, sine certa forma celebrati, *ex natura rei* reddit irritum matrimonium, quod latinus celebret cum orientali, etsi hic ad formam servandam non teneatur. Ergo illa communicatio immunitatis, quae viguit in iure Tridentino, *positivae concessioni* legislatoris ecclesiastici est tribuenda; quam concessionem historice constat non *expresse* esse factam, sed *ipsa praxi tribunalium inductam* (Cfr. Wernz, *De iure matrimoniali, p. 52 sq.*). Neque in iure Tridentino deerant exceptiones. Ita ex decreto S. C. Inq. 12 Ian. 1890 pro Insula Melitensi, licet acatholici in matrimoniis inter se valide celebrandis effecti essent immunes a forma Conc. Tridentini, at matrimonia mixta catholicorum cum acatholicis forma Tridentina non servata fuerunt declarata nulla, nec pars acatholica immunis potuit suam immunitatem alteri parti communicare. Quod est argumentum evidens, totum hoc pendere a *positiva* legislatoris voluntate, non ex natura sive legis sive matrimonii.

At iuri Tridentino substitutum est ius decreti *Ne temere*; et in hoc decreto nullum est verbum aut clausula, qua possit censeri concessa illa communicatio immunitatis; imo omnes clausulae quae leguntur n. XI potius sonant denegationem. Neque Orientales ullo modo queri possunt, quod ita indirecte ipsis imposita sit lex; decretum enim irritat matrimonium *latini* sine forma praescripta celebratum; *si* orientalis *vult* efficaciter cum latino contrahere, ipse sibi imponit obligationem eo modo contrahendi, *quo solo* potest latinus validum matrimonium inire.

Dubium II. *Num exceptio, per Const.* Provida *in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.*

Huic dubio videtur responsum esse dandum: illam exceptionem esse *mere localem,* ita ut Germani extra Imperium Germanicum invalidum matrimonium mixtum absque forma decreto *Ne temere* praescripta contrahant. Talis decisio deducitur ex legitima interpretatione decreti *Provida,* sive hoc decretum spectetur respectu habito ad antiquam disciplinam capitis *Tametsi,* sive spectetur respectu ad novam disciplinam per decretum *Ne temere* inductam.

1) Sane acatholicorum Imperii Germanici immunitas his verbis in decreto *Provida* exprimitur: « Nihilominus matrimonia mixta in *quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis* non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) contrahenda.... pro validis omnino haberi volumus.... »; de matrimoniis autem acatholicorum inter se sic

loquitur: « Hoc idem iisdemque sub conditionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum sive haereticorum sive schismaticorum inter se *in iisdem regionibus* non servata etc. ». Immunitas tribuitur matrimoniis acatholicorum sive inter se sive cum parte catholica celebratis in illis *provinciis*, *locis*, *regionibus* Imperii Germanici, quae sonant immunitatem *omnino localem*.

Id luculentius apparet si cum commemorata parte dispositiva decreti conferatur eius pars expositiva sive prooemium et scopus legislatoris in ipso prooemio clare manifestatus: « ut consulamus, inquit, sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae *unitati et constantiae*, *certitudini iuris*, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus etc. »; qui scopus expresse transcriptis verbis designatus melius adhuc dignoscitur, si conferantur cum motivorum expositione praecedente, ubi legislator ex Episcoporum relatione commemorat observantiam legis Tridentinae in Imperio Germanico cum incommodis non levibus esse coniunctam: 1) propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem; 2) ex eo quod dubitetur an in nonnullis locis lex esset promulgata; 3) ex dubio an lex etiam obliget *acatholicos uno aliove in loco commorantes*; unde 4) maxima in diversis Imperii locis iuris diversitas et dissimilitudo; ex qua 5) spinosae oriantur quaestiones, quae in iudicibus perplexitatem, in populo fideli legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes.

Iam ex una parte illae circumstantiae et incommoda, quibus medendis studet decretum *Provida* sunt circumstantiae propriae regionum Imperii Germanici; ergo exceptio a lege Tridentina quae adhibetur ut remedium, censenda est localis, sicut ipsa mala quibus medendis adhibetur. Ex alia parte finis decreti fuit uniformem ac certam statuere disciplinam pro universo Imperio Germanico, nempe ut consulamus disciplinae *unitati ac constantiae, certitudini iuris* etc.; hanc porro uniformitatem voluit inducere seligendo inter varia iura, in diversis Imperii partibus vigentia, illud ius quo simul obviaretur aliis incommodis in prooemio allegatis; v. gr. *paci et tranquillitati publicae, perpetuis acatholicorum querelis et criminationibus* etc. Pars vero dispotiva illam electionem fecit, concedendo pro universo Imperio illud ius, quod iam in pluribus Germaniae locis obtinebat, ut videlicet acatholici, in matrimoniis sive inter se sive cum parte catholica ineundis, immunes essent a lege Tridentina. Haec ergo extensio ad universum Imperium interpretanda eodem modo est, quo particulares immunitates ante decretum *Pro-*

vida certis dumtaxat provinciis propriae, quae certissime erant immunitates locales, non personales.

Quae argumenta maiorem inde accipiunt vim quod non censendum est R. P. voluisse decreto *Provida* concedere favorem insolitum et usque ad hunc diem inauditum, contra stylum alias in hac materia usitatum reddendo omnes et singulos acatholicos imperii Germanici personaliter immunes ab observantia legis Tridentinae ubicumque terrarum matrimonium celebrarent. Tale exorbitans privilegium et inusitatus favor acatholicis positive et directe factus (quibus tamen Ecclesia suos positivos favores concedere non solet) derogaret principio hactenus vigenti, quod *locus regit actum*; et cum incolae *etiam catholici* illarum regionum, ubi numquam decretum Tridentinum fuit promulgatum (v. g. in Anglia) tali immunitate *personali* non fruantur, sed extra suum locum immunem debeant matrimonium contrahere *secundum ius loci* ubi contractum celebrant; soli illi acatholici Germaniae fruerentur contra litteram et mentem ipsius decreti *Provida* illa personali et inusitata immunitate.

2) Quodsi illa exceptio pro Germania consideretur in ordine ad ius novum decreti *Ne temere*, naturam *exceptionis mere localis*, mutato iure communi, non amisit. Nam decretum *Ne temere* non solum *destinatione*, ut decretum *Tametsi*, sed etiam de facto est lex universalis, ubique per transmissionem ad Ordinarios promulgata et ubique post diem Paschatis vigens, et solummodo voluit ut retineretur exceptio pro Germania iam facta. Ergo, sicut ante decretum *Ne temere*, illa exceptio manet *localis*, restricta ad matrimonia mixta in ipso Imperio Germanico celebrata.

Sane in legibus universalibus Ecclesiae est principium certum ab omnibus canonistis admissum (Cfr. Schmalzgrueber in *lib. II, De Constit., n. 42*) exceptionem pro aliqua regione factam non prodesse incolis illius regionis, dum extra regionem immunem versantur; sic Hispanus in Italia existens tempore ieiunii non potest uti dispensatione quoad ciborum qualitatem, quae in Hispania viget, sed debet severiorem modum in Italia vigentem amplecti. Quae doctrina si pro ceteris legibus universalibus valet, a fortiori pro celebratione matrimonii, cum pro contractibus etiam in legibus non universalibus valet principium *locus regit actum*.

Sive ergo exceptio illa pro Germania consideretur in ordine ad ius antiquum decreti *Tametsi*, sive in ordine ad ius novum decreti *Ne temere*, exceptio est *mere localis*, nullo autem modo personalis.

Scholion. At ex doctrina tradita pro solutione dubii praecedentis, sponte sua enascitur consectarium, quod prudenti EE. VV. iudicio pro-

ponendum duxi. Si decretum *Ne temere* est lex universalis, et exceptio pro Germania est mere localis, illico infertur eos omnes qui in Imperio Germanico matrimonium mixtum clandestine contrahunt, etsi *incolae* Germaniae non sint, sed illuc ut peregrini vel vagi versentur, valide nihilominus contrahere. Nam hoc est principium generale de omnibus legibus universalibus; ut quicumque versantur in loco excepto a lege, etsi nondum incolae facti sint, sed in conditione inveniantur sive peregrini sive vagi, dum in territorio a lege excepto commorantur, beneficio exceptionis fruantur. Haec communis est TT. et CC. sententia (Cfr. Schmalzgrueber in *tit. II, De Const., n. 41, 42*); sicque indubitatum est Italum, Gallum, Germanum sive ut peregrinum sive ut vagum in Hispania versantem, durante commoratione in illo territorio posse uti indultis sive exemptionibus Hispaniae concessis in lege ieiunii, festorum etc. Quod principium de ceteris legibus vigens, valet etiam, imo speciali quadam ratione valet, de legibus respicientibus contractus; nam contractus fieri debent secundum legem loci in quo celebrantur, cuius forum omnes ibi contrahentes sortiuntur *(cap. fin., De foro compet.)*. Atque hoc principium in re etiam matrimoniali valere edicitur *cap. 1, De Sponsalibus* (Cfr. Schmalzgrueber *lib. 4, tit. 3, n. 101*). Quicumque ergo in Germania matrimonium mixtum celebrant, quoad valorem matrimonii a forma substantiali eximuntur.

Neque ratiocinationem superiorem evertit disciplina hactenus vigens de matrimonio, secundum quam qui ex territorio Tridentino in territorium exemptum veniens, ibidem clandestine contraheret invalide contrahebat, nisi ibidem iam contraxisset domicilium aut quasi–domicilium, quo subditus factus novae paroeciae, eadem exemptione qua ceteri parochiani fieret particeps. Nam hoc erat ius singulare capitis *Tametsi* propter specialem indolem illius decreti, quod habebat vim localem simul et personalem; quae vis personalis accedens ad vim localem unice propriam legum, quae communiter feruntur, deducebatur quidem per legitimam interpretationem ipsius capitis *Tametsi*, quod non solum praescribebat formam ad valorem actus requisitam, sed etiam *aliter contrahentes reddebat inhabiles ad valide contrahendum*; at illam deductionem non adeo clare perspexerunt plures AA. qui cum Sanchez *(lib. III, disp. 18, n. 27, seq.)* talem vim personalem negabant; donec ultimo saeculo facta est res omnino certa et indubitata per plures decisiones et declarationes SS. CC. (Cfr. *S. C. Inquis. 14 Dec. 1859; 6 Apr. 1895; S. C. C. 3 Apr. 1841*; Gasparri, *De matrimonio, n. 385 seq.*).

At decretum *Ne temere* nullam habet clausulam, qua possit legitime probari praeter vim localem generatim legibus ecclesiasticis pro-

priam, habere insuper vim personalem legis subditos ubique terrarum comitans; sed simpliciter asserit: « *Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus* ». Quae lex est quidem universalis ubique terrarum vigens; at ipsi derogatur per exemptionem localem pro Germania his verbis factam: « Nihilominus matrimonia mixta *in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis,* non servata forma Tridentina (cui successit forma decreti *Ne temere*) contracta vel contrahenda, pro validis omnino haberi volumus ».

Superest investigandum *an expediat* vim illam *personalem* decreto *Ne temere* tribuere, ita ut qui in Germaniam pergant, illius loci exemptione uti non possint. Huius rei decisio ad sapientissimum iudicium EE. PP. spectat: mei tamen muneris esse duxi demisse ac breviter proponere inconvenientia ex tali decisione oritura.

1°. Tepidus ille catholicus germanus qui cum acatholico extraneo, et tepidus catholicus extraneus qui cum acatholico germano vult in Germania clandestine contrahere, sicut contemnit legem prohibentem matrimonium mixtum, vel (obtenta dispensatione ad illud celebrandum) despicit legem *obligantem* ad illud celebrandum in facie Ecclesiae servata forma quae etiam in Germania obligat ad liceitatem; eadem facilitate contemnet legem irritantem, sicque erit frustranea illa irritatio, nec alius fructus obtinebitur nisi multiplicatio matrimoniorum invalidorum, quibus decretum *Provida* voluit obviare.

2°. Etsi maxime fidelibus explicetur, certe vix capere poterunt fideles Germaniae et multo minus haeretici, cur si inter Germanos fiat matrimonium sine parocho sit validum; si ibidem fiat inter non Germanos, vel inter Germanum et extraneum, sub iisdem conditionibus sit invalidum. Hinc contemptus legis ecclesiasticae cuius ratio non intelligetur, querelae et criminationes haereticorum, de quibus in prooemio loquitur decretum *Provida.* Certe hoc decretum non respexit conditiones *personales* Germanorum, sed potius conditiones *locales* praesertim *lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem;* quae locales rationes etiam in his verificantur, qui licet extranei in Germania versentur, ibique matrimonia ineunt. Quae rationes, ut aliam omittam, adeo graves sunt ut meo iudicio potius esset cogitandum de abrogando penitus decreto *Provida,* quam de addendo decreto *Ne temere* vim personalem, quae ipsi deest. Nam si abrogaretur exceptio decreti *Provida,* multo facilius evitarentur plura matrimonia mixta, ex quibus tot mala in religionem redundant: aliunde acatholico, qui vult cum parte catholica contrahere,

iam secundum novam disciplinam non obligatur ad contrahendum coram *parocho loci,* ubi aliorum acatholicorum irrisionibus esset obnoxius, sed potest facile in alio loco quaerere parochum catholicum apud quem valide contrahat, exclusis permolestis testibus acatholicis, quibus non vult fieri invisus.

Quodsi tamen EE. PP., his non obstantibus, videtur opportunum illam *vim personalem* decreto *Ne temere* addere, considerandum venit, an sit excludenda illa vis: 1) in his qui in Germania contrahunt domicilium, et quidem ab ipso primo die contracti domicilii; 2) in his, qui in Germania contrahant quasi–domicilium; nam cum *quasi–domicilium* nondum sit in foro ecclesiastico aliqua lege abrogatum, sed adhuc sit modus, quo quis fit subditus superioris ecclesiastici; etiam videtur adhuc esse modus, quo quis incipit regi iure loci, ubi tale quasi–domicilium contraxit. Sed hic iterum recurrerent implexae lites de quasi–domicilio, quas decretum *Ne temere* penitus voluit vitare; 3) in his, qui iam menstruam commorationem in Germania fovent, secundum analogiam eorum, quae praescribuntur pro licita assistentia. Principium autem de *fraude subiectiva* eorum, qui, ut legem vitarent, in Germaniam confugerent, multo maioribus difficultatibus scatet, ac proinde non videtur introducendum.

Dubium III. *An Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite* « invitati ac rogati », *dummodo tamen* « neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum », *valide matrimoniis assistere possint.*

Decretum *Ne temere* de modo assistentiae matrimoniis praestandae haec statuit: quemlibet parochum (vel loci Ordinarium) valide assistere matrimonio « dummodo invitati ac rogati et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum ». Modus assistentiae in hoc articulo praescriptae evidenter ad valorem actus pertinet tamquam conditio sine qua non clare expressa per particulam *dummodo*; idcirco articuli sensus diligenter est explicandus, ne ex perversa eius intelligentia periclitetur matrimonii valor. Modus assistentiae in eo praescriptus tribus partibus constare videtur: 1°. Oportet ut parochus (vel loci Ordinarius) invitati ac rogati fuerint; qua conditione efficaciter cavetur ne parochus insidiose et inopinate ut testis assumatur. 2°. Praeterea parochus debet esse ultroneus testis, quatenus nulla vi aut gravi metu coactus matrimonio intersit. Iam his duabus conditionibus sufficienter consulitur dignitati sacramenti et parochorum, qui contra necessariam assistentiam insidiose aut violenter a nupturientibus obtentam in antiquo iure non erant satis protecti. Sed praeterea, id quod est ma-

xime ponderandum, decretum exigit: 3°. ut parochus vel loci Ordinarius requirat excipiatque matrimonialem sponsorum consensum.

Quodsi quis attente consideret ex una parte finem a legislatore intentum in hoc legis articulo, ex alia parte historicam eiusdem articuli genesim, facile in illam conclusionem deveniet, *quocumque* demum *modo* parochus (vel loci Ordinarius) fuerit invitatus ac rogatus, modo nec vi nec metu gravi constrictus matrimonialem consensum libere ac spontanee exquirat excipiatque, satis factum iri legis praescriptioni ac de matrimonii valore nullum posse esse dubium. Nam finis legislatoris evidenter fuit, ut efficaci modo manerent abolita et redderentur impossibilia matrimonia *ex inopinato facta*. Qui finis legislatoris iam clare apparet in causa *Wratislaviensi et aliarum,* quae decreto *Ne temere* occasionem praebuit: nam *in mente* addita decisioni iam indicatur propositum novum edendi decretum secundum certa et fixa principia in ipsa mente expressa, inter quae primo loco ponitur: « *che il parroco debba assistere al matrimonio rogato e volontariamente, di maniera che restino aboliti tutti i matrimonii fatti per sorpresa* ». Atque idem principium constanter perseverat in variis schematibus, quae in praeparatione novi decreti discussa sunt. Verum in schemate proposito a Secretario S. C. addita est illa clausula, quod parochus « debeat requirere et excipere matrimonialem contrahentium consensum », quae clausula deinde in decretum *Ne temere* transiit, admissis praeterea in prima et altera clausula articuli, in cuius expositione versamur, iis quae ab aliis fuerant proposita ad evitanda illa matrimonia ex inopinato et fraudulenter celebrata.

Iam si talis fuit finis legislatoris, et ad illum certo certius obtinendum fuit expressa in lege illa forma praesentiae parochi, qua is *active* cooperando debet exquirere et excipere matrimonialem consensum; cum per hanc solam activam parochi assistentiam iam omnino in tuto posita sit exclusio matrimonii ex inopinato facti, videtur prima illa clausula, *dummodo invitati et rogati, late* esse interpretanda; ita ut *quaecumque invitatio et rogatio,* modo, exclusa vi ac gravi metu, subsequatur ultronea et libera requisitio et exceptio consensus, sit sufficiens ad valorem. Nam si rogatio et invitatio fuisset unicum medium a legislatore assumptum impediendi insidiosa illa matrimonia, finis legislatoris postularet potius ut illa verba *dummodo invitati et rogati* potius *stricte* essent interpretanda, ne ob largam et nimis benignam interpretationem quaelibet interpellatio (quae iam antiquo iure requirebatur) haberetur pro invitatione et rogatione, sicque frustraretur assecutio finis, quem adeo efficaciter legislator intendit. At nunc finis legislatoris iam in tuto positus est per ultimam clausulam *requirat excipiatque contrahentium*

consensum; ergo quaecumque invitatio ac rogatio adhuc possit hoc nomine compellari censenda est sufficiens, ut litterae et fini legis videatur esse satisfactum. At rogatio *implicita, praesumpta, interpretativa,* adhuc moraliter loquendo potest dicit *vera rogatio*, licet cum addito diminuente. Sane *invitatio implicita* haberetur, si nupturientes alicui parocho demonstrarent desiderium ab eo accipiendi nuptialem benedictionem; *praesumpta invitatio* esset, si parochus ipse postularet ab sponsis eorum matrimonio interesse et hi petitioni adnuerent; *interpretativam invitationem* haberemus, si sponsi postquam cum aliquo parocho omnia tractassent quae ad matrimonium praeparandum spectant, his iam expletis, ipsi parocho se praesentarent, qui nulla vi nulloque metu gravi compulsus in tribus hisce casibus exquireret reciperetque sponsorum consensum. Quis dicet tali in specie facti non adfuisse aliquam invitationem, licet non formalem, veram tamen, per quam abunde litterae et fini legis factum esset satis, si *ex illa* ultronee et libere processit parochus ad exquirendum et recipiendum sponsorum consensum? Manet ergo proposito dubio responsum dandum esse *affirmativum.*

Sed quia illae distinctiones invitationis *implicitae, praesumptae, interpretativae,* sunt aliquantulum subtiles, putarem multo magis consultum iri certae validitati matrimoniorum, si responsio ad dubium non daretur per simplicem consuetam formulam *affirmative,* sed potius sic efferatur: « *Sufficit quaelibet invitatio et rogatio, modo parochus (vel loci Ordinarius), seclusa vi et metu gravi, requirat excipiatque sponsorum consensum* ».

Dubium IV. *An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, non autem quasi-domicilii.*

Hoc dubium longiorem prae ceteris postularet expositionem, sed angustiae temporis mihi concessi, faciunt ut solummodo possim proponere breviter EE. PP. eam solutionem, quae mihi mente decreti conformior visa est.

Prima quidem fronte dubium nullam videtur prae se ferre difficultatem, sed simpliciter responso negativo esse dimittendum. Nam decretum *Ne temere* in parte dispositiva de quasi-domicilio studiose tacet; solummodo in parte expositiva de illo loquitur ad indicandum subtiles quaestiones de quasi-domicilio et graves difficultates practicae ad factum illius acquisitionis probandum, uberrimum fuisse fontem nullitatis multorum matrimoniorum: quae frequentes nullitates, prae ceteris rationibus, in causa fuerunt, cur nova disciplina induceretur. Iam vero cum in parte dispositiva ne verbum quidem reperiatur, quo expresse dicatur antiquam canonicam disciplinam de quasi domicilio (quae in aliis cau-

sis praeter matrimonium est practici momenti) debere immutari, et loco notionis communiter admissae ac praxi tribunalium confirmatae, qua quasi-domicilium dicitur consistere in commoratione in parochia cum animo ibidem per maiorem anni partem manendi esse substituendum merum factum menstruae commorationis in parochia; illa abrogatio quasi-domicilii et substitutio menstruae commorationis ex legitima decreti interpretatione non videtur ***absolute*** et ***universaliter*** admittenda.

At ex alia parte hoc ipsum decreti silentium de quasi-domicilio videtur tacita ipsius abrogatio saltem in ordine ad matrimonium coram parocho contrahendum. Nam decretum, facta distinctione inter validam et licitam matrimonii celebrationem, pro valida assignat quemlibet parochum, pro licita solum parochum vel domicilii vel menstruae commorationis. Ergo hoc ipso quasi-domicilium censendum est abrogatum in ordine ad sortiendum parochum proprium pro licita celebratione matrimonii.

Ex alia tamen parte considerandum venit decretum *Ne temere* n. V, § 4 statuere: « Quod ad ***vagos,*** extra casum necessitatis, parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo deputatum delata, licentiam assistendi impetraverit ». At quinam sint existimandi ***vagi*** decretum non definit; res tamen est de qua merito dubitari potest eiusque declaratio postulatur. Secundum antiquam disciplinam illi habebantur vagi, qui nec domicilium, nec quasi domicilium ullibi habebant. Horum duplex erat species: alii dicebantur ***habitualiter*** vagi, qui domicilio et quasi-domicilio carentes ***habitualiter per incertas sedes*** vagabantur (Cfr. Sanchez, *De matr., lib. III, disp. 25, n. 1*); alii qui ad breve tantum tempus domicilio carebant, v. gr. dum relicto domicilio novum quaererent, ***per transennam*** seu ***momentanee*** vagi dicebantur. Ad solos autem habitualiter vagos pertinebat prohibitio Tridentina, ne parochi eorum matrimoniis interessent, nisi post diligentes investigationes re ad Ordinarium delata ab eodem interessendi licentiam obtinuissent *(Trid., sess. XXIV, cap. 7, de reform. matr.).*

Quid autem secundum novam disciplinam statuendum erit? Si non ad litteram sed ad mentem decreti attendatur; haec crederem proponenda:

1) Illi qui sunt momentanee vagi, eo quod ante breve tempus domicilium reliquerunt, non videntur comprehendi inter vagos in ordine ad prohibitionem decreti n. V, § 4; ratio est quia informationes de carentia impedimentorum ceterisque requisitis ad matrimonium facile peti poterunt a parocho domicilii nuper relicti.

2) Qui nullibi habent domicilium eo quod illud iamdiu reliquerunt, etsi retineant quasi domicilium; haec retentio quasi-domicilii non

videtur secundum iuris novi mentem liberare a conditione vagorum in ordine ad citatam praescriptionem n. V, § 4; sed parochus, etsi iam menstruam commorationem in sua parochia traxerint, debet ut licite eorum matrimonio intersit, habere licentiam Ordinarii vel eius delegati: nam si quasi-domicilii habenda esset ratio, iterum incideremus in difficultates, quas ius antiquum creabat.

3) In his qui et domicilio et quasi domicilio iamdiu carent, suntque proinde *habitualiter vagi,* menstrua commoratio in parochia non sufficit, ut pariter parochus non teneatur servare eadem requisita, quae pro vagis statuuntur can. V; nisi praeter menstruam commorationem domicilium ibidem contraxerint: ratio est quia finis illius praescriptionis est necessitas accurate cognoscendi ea, quae vel validae vel licitae celebrationi matrimonii obstare possint; at haec vix sciri poterunt a parocho, in cuius parochia nupturientes menstruam dumtaxat commorationem traxerint.

Sane nulla in novo decreto reperitur praescriptio, qua expresse abrogetur aut immutetur antiqua notio et disciplina *de vagis* hactenus confirmata legibus canonicis, praxi tribunalium et communi canonistarum doctrina: ergo antiqua disciplina adhuc vigere censenda est. Ex alia parte finis illius legis, qua parochi sine licentia Ordinarii prohibentur matrimonio coniungere vagos, est singulare periculum, ne hi parochum decipiant in probatione status liberi seu carentiae impedimentorum: hoc autem singulare periculum Tridentinum *(sess. XXIV, c. 7, de reform. matr.)* nonagnovit nisi in illis *habitualiter vagis* seu vagabundis, qui semper *per incertas sedes* vagantur, non autem in aliis honestis personis, quae solum *momentanee* vagae sunt. Ergo in iure novo retinenda sunt in hac parte eadem principia, quae iure antiquo vigebant.

Porro principia antiqua quoad substantiam retineri videntur: si 1) Ordinarii licentia non requiratur pro his, qui a brevi tempore domicilium reliquerunt (v. gr. a mense, vel ab alio tempore taxative determinando); si 2) illa licentia Ordinarii requiratur pro his qui nullibi retinent domicilium, eo quod vel nullibi habebant, vel illud a longo tempore reliquerunt (v. gr. a tempore sex mensibus longiori); si 3) pariter licentia Ordinarii requiratur pro his, qui in parochia ubi matrimonium volunt celebrare iam contraxerunt domicilium, sed cum antea fuissent habitualiter vagi, nondum in parochia recentis domicilii menstruam commorationem protraxerunt.

Quare proposito dubio, sic censeo respondendum:

Affirmative, salva tamen dispositione can. V, § 4 pro iis, qui licet in loco celebrationis matrimonii iam menstruam commorationem traxe-

rint, nullibi tamen domicilium retinent, eo quod vel nullibi illud habebant, vel illud a longo tempore reliquerant; v. gr. a tempore sex mensibus longiore (1).

Dubium V. ***Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.***

Censerem huic dubio responsum dandum esse *negativum*: 1°. quia haec videtur esse legitima decreti interpretatio; nam cum agitur de matrimonio lex diserte dicit posse illud celebrari « coram parocho (vel loci Ordinario) vel sacerdote ab alterutro delegato »; at in canone de sponsalibus nulla fit mentio facultatis delegandi. Iam vero est principium in iure admissum: « Legislator quod voluit expressit, quod noluit tacuit » (Arg. *c. Ad audientiam 12, De decimis III, 30*). Ergo sicut illa delegatio est permissa pro matrimonio, quia legislator eam expressit; ita neganda est pro sponsalibus, hoc ipso quod legislator eam tacuit. — Verum quidem est esse iuris regulam: « Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum » *(reg. 68 iuris in 6)*. Sed haec regula, sicut quaevis alia, suas habet fallentias, inter quas (Reiffenstuel *in hanc reg., n. 5*) merito ponitur illa, quod excipiendus sit casus, in quo ex natura rei vel speciali iuris dispositione factum propriae personae requiratur. Iam vero *ex natura rei,* in hoc casu videtur exclusa delegatio: dubium enim propositum reipsa aequivalet huic: « Potestne parochus (vel loci Ordinarius) delegatione alium constituere testem privilegiatum, cuius sola subscriptio sufficiat ad publicam et authenticam fidem faciendam

---

(1) At non omnia, quae heic tradit eximius Consultor relate ad *vagos,* approbanda esse censemus. Nam prae primis certum est quod decretum *Ne temere* recepit ex integro antiquam disciplinam domicilii, ita ut etiam nunc ad illud acquirendum, praeter animum perpetuo manendi in eodem loco seu paroecia, requiratur et sufficiat factum commorationis etiam per unam diem inibi protractae. E contra decretum *Ne temere* loco quasi-domicilii suffecit menstruam commorationem, quae acquiritur per simplicem habitationem unius mensis moraliter continui in una eademque paroecia, quin necesse sit exquirere animum commorantis. Hoc posito, inter vagos accensendos esse eos dumtaxat arbitramur, qui neque domicilium neque saltem menstruam commorationem in loco matrimonii habent; id enim constat ex can. V, § 2 eiusdem decreti, ubi statuitur quod Ordinarius et parochus licite matrimoniis adsistunt, « constito de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii ». Eadem enim ratione, qua Ordinarius vel parochus fit proprius in ordine ad assistentiam matrimoniis praestandam si saltem unus ex nupturientibus acquisierit domicilium in eadem paroecia, ita etiam si saltem unus ex ipsis in dicta paroecia per mensem continuum commoratus sit *(N. R.)*.

de valore instrumenti a nupturientibus confecti ». Cui quaestioni his terminis aequivalentibus propositae videtur *ex natura rei* responsum dandum esse negativum. Delegatione enim iurisdictio communicatur, non qualitas parochi, nec consequenter munus testis auctorizabilis huic qualitati ex dispositione iuris cohaerens. Certe ex natura rei tabellio, seu notarius vel officialis civilis, qui actus civiles recipere debet, alios in suum locum substituere non potest. Quodsi parochis illa facultas competit alium sibi substituendi pro valida assistentia matrimonio praestanda, illa non ex natura rei, sed ex positiva iuris dispositione est derivanda; ergo cum talis concessio pro sponsalibus non sit facta, legitima decreti interpretatio postulat ut denegetur.

2°. Quibus rationibus accedit nullam hic adesse necessitatem talis facultatis delegandae, cum iam ipsum decretum alio modo providerit, permittendo ut loco parochi (vel loci Ordinarii) duo adhiberentur testes, qui facile, quacumque necessitate occurrente, reperiri poterunt.

Dubium ergo videtur solvendum: *Negative.*

Dubium VI. *Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet Ordinario aut parocho.*

Ante omnia praestat ob oculos ponere quid statuit hac de re decretum *Ne temere*: « Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus ». — Huius dispositionis legitima interpretatio ea videtur esse, ut « quilibet parochus *(saltem si in eius territorio instrumentum fiat)* possit sua subsignatione instrumentum iam a partibus subsignatum reddere authenticum instrumentum validi contractus sponsalitii.

Nam 1°. decretum non facit pro sponsalibus illam distinctionem inter sponsalia valida et sponsalia licita, quam facit pro matrimonio, in quo illa distinctione praemissa, aliquas conditiones requirit pro licita assistentia parochi, quas non requirit pro assistentia valida, ad quam competentem facit quemlibet parochum. Si ergo matrimonium, de cuius valore maior requiritur securitas, valide celebratur apud quemcumque parochum, nupturientes consensum de praesenti exprimunt, idem a fortiori dicendum est de sponsalibus.

2°. Id etiam clarius deducitur ex duplici forma pro valore sponsalium admissa: nam sponsalia contrahi valide possunt scriptura subsignata a partibus et *vel* a parocho *vel* a duobus testibus; sed in hac secunda forma validae celebrationis sponsalium S. C. nullo modo respexit ad locum ubi contrahentes sponsalia celebrarent, nec ad subie-

ctionem propriis parochis debitam; ergo nec in alia forma. Iam vero praecisa ratione loci, ubi sponsalia celebranda sint, et praecisa subiectione ad proprios parochos, iam nulla manet ratio cur unus parochus sit alteri praeferendus. Ergo apud quemcumque parochum sponsi instrumentum conficiant et subsignent simul cum illo parocho, nullus alius parochus poterit iure merito dici praetermissus, cum potuissent sive in eodem sive in alio loco, adhibitis duobus testibus ab omni parocho praescindere.

3°. Ipse finis legis novam suppeditat confirmationem. Finis legis in prooemio decreti clare expressus ille fuit, ut efficaciter impedirentur sponsalia privatim inita, ex quibus ea incommoda redundabant, quae in ipso prooemio ponderantur; iam optimum medium ad vitanda privata sponsalia fuit, ea declarare nulla et simul praescribere determinatam formam qua ipsa fierent publica, exigendo 1) scripturam subscriptam ab ipsis contrahentibus, qua authentica haberetur externa expressio voluntatis contrahentium, sine qua contractus non datur; et insuper; 2) subscriptionem duplicis testis vel unius auctorizabilis, quo fide publica munitum instrumentum haberetur. At ex natura rei et probatis moribus tum fori civilis tum fori ecclesiastici, ad fidem publicam de aliquo instrumento faciendam sufficit quilibet notarius legitime deputatus: ergo pariter ad fide publica firmandum instrumentum sponsalitium, sufficiet quilibet parochus qui a contrahentibus adeatur, omnes enim parochi vi officii sunt publici magistratus ecclesiae et ad hunc determinatum actum auctorizandum per decretum *Ne temere* facti sunt competentes.

4°. Ex inconvenientibus: secus enim aut esset: 1) parochus proprius ratione domicilii aut quasi–domicilii; et hoc non videtur posse dici, quia iterum incideremus in implexissimas et inextricabiles difficultates de quasi–domicilio, quae una fuit ex praecipuis causis novi decreti; unde etiam valor periclitaretur matrimoniorum propter impedimentum publicae honestatis: iam nullitatem matrimonii originem habentem in subtilibus quaestionibus de quasi-domicilio S. C. penitus sublatam voluit. Aut 2) dicendus esset parochus domicilii aut menstruae habitationis, secundum normam stabilitam pro licita assistentia in matrimonio: at quod statutum est de licita celebratione matrimonii, per oppositionem ad eius validitatem, sine ullo fundamento transferretur ad sponsalia, de quorum *valore* solummodo fuit sollicita S. C.; quaestionem vero de liceitate ne attigit quidem.

Solum superest discutiendum an saltem requiratur subscriptio parochi *illius loci* ubi celebratur contractus, ceteris exclusis, id quod iam fuit insinuatum aut propugnatum a pluribus commentatoribus decreti.

Cuius sententiae corollarium esset, non esse valida sponsalia Mediolani celebrata, si subscriptio fieret ab aliquo parocho Bononiensi; nec esse valide sponsalia Romae in parochia S. Mariae Maioris celebrata, si subscriptionem prae se ferrent parochi S. Agnetis. Quae sententia, fundamentum habere videtur in analogia cum matrimonio, ad cuius valorem iuxta praesens decretum sufficit cuiuslibet parochi assistentia, modo « intra ipsius territorium » matrimonium celebretur. Praeterea hanc ipsam sententiam confirmare videtur ordinata fidelium gubernatio, qua hoc ipso quod pro certo territorio certus constitutus est parochus, quilibet parochus debet intra ambitum sui territorii suae auctoritatis exercitium continere nec eam possit extra proprium territorium explicare.

Verum haec sententia non videtur admittenda. Quaerit Schmalzgrueber *(in tit. De fide Instrument. II, 22, n. 8)*, utrum notarius in uno loco creatus possit ubique terrarum instrumenta conficere; ac respondet *intra territorium eius a quo fuit constitutus* posse instrumentum conficere etiam pro extraneis et peregrinis, si ab his rogetur; quia confectio instrumenti non est actus iurisdictionis, sed muneris, quod cuivis impendi potest; quod semel confectum ubique ut publicum et authenticum habendum est, cum vis probandi et fides semel obtenta instrumento non tollatur per loci mutationem. Quae ratiocinatio iure merito in nostro casu applicatur parocho, qui in subsignando instrumento sponsalium vere gerit vices publici notarii ad hoc speciatim designati. Iam vero quilibet parochus ubicumque instrumentum sponsalitium sua subscriptione fide publica muniat, id faciet « *intra territorium constituentis* », sc. Rom. Pontificis; is enim, non Episcopus, parochum constituit publicum officialem in ordinem ad hunc actum auctorizandum, cum haec auctoritas data sit per decretum *Ne temere*, quod est lex pontificia. Ergo modo sit rogatus, in quocumque loco valide sua auctoritate uti poterit (1).

---

(1) Quamvis regulariter et de iure potestatem creandi publicos notarios in Ecclesia habeat solus supremus Princeps nempe Papa, ex recepta tamen consuetudine etiam inferiores magistratus nempe Episcopi notarios constituere valent intra limites propriae dioecesis. Cfr. Pirhing *(lib. 2, tit. 22, n. 8)*, Reiffenstuel *(ibid., n. 260)* et Schmalzgrueber *(loc. cit., n. 4)*. Hinc admittendum quidem est Summum Pontificem decreto *Ne temere* tamquam lege universali creasse in genere officium notariatus quoad sponsalium celebrationem, sicuti prius consuetudine vel lege generali *(Conc. Trid., sess. 24, cap. 13, de Reform.)* institutum fuit officium parochatus; at in specie sunt Episcopi qui, nisi accedat reservatio vel affectio Apostolica beneficii paroecialis, constituunt in propria dioecesi sin-

Sane si mens legislatoris alia fuisset, ac voluisset ut viribus careret instrumentum sponsalitium in territorio paroeciae Sanctae Mariae Maioris subsignatum a parocho Sanctae Agnetis, debuisset praescribere ut in instrumento accurate scriberetur et dies et *locus* in quo confectum est, ut posset inde discerni an a legitimo parocho facta fuisset subscriptio; at talem obligationem designandi accurate *locum* confecti instrumenti non imposuit; ergo evidenter eius mens fuit ut quilibet parochus sufficeret. Quod si id non clare deduceretur ex legitima decreti interpretatione, videretur expedire ut per interpretationem extensivam id decerneretur; secus enim valor sponsalium (et consequenter etiam valor plurium matrimoniorum) dependeret ex limitibus plurium parochiarum in eadem civitate existentium; quod esset contra principium quod huic decreto conficiendo praefuit.

Dubium ergo propositum sic videtur solvendum: *Negative ad primum, affirmative ad secundum.*

Scholion. Simul tamen considerandum est, an expediat huic simplici responso addere *mentem,* in qua parochis commendetur, non strictum praeceptum detur, ut pro celebratione sponsalium, nisi aliud ipsis prudentia ob particulares circumstantias suadeat, nupturientes ad parochum proprium remittant. Quam commendationem videtur suadere: 1) quod parochus proprius melius cognoscet sponsos ac scire facilius poterit, an illis sponsalibus rationabiliter opponantur parentes; vel aliae causae obsint, quae illa reddant illicita; 2) quod ad ipsum parochum proprium pertinet examen sponsorum, investigatio impedimentorum, status liberi probatio etc. Saltem videndum est an expediat praecipere, ut parochus proprius de peractis sponsalibus certior fiat.

Haec habui, quae circa proposita dubia EE. PP. sapienti iudicio definienda aut corrigenda proponerem.

In universitate Gregoriana, die 9 Martii 1908.

PETRUS VIDAL, S. I.

Dubia. I. *Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a decreto* Ne temere *statuta.*

---

gulos parochos ac proinde etiam notarios, de quibus agitur, intra statutam circumscriptionem territorii vel saltem personarum. Quod congruit etiam legi civili ex. gr. italicae, iuxta quam notarii nonnisi intra fines districtus sibi assignati valide conficere possunt instrumenta *(N. R.).*

II. *An in art. XI, § 2 eiusdem decreti sub nomine* acatholicorum *comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium.*

III. *Num exceptio, per Const.* Provida *in Germania inducta, censenda sit uti mere localis, aut etiam personalis.*

IV. *An Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite* « invitati ac rogati », *dummodo tamen* « neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum », *valide matrimoniis assistere possint.*

V. *An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam quasi-domicilii* (1).

VI. *Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram ab alterutro delegato.*

VII. *Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario vel parocho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet Ordinario aut parocho.*

Resolutiones. Quibus dubiis in generali Congregatione diei 28 Martii 1908 propositis Emi Patres S. C. Concilii, omnibus sedulo perpensis, respondendum mandarunt:

Ad I. *Negative* (2).

Ad II. *Affirmative* (3).

Ad III. *Exceptionem valere tantummodo pro natis in Ger-*

---

(1) Hoc dubium, ex officio propositum, quoad redactionem differt ab eo quod prostat in voto Consultoris. Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 41, pag. 280 *(N. R.)*.

(2) Ratio est quia, ut iam alias innuimus, decretum *Ne temere* catholicos ritus latini generatim inhabiles reddit ad nuptias valide ineundas absque forma eiusdem decreti: ita etiam Concilium Trid. *(sess. 24, cap. 1, de reform. matr.)* « omnino inhabiles » reddidit eos, qui matrimonium contrahere attentaverint aliter quam iuxta formam ibidem praescriptam. Laetamur praeterea hodierna decisione auctoritative approbatam esse sententiam, quam in antecessum tuiti fuimus (Cfr. *Acta S. Sedis, vol. 41, pag. 84 in nota)*, nempe per novam disciplinam abolitum logice fuisse quoad clandestinitatem privilegium, vi cuius pars exempta communicabat propriam exemptionem parti non exemptae *(N. R.)*.

(3) Huc referuntur quae iam praeoccupata sunt in *Acta S. Sedis, vol. 41, pag. 85 cum nota (N. R.)*.

mania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum SSmo (1).

Ad IV. *Affirmative* (2).

Ad V. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* (3).

Ad VI. *Negative* (4).

Ad VII. *Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi* (5).

Die autem 30 dicti mensis Martii SSmus Dnus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, supra relatas Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et approbavit, quibuslibet in contrarium minime obstantibus.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praefectus.*

B. Pompili, *Secretarius.*

---

(1) Exceptio in casu induit naturam privilegii, quod, cum militet contra ius commune nuper inductum, stricte interpretandum est iuxta can. *Porro* 7, et can. *Sane* 9, *de privilegiis.* Excluduntur proinde etiam simplices domiciliati in Germania ibique matrimonium contrahentes. Imo, si credere velimus P. Ferreres (Comm. in *Los esponsales y el matrimonio,* ed. 2, pag. 205 in nota), Constitutio *Provida* nonnisi naturam precariam induere videtur; censet enim « que la Const. *Provida* tiene carácter de medida provisoria y así deben procurar los Ordinarios de Alemania disponer las cosas de modo que allí pueda regir cuanto antes el decreto *Ne temere* en toda su plenitud » *(N. R.).*

(2) Quaelibet enim invitatio et rogatio, dummodo absque vi et motu facta, in casu sufficit; finis enim legis fuit ut e medio tollerentur sic dicta matrimonia ex inopinato seu vulgo *per sorpresa* inita *(N. R.).*

(3) Ergo in themate quasi-domicilio suffecta est menstrua commoratio *(N.R.).*

(4) Delegatio in casu neque admittitur a decreto *Ne temere,* neque recte concipi potest, quum officium ad instar notariatus alteri delegari valide nequeat *(N. R.).*

(5) Rationem huius resolutionis iam supra (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 41, pag. 286 in nota) attingimus; modo tantum addimus, nihil prohibere quominus Ordinarius vel parochus extra proprium territorium valide subscribat acta sponsalitia tamquam *simplex testis* (non autem *auctorizabilis*), dummodo tamen alterum testem sibi adsciscat iuxta decretum *Ne temere (N. R.).*



EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM

De typica editione Vaticana Gradualis Romani (1).

Hanc Vaticanam Gradualis Sacrosanctae Ecclesiae Romanae Editionem, Sacra Rituum Congregatio, attentis atque confirmatis Decretis suis, datis diebus 11 et 14 Augusti anni 1905 (2), uti authenticam ac typicam declarat et decernit; quippe quae pro Missis de Tempore et de Sanctis, necnon et pro Missarum Ordinario, Cantum gregorianum exhibet, prout is fuit a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X feliciter restitutus, ipsiusque iussu et auctoritate diligenter ac rite revisus et recognitus. Ea quidem fuit totius operis norma, quam varia plane instituerant et iniunxerant documenta Pontificia, et perspicue rursus ac plenius exponit et inculcat Commentarium de ratione editionis Vaticanae Cantus Romani, quod Graduali praemittitur (3).

Haec autem Editio, ut in usum apud omnes ecclesias hic et nunc deveniat ita sancitum est, ut caeterae quaelibet Cantus Romani Editiones, ad tempus tantummodo iuxta Decreta praedicta toleratae, nullo iam in futurum iure gaudeant, quo typicae substitui possint (4).

Quo vero forma Cantus aptius posset restitui, restitutae

(1) Nuper in lucem prodiit ex typis Vaticanis (Romae, 1908) Graduale Sacrosantae Romanae Ecclesiae de Tempore et de Sanctis SS̃mi D. N. Pii X Pont. Max. iussu restitutum et editum, cui addita sunt festa novissima *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 38, pag. 114 et 240.

(3) In fronte Gradualis extat praevium commentarium, in quo redditur ratio laboris praestiti in hac editione curanda. Dein vero ut consulatur eorum commodis, qui libris choralibus usuri sunt, nonnulla addita sunt de notularum cantus figuris et usu, nec non de ritibus servandis in cantu Missae *(N. R.)*.

(4) Editio Gradualis praescribitur omnibus ecclesiis ritus romani, non exclusis Regularibus; in posterum proinde quicumque liber Gradualis, qualibet etiam Pontificia approbatione munitus, sensim sine sensu et quamprimum amoveri debet a locorum Ordinariis *(N. R.)*.

sunt etiam nonnullae hic illic quoad verba lectiones, quamvis ab hodierno textu Missalis alienae. Quarum restitutio, quum ab ipso Summo Pontifice, in audientia die 14 Martii anni 1906 Emo Cardinali Pro-Praefecto huius Sacrae Congregationis indulta, expresse fuerit approbata atque praescripta, in futuris Gradualis Editionibus omnino erit observanda (1).

Iuxta tenorem quoque utriusque Decreti suprascripti, ad eos tantum editores seu typographos, quibus id a Sede Apostolica conceditur, pertinet privilegium evulgandi eumdem Cantum, qui, quum sit vetus Ecclesiae Romanae patrimonium, eiusdem prorsus extat proprietas (2). Cautum est insuper, ne quid quovis praetextu editores praesumant addere, demere aut mutare, quod ipsius Cantus integritati atque uniformitati discrimen inferat. Qualiscumque igitur Editio Cantus gregoriani ad usum liturgicum destinata, ut sit legitima, et ab Ordinario queat permitti, debet esse typicae huic omnino conformis, quoad ea praesertim, quibus sive in praefatis Decretis, sive in alio diei 14 Februarii anni 1906 specialiter provisum est (3).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 Augusti 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

(1) Ad servandam melodiae antiquae integritatem etiam textus liturgicus iuxta antiquos codices restitutus fuit. At quamvis nonnullae habeantur lectiones variantes inter novum Graduale et vetus Missale, tamen, usquedum aliter S. Sedes statuerit, nil prohibet quominus Celebrans submissa voce legat Missam iuxta textum Missalis, et cantores decantent iuxta textum Gradualis *(N. R.)*.

(2) Hinc etiam in fronte Gradualis legitur haec adnotatio diei 12 Martii 1908: « Iuxta tenorem authenticorum decretorum, ius proprietatis sibi vindicat Typographia Vaticana. Privilegium typis evulgandi cantum, qui in hoc Graduali typico continetur, ad eos tantum editores seu typographos pertinet, quibus id a Sede Apostolica conceditur; hoc tamen privilegio ipsis nullo pacto ius proprietatis confertur in hunc cantum » *(N. R.)*.

(3) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 39, pag. 53.

Varianda et addenda in Martyrologio Romano.

Tertio Idus Februarii (11 Februarii).

Lapurdi in Gallia, Apparitio Beatae Mariae Virginis Immaculatae (1).

Pridie Idus Februarii (12 Februarii).

In Etruria, apud montem Senarium, Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui post asperrimum vitae genus, meritis et prodigiis clari, pretiosam in Domino mortem obierunt. Quos autem in vita unus verae fraternitatis spiritus sociavit et indivisa post obitum populi veneratio prosecuta est, Leo decimus tertius una pariter Sanctorum fastis accensuit (2).

URBIS ET ORBIS

Suprascriptas variationes atque additiones Martyrologio Romano inserendas, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, benigne approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 11 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

(1) Huiusmodi additio facta est ad tramitem recentis decreti *Urbis et Orbis* diei 15 Nov. 1907 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 747), quo Pius PP. X festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae vulgo *de Lourdes* ad universam ecclesiam extendit illudque sub ritu duplici maiori quotannis die undecima Februarii recolendum iussit *(N. R.).*

(2) Quum igitur dies undecima Februarii modo impedita sit a festo Apparitionis B. M. V. Immaculatae, necesse fuit, festum SS. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. M. V. ad alteram diem transferre una simul cum elogio Martyrologii Romani, uti eruitur ex nuperrimo decreto diei 8 Ian. 1908 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 41, pag. 113) *(N. R.).*

NICOSIEN.

De abusu sedium cameralium in Missis et Vesperis.

Postulato Rm̃i Episcopi Nicosiensis: an, attenta vetusta consuetudine, permitti aut tolerari possit sedes cameralis, instructa brachiis et fulcimento pro humeris, loco scamni oblongi, pro celebrante et ministris in Missis et Vesperis cum cantu? Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam Commissionis Liturgicae voto, respondendum censuit: Legatur Caeremoniale Episcoporum lib. I, cap. XII, n. 22, et lib. II, cap. III, n. 4; et dentur decreta n. 2289 *Terulen.* 20 Augusti 1729 ad 3 et 4; n. 2621 *Dubiorum* 17 Septembris 1822 ad 6; n. 3104 *S. Iacobi de Cile* 14 Martii 1861 ad 4, et n. 3804 *Goana-Dubia varia* 16 Iunii 1893 ad XI (1).

Atque ita rescripsit, die 14 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Indulgentia pro iaculatoria "Signore conservateci la fede „

Beatissimo Padre,

Il sac. Cesare Pecorari, canonico in quest' alma città di Roma, prostrato al bacio del sacro piede, umilmente implora

(1) Caeremoniale Episcoporum *(loc. cit.)* praecipit scamnum oblongum coopertum tapete aut panno; decreta vero S. C. Rituum reprobant usum sedium cameralium, eumque eliminandum mandant, non obstante consuetudine in contrarium faciente. Cfr. etiam Instructio Clementina, § 25; Gardellini ad decretum diei 27 Martii 1834; De Herdt, *Praxis Pontificalis, tom. 1, n. 99; et tom. 2, n. 38 (N. R.).*

qualche indulgenza per i fedeli che reciteranno la seguente giaculatoria: *Signore conservateci la fede!*

Che della grazia ecc.

Ex audientia SSmi, die 20 Martii 1908.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X universis christifidelibus, qui, corde saltem contrito ac devote supra propositam precem recitaverint, quoties id egerint, indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 20 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretario
Ios. Maria Can. Coselli, *Substitutus.*



Indulgentia plenaria toties quoties lucranda pro pio exercitio Scalae Sanctae in Urbe.

Beatissimo Padre,

Il padre Fausto del Nome di Maria, Passionista, superiore nel Santuario della Scala Santa, prostrato al bacio del s. piede, espone quanto segue:

Secondo la *Raccolta* autentica delle SS. Indulgenze (Roma, tipografia della S. C. di Prop. Fide, 1898), è stata accordata dai Sommi Pontefici l'indulgenza parziale di *9 anni* per ciascun gradino della *Scala Santa,* da lucrarsi da chi devotamente la salga ginocchioni, pregando o meditando la Passione di N. S. G. C. (1).

(1) Pius VII decreto *Urbis* diei 2 Sept. 1817, inhaerendo concessionibus Leonis IV et Paschalis II, confirmavit et, quatenus opus sit, de novo impertitus est indulgentiam novem annorum pro quolibet gradu Scalae Sanctae Urbis *(N.R.)*.

Ora, ad animare vieppiù la pietà dei fedeli, l'umile oratore supplica la S. V. a volere inoltre accordare, come generalmente è concesso ad altri Santuari, che i fedeli i quali compiano il predetto pio esercizio confessati e comunicati, e preghino secondo la mente della S. V., possano conseguire l'***indulgenza plenaria,*** applicabile anche alle anime del purgatorio.

Che ecc.

Iuxta preces in Domino et in perpetuum; quin imo indulgentiam plenariam toties quoties libenter in Domino concedimus (1).

Die 26 Februarii 1908.

PIUS PP. X



EX S. C. VISITATIONIS APOSTOLICAE



NOTIFICATIO

De Visitatione Apostolica in oratoriis privatis Urbis.

A tenore delle prescrizioni e facoltà della Sacra Visita Apostolica per la città e diocesi di Roma, come dalla Bolla *Cum arcano Dei consilio,* 11 febbraio 1904 e dal Breve Apostolico *Quae Nostra fuerit mens,* 3 marzo 1904 (2), dovendosi visitare anche gli oratorii privati, si intima a tutti i Luoghi Pii e agli ecclesiastici e laici, che per qualunque titolo o privilegio godono dell'oratorio privato (fatta unicamente eccezione per gli Emi e Rmi Signori Cardinali resi-

(1) Speciali nota dignum est praesens rescriptum, quo Pontifex, ultra petita, privilegiatam indulgentiam concedit *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 332 et 335.

denti in Curia) o possiedono cappelle funerarie approvate per la celebrazione della S. Messa, di darne denunzia, non più tardi del 30 corrente aprile, alla Segreteria del Vicariato di Roma, dalla quale ritireranno l'apposito questionario, che, debitamente riempito, dovrà essere rimesso alla stessa Segreteria prima della fine del mese di maggio p. v. (1).

Non ottemperandosi a questa disposizione, col primo del prossimo maggio, per espresso volere del S. Padre, verrà a cessare qualunque facoltà o privilegio per il rispettivo oratorio. Rimane quindi gravemente proibito ai sacerdoti del clero secolare e regolare di qualunque grado e condizione, di celebrare dal 1° di maggio prossimo la santa Messa in qualunque oratorio privato se non saranno certi che si sia compiuta la prescritta denunzia.

Dalla Nostra residenza, li 2 aprile 1908.

P. Respighi Card. Vicario, *Presidente.*

Mauro Bernardo Nardi, Vesc. tit. di Tebe, *Segretario.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 37, pag. 403.



ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pius X gratulatur Card. Archiepiscopo Toletano ob quinquagesimum annum sacerdotii.

DILECTO FILIO NOSTRO
CYRIACO MARIAE TIT. S. PETRI IN MONTE AUREO
S. E. R. PRESBYTERO CARDINALI SANCHA Y HERVÁS
ARCHIEPISCOPO TOLETANORUM

TOLETUM.

PIUS PP. X

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Laeti libentesque, redeunte prope diem memoria anni quinquagesimi ex quo initiatus sacerdotio es, tuae participes iucunditatis, ominato et gratulando existimus. Plurimum equidem commodi, sive religioni, sive civili omni cultui, sacerdotii et episcopatus tui tempora crearunt: haeretque in Hispanorum Ecclesia, velut principum pastoralis sollertiae tuae facinorum, recordatio quum primi catholicorum Hispaniae in Matritensi urbe congressus tum primi Nationis tuae, Eucharistiae honorandae caussa, conventus, tum denique clarae illius peregrinationis opificum, quae religiosa populi studia tam est testata feliciter. Quamobrem simul de celebritate iubilari tua, simul de praeclare factis gratulationem praebemus dumque eam in rem exoramus enixe Deum ut illustri tibi providoque Praesuli plures addat eosque frugiferos annos, auspicem caelestium munerum Nostraeque dilectionis pignus Apostolicam benedictionem peramanter tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX Februarii MCMVIII, Pontificatus nostri anno quinto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pius PP. X laudat edentes Commentaria a "Nova Gallia" nuncupata.

VENERABILI FRATRI
LUDOVICO NAZARIO
ARCHIEPISCOPO QUEBECENSIUM.

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nunciasti nobis inter ceteras qui istic strenue pro religione operantur, non in postremis censeri eos qui Commentaria edunt, quibus a *Nova Gallia* nomen inditum. His videlicet id est propositum Apostolicae Cathedrae documenta tueri, ac duce Thoma Aquinate scientiarum tum naturalium tum divinarum sanam curare progressionem. Scimus autem, ex testimonio tuo, egregios homines propositos hucusque stetisse constanter, suisque studiis ac laboribus non parum contulisse ac conferre ad communem in vestratibus tam Ecclesiae quam civitatis utilitatem. Placet igitur ad optimam voluntatum confirmationem, dilecto filio Lionello Sindsay qui commentariis edendis praeest, ceterisque dilectis filiis qui suam eisdem dant operam, laudationem publice impertiri, eosque hortari ut, Antistiti suo semper addicti ac Beato Petro in Nobis semper obedientes, ne absistant coeptis, sed in tanta opinionum fallacia atque errorum colluvie, quae vera unice, quae recta sunt atque tuta defendant. Testem caritatis Nostrae ac munerum divinorum auspicem, tibi, Venerabilis Frater, praedictisque dilectis filiis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Qua Pontifex gratias agit ob comparatam domum pro Internuntio Apostolico Reipublicae Argentinae.

VENERABILI FRATRI

MARIANO ANTONIO ARCHIEPISCOPO BONAERENSI

BONUM AEREM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Studiosa erga Iesu Christi Vicarium voluntas Argentinorum, Nobis quidem satis superque iam cognita, non miramur, si vel luculentior apparet hoc tempore, quum agentes, Dei beneficio, annum sacerdotii Nostri quinquagesimum, praeclaris catholicarum gentium officiis recreamur. Pignus enim sane splendidum istius voluntatis Nobis, te auctore, oblatum est, Venerabilis Frater: qui quum animadvertisses non admodum decere eum, qui personam apud vos gereret Pontificis Romani, id est, Parentis publici, habitare in conducto, opitulandum communiter esse censuisti tenuitati Nostrae; consiliumque inivisti, collecta stipe ab omnibus ordinibus civium, comparare domum Apostolicae Sedi attribuendam uti propriam, in usum Internuntii Apostolici. Equidem, ubi coepti feliciter patrati significationem a te accepimus, quam gratum id accidisset, vicissim significavimus. Nunc autem, quando misisti ad Nos qui solemnem huius muneris traditionem faceret, occasione libenter utimur testificandi melius animi Nostri; eo magis quod ex allato diagrammate perspicimus ita aedes instructas et ornatas esse, ut nulli vos sumptui pepercisse videamini. Igitur gratias primum tibi, easque merito tuo maximas, agimus et habemus, cuius cura atque instantia nobile monumentum publicae in Nos pietatis constitutum est; tum ceteris omnibus, quorum liberalitate exequi propositum tibi licuit. Christus vero, quoniam ad Ipsum redundat, quid-

quid Vicario Suo confertur officii, quin vos, universos et singulos, uberrime sit remuneraturus, non est dubium. Id certe Nos enixe precamur: in primis, ut quae vobis auspicato intercedit cum Successore beati Petri tanta necessitudinis coniunctio, hanc perpetuo conservet et foveat. Auspicem interea divinorum munerum, ac testem peculiaris benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, tuis in Episcopatu Collegis, atque omni clero et populo Reipublicae Argentinae Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIV Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Indulgentia toties quoties pro visitantibus ecclesias congregationis SS. Sacramenti in festo Corporis Christi.

PIUS PP. X

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Neminem latet festum SSmi Corporis Christi Domini inter alias Ecclesiae sollemnitates omni modo eminere, ideoque Nobis nihil est antiquius quam ut dies quo Mysterium illud recolitur etiam caelesti indulgentiarum thesauro per universum terrarum orbem eniteat. Hoc consilio votis hodierni superioris generalis Congregationis SSmi Sacramenti ultro libenterque annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, de speciali gratia, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, quoties a primis Vesperis ad occasum solis sollemnitatis Corporis Christi, ecclesiam quamcumque ipsius Con-

gregationis SSmi Sacramenti ubique terrarum existentem devote visitent, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxx Iulii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

Pro Dño Card. MACCHI
N. Marini.

Breve SS. D. N. Pii div. prov. PP. X quo sacerdotibus qui operam suam impendent pio Operi Propagationis Fidei facultas benedicendi Rosaria eisque adnectendi indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas conceditur.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Nobis Apostolorum Principis Cathedram obtinentibus antiquius nihil sit magis, quam ut catholicum nomen latius per orbem propagetur et inter gentes longo terrarum marisque spatio disiunctas errorum umbram Evangelii lumen depellat, pias fidelium societates, quae ad sacras expeditiones provehendas intendunt et divini verbi praecones stipe corrogata sustentant, peculiaribus privilegiis ac spiritualibus gratiis cohonestare ac ditare satagimus. Hoc quidem consilio, cum Conciliorum centralium Praesules pii Operis Propagationis Fidei Nos enixis precibus flagitaverint, ut sacerdotibus, qui operam suam praedicto Operi impendent, ve-

niam largiri dignaremur benedicendi Rosariis, sive Coronis precatoriis, eisque applicandi indulgentias, quae a Patribus Crucigeris vulgo appellantur, Nos piis huiusmodi precibus annuendum libenter existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, cuicumque sacerdoti, cui nunc et in posterum ubique terrarum munus demandatum fuerit in aliqua poroecia aut in aliqua Communitate colligendi eleemosynas pro pio Opere Propagationis Fidei, quantacumque sit pecuniae vis, quae ab ipso colligatur, atque etiam illi, qui de propria stipe in capsam eiusdem pii Operis inferat pecuniae summam illi parem, quam una Decuria solveret, et cuique pariter sacerdoti, qui ad quodcumque Concilium seu Comitatum ipsi pio Operi dirigendo vel promovendo pertinet, aut etiam qui ab Episcopo designatus rector dioecesanus omnibus fungitur muneribus, quae forent explenda per Concilium seu Comitatum eiusdem pii Operis, nec non sacerdoti qui in anno summam respondentem mille subscriptionibus in capsam pii Operis intulerit, undecumque eam acceperit, durante respectivo munere, facultatem concedimus benedicendi unico Crucis signo, de consensu Ordinarii loci in quo dictam facultatem exerceat, Rosaria sive Coronas precatorias, eisque adnectendi indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas, nempe indulgentiam quingentorum dumtaxat dierum, defunctis quoque applicabilem, a christifidelibus lucrandam, quoties aliquam ex eisdem Coronis manu gerentes Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam devote recitaverint, dummodo tamen Coronae ita benedicendae iuxta typum Coronarum SSmi Rosarii B. M. V. fuerint confectae. Tandem largimur, ut, si forte contingat pecuniae summam durante anni curriculo colligendam esse praestituta minorem, nihilominus sacerdoti, qui anno praecedente summam integram collegerit, fas esto dicta benedicendi Coronis facultate uti ad finem usque vertentis compu-

tationis. Et sacerdoti similiter, qui una vice ex aere proprio in capsam pii Operis summam intulerit, quae illam aequet, quam mille adscripti solverint, ut sua naturali durante vita praedicta facultate gaudere possit ac valeat praesentium tenore concedimus. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die I Februarii MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status.*



ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ORDINIS S. MARIAE DE MERCEDE

Professio votorum simplicium, in Ordine votorum solemnium emissa, non inducit vacationem beneficii (1).

Beatissime Pater,

Parochus S. Mariae N., archidioecesis Compostellanae, ab Archiepiscopo licentiam expetivit Religionem ingrediendi,

---

(1) Vacationem beneficiorum nonnisi per regularem seu solemnem professionem induci constat inprimis ex cap. *Beneficium, de Regul. in 6°,* quo statuitur, beneficium ingredientis religionem non esse alteri conferendum nisi expressa vel saltem tacita intercesserit professio. Ibi agi de solemni non autem de simplici professione nullum dubium; haec enim inducta dumtaxat fuit pro viris regularibus a Pio IX per decretum *Neminem latet* diei 19 Martii 1857, et dein a Leone XIII per aliud decretum *Perpensis* diei 3 Maii 1902 extensa ad moniales. Quapropter Benedictus XIV in Const. *Ex quo dilectus* diei 14 Ianuarii 1747 haec addit: « Pro eo tempore, quod inter ingressum in Ordinem regularem et professionem solemnem intercedit, debet Episcopus quoad beneficia curata, id ipsum agere quod alias praestare consuevit, cum parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero choralia, relictis tyroni religioso, qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet ut iura praescribunt ». Imo Piat *(De Prael. iuris Regul., vol. 1, pag. 179, ed. 3),* innixus auctoritate doctorum quos citat, prosequitur: « Si Episcopus beneficium alteri antea (*videlicet ante solemnem professionem*) contulerit, necessaria est nova collatio, quum prior omnino nulla fuerit, nec per professionem confirmata fuerit ». Olim quidem dubitatum fuit, ut refert idem Benedictus XIV in citata Const., « an vota simplicia quae a clericis regularibus Societatis Iesu post biennium probationis emittuntur, huiusmodi beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta fuit, etc. ». Hoc ipsum patet instituta comparatione inter beneficii vacationem et renuntiationem eiusdem aliorumque bonorum; finis enim legis canonicae idem est in utroque casu, nempe servandi religioso nondum solemniter professo plenam et integram libertatem, ne scilicet, suis bonis et beneficio privatus et egestate pressus, invitus professionem solemnem emittere cogatur. Iamvero Conc. Trid. *(sess. 25, cap. 16, de Regul.)* statuit, nullam et

qua obtenta, Novitiatum incepit et perfecit in quodam conventu Ordinis S. Mariae de Mercede in dioecesi Lunen. sito, Peracta autem professione votorum simplicium, consideravit se adhuc in possessione praedictae parochiae, allegans vacationem beneficii tantum habere locum postquam vota solemnia emiserit. Verum cum divisio votorum in simplicia et solemnia non mutet naturam ipsorum, et aliunde Archiepiscopus Compostellanus concursum celebraturus sit ad parochias vacantes in dioecesi, simul recogitans residentiam parochialem esse de iure divino, quam tamen servare non potest praedictus

---

irritam esse quamlibet renuntiationem aut obligationem, « nisi ipsa fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non intelligatur effectum suum sortiri nisi secuta professione ». Et Benedictus XIV *(loc. cit.)* hunc canonem etiam de renuntiationibus beneficiorum interpretatur, aiens: « Neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem ». Explicitius Pius IX in audientia diei 1 Augusti 1862 Secretario S. C. EE. et RR. concessa, quum proposito sibi dubio, quandonam professi votorum simplicium, qui dominium radicale suorum bonorum retinere possunt in Ordinibus votorum solemnium, emittere possint renuntiationem, de qua Conc. Trid. *sess. 25, cap. 16 de Regul.* agit; statuit et constituit huiusmodi « renuntiationem pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium ». Quod autem valet de renuntiatione bonorum vel beneficii ob eamdem rationem valere dicendum est quoad beneficiorum vacationem ipso facto inducendam. Haec dicta sunt de professis votorum simplicium in Ordinibus votorum solemnium; nam relate ad congregationes et instituta votorum dumtaxat simplicium aliter iudicandum est. Siquidem iuxta *Normas* S. C. EE. et RR. diei 28 Iunii 1901, art. 119 et 121 professi (sive mares sive foeminae) prohibentur abdicare dominium radicale suorum bonorum ante vota perpetua per actus inter vivos; post vota perpetua, ut ipsi licite se spoliare possint dominio radicali omnium bonorum suorum per actus inter vivos, requiritur licentia S. Sedis. Relate vero ad beneficiorum renuntiationem vel vacationem, nisi aliter statutum sit in particularibus constitutionibus, haec generalis regula tenenda esse videtur, ut nempe professio perpetua votorum simplicium inducat vacationem beneficiorum residentialium, non autem simplicium, quemadmodum iudicavit S. C. EE. et RR. die 28 Iulii 1837 ad 3 (Cfr. Bizzarri, pag. 474) quoad congregationem Oblatorum B. M. V., et die 25 Aug. 1903 (Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 36, pag. 287) quoad congregationem Missionariorum Immaculati Cordis B. M. V. Filiorum *(N. R.)*.

parochus, et votum paupertatis componi non posse cum quacumque proprietate etiam beneficii, ad pedes S. V. humiliter provolutus enixe petit ut declarare dignetur:

I. An professio votorum simplicium facta a dicto parocho S. Mariae inducat ipso facto vacationem parochiae.

II. An Archiepiscopus possit illam includere in censu parochiarum vacantium.

Et Deus etc.

Sacra vero Congregatio Episcoporum et Regularium super praemissis dubiis responderi mandavit:

Ad I. Negative.

Ad II. Provisum in primo.

Romae, die 30 Martii 1908.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*

IANUEN.

Confirmatur decretum dismembrationis et erectionis novae paroeciae.

Factispecies. In archidioecesi Ianuensi extant paroecia S. Syri loci vulgo *Nervi*, a qua dependet vicus *Caprafico* nuncupatus, nec non paroecia S. Petri oppidi *Quinto*, cui pertinet pagus *Murcarolo*. Iam ab anno 1899 incolae horum vicorum seu vulgo *frazioni* preces obtulerunt Archiepiscopo praedecessori, ut eos dismembraret a propriis paroeciis atque erigeret in parochiam autonomam in ecclesia pagi *Caprafico* Mariae SSmae in coelum assumptae dicata ac antehac tamquam succursali habita paroeciae S. Syri. Verum Archiepiscopus Reggio, attentis praecipue strenua parochorum interesse habentium oppositione et exigua dote paroeciae erigendae, rem ad aliud tempus differre censuit.

Quum autem ad Sedem Ianuensem promotus fuerit actualis Archiepiscopus, hic, iteratis sibi precibus benigne exceptis, processum canonicum prius instituit super earum veritate ac super causis dismembrationis, dein vero edictum novae erigendae paroeciae affigi mandavit ad valvas ecclesiarum de quibus agitur ad opponendum, et insimul canonicum Remaggi, qui paulo antea a paroecia loci *Nervi* promotus fuerat ad canonicatum metropolitanae Ianuensis, in defensorem assignavit eiusdem paroeciae vacantis S. Syri. Qui utique dismembrationem admisit, sed coarctare conatus est assignata confinia novae paroeciae, excludendo nempe tres portiones *Pian di Buso, Pian di Spiaggia* et *Via Cristoforo Colombo* denominatas, quae opus erant paroeciae loci *Nervi,* et quarum habitatores adversabantur dismembrationi. Etiam parochus oppidi *Quinto* impugnavit quosdam fines ad occidentem fractionis *Murcarolo* (1).

Hisce tamen haud obstantibus Archiepiscopus Pulciano, praehabito Capituli metropolitani consensu, sub die 2 Dec. 1905 edidit decretum dismembrationis et erectionis novae paroeciae, eidem assignans limites naturales vel municipales cum 2451 incolis. Subsequentibus dein decretis sacerdos Magnasco nominatus est rector novae paroeciae, atque determinatus est annuus canon a filiali paroecia in signum reverentiae praestandus duabus ecclesiis matricibus; nempe paroeciae S. Petri Missa gratuita in duabus praecipuis solemnitatibus, duae annuae collectae in fractione *Murcarolo* peragendae, nec non annua pensio libellarum 200 favore actualis parochi; paroeciae autem S. Syri, praeter memoratam Missam gratuitam et duas collectas in fractione *Caprafico,* loco pensionis decretus fuit annuus cereus trium librarum. Novae paroeciae ita constitutae concessum fuit etiam placitum

(1) Pro paroeciarum dismembratione audiendi quidem sunt parochi interesse habentes, sed ipsorum consensus minime requiritur *(N. R.).*

regium, et novus electus rector possessionem sui beneficii sub finem anni 1906 consequi valuit.

At contra decretum erectionis ad hanc S. C. EE. et RR. recursum obtulit fabriceria paroeciae S. Syri, petens abrogationem ipsius decreti vel saltem strictierem delimitationem finium paroecialium et maiorem compensationem favore paroeciae loci *Nervi*.

Animadversiones. Quoad primum infrascriptum dubium patronus Archiepiscopi Ianuensis praemittit, quod vi Conc. Trid. *(sess. 21, cap. 4 de reform.)* « Episcopi, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus in quibus, ob locorum distantiam sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, iuxta formam Const. Alexandri III, quae incipit *Ad audientiam*, constituere possunt ». Item translatitium esse contendit, quod licet in iure odiosissima, utpote alienationem sapiens, sit dismembratio paroeciarum, ideoque Sacra Congr. Concilii eam non permittat nisi impellente necessitate vel saltem ex vera utilitate; nedum ob locorum distantiam verum etiam ob populi numerositatem aut gravem fidelium anthipatiam aliquando imposita est dismembratio. Ita maius populi commodum causa sufficiens dismembrationis recognitum est in *Iporegien.* 23 Augusti 1879, quamvis distantia non aequaret milliarium cum dimidio; pariter in *Neten.* 26 Apr. 1879 erectio novae paroeciae decreta fuit propter auctum fidelium numerum, ceu videre est etiam in aliis causis ibidem citatis; item quoad anthipatiam evincunt causae in *Lunen. et Sarzanen.* 12 Iulii 1817 et in *Ventimilien.* 8 Aug. eiusdem anni, et docet De Luca *(disc. 16 ad sess. 21, cap. 4 Conc. Trid.)*.

Atqui in themate non solum omnes adamussim servatae sunt solemnitates a iure requisitae, sed etiam adsunt causae canonicae pro dismembratione decernenda. Habetur enim di-

stantia unius fere milliarii ex qua oritur grave incommodum, saevientibus praesertim imbribus et ventis, accedendi ad ecclesiam oppidi *Nervi* pro assistendis divinis officiis, baptizandis neonatis, sepeliendis denique defunctis. Quod postremum valet praecipue quoad fractionem *Murcarolo,* quae ecclesiastice pertinet ad paroeciam loci *Quinto,* civiliter vero ad municipium loci *Nervi,* in cuius coemeterium deferenda essent corpora mortuorum. Anthipatia demum vicorum *Caprafico* et *Murcarolo* adversus proprias paroecias eo processit, ut ipsum municipium loci *Nervi* instaret pro dismembratione penes civilem et ecclesiasticam auctoritatem. Insuper nova paroecia praeter congruam dotem libell. 25,000, instructa est apta ecclesia, domo parochiali et sacra supellectili.

Transiens deinde advocatus ad alterum propositum dubium, adnotat in primis confinia novae paroeciae esse vel naturalia, uti rivum, mons et mare, vel publica seu municipalia. Porro, quemadmodum legitur in una *Comen.* S. C. C. diei 20 Maii 1882, exploratum est in iure quod cum agitur de parochiis dividendis, quorum fines perpetui et inamovibiles esse debent, tunc non pactitii fines sed naturales adhibentur, cuiusmodi sunt colles et cursus aquarum. Relate vero ad decretam praestationem addit ipse, hanc non inducere naturam verae compensationis sed esse dumtaxat signum subiectionis. Ita in *Comen.* 24 Apr. 1880 S. C. Concilii confirmavit canonem ab Episcopo statutum, quia hic ecclesiae matrici in obsequii atque reverentiae signum a nova parochia adhibendus consistere debet in exiguis praestationibus vel in re parvi momenti. Iamvero in casu, iuxta ipsum, per congruam annui census praestationem et per continuum augmentum populationis, sat sufficienter repensum est damnum a dismembrata paroecia S. Syri passum.

Ex adverso patronus fabriceriae ecclesiae S. Syri, quibusdam delibatis circa statum iuridicum et oeconomicum paroeciae loci *Nervi,* nec non circa originem et modum per-

actae dismembrationis in vacante paroecia, in iure advertit iuxta Const. Alexandri III *Ad audientiam (Decret. lib. 3, tit. 48, cap. 3)* et Conc. Trid. *(loc. cit.)*, nec non iuxta communem doctorum sententiam, uti De Luca *(de parochis, disc. 35, n. 6)*, Pignatelli *(Cons. can. 222, n. 20)* Fagnanus *(in cap. Ad audientiam, de eccl. aedif.; n. 13)* et Bouix *(de parocho, part. 2, cap. 4, prop. 1)*, unicam causam canonicam dismembrationis paroecialis esse grave incommodum et magnam difficultatem accedendi ad ecclesiam matricem pro sacramentis accipiendis et divinis officiis audiendis. Atqui in casu desideratur magna illa distantia, quae communiter idonea aestimatur ad dismembrationem obtinendam, qualis esset duplicis milliarii, ut docet Ursaya *(discept. 14, n. 11)*, et tradit Rota *(dec. 39, n. 4, coram Peutinger)*. Item deest grave incommodum et difficultas accessus fidelium ad ecclesiam parochialem S. Syri. Idque eo vel magis tenendum ait, quia heic non verificatur magna populi multitudo, quum paroecia loci *Nervi* vix attingat sex millia hominum. Item assistentiae spirituali fidelium, praeter quam in ecclesia parochiali S. Syri, sat provisum erat per deputationem cappellani coadiutoris in ecclesia vici *Caprafico*. Accedit quod paroecia oppidi *Nervi* non amplius ducere potest processiones, quum unica via ad mare inveniatur in fractione *Caprafico*. Hinc advocatus petit ut saltem limites novae paroeciae coarctentur.

Dubia. I. *An decretum Archiepiscopi Ianuensis diei 2 Decembris 1905 sustineatur in casu.*

II. *An deveniendum sit ad correctionem confinium iam statutorum, aut saltem assignanda sit matrici S. Syri oppidi* Nervi *maior compensatio ob damna passa.*

Decisiones. Emi Patres S. Congr. Episcoporum et Regularium in plenario conventu diei 7 Iunii 1907 responderunt:

Ad I. *Affirmative* (1).

---

(1) Quamvis ex iure antiquo, Decretalis nempe *Ad audientiam* et Concilii Tridentini, graviores causae canonicae requirerentur ad dismembrationem pa-

Ad II. *Negative et ad mentem. Mens est ut servetur ius matricis S. Syri loci* Nervi *ducendi suetas processiones iuxta itinerarium ante dismembrationem usitatum.*

TLASCALEN. SEU ANGELORUM

IURIUM

De iure proprietatis quoad publicum oratorium.

Species facti. Anno 1903 sacerdos Leovigildus Villegas, archidioecesis Angelorum in Mexico, a quodam Palacios emit, pro 12 millibus scutorum, amplam domum cum adnexo oratorio vulgo dicto *del Cirineo,* quod Societati Iesu iam pertinuit sed plus quam a dimidio saeculo in usus profanos est conversum. Pro alienatione praefati oratorii licentiam Ordinarii petiit et obtinuit ipse cessionarius (1). Postquam autem sacerdos Villegas oratorium instauraverit et benedici curaverit ab ipso Archiepiscopo, anno 1904 illud cultui publico aperuit. Verum quum sacerdos Villegas in animo haberet in comparata domo constituendi quamdam religiosam mulierum communitatem, quam Archiepiscopus approbare detrectabat, ab eodem petiit litteras excardinationis et incar-

roeciarum decernendam; ex hodierna tamen disciplina, attentis rerum ac personarum adiunctis, ad hunc effectum sufficiunt causae etiam minores, adeo ut hodie nedum ob necessitatem absolutam sed etiam ob magnam fidelium utilitatem procedi possit ad dismembrationem. Item apud omnes in comperto est, spirituali adsistentiae populi aptius consuli per proprium pastorem, quam per deputationem coadiutoris paroecialis. In casu autem omnes adamussim servatae sunt iuris solemnitates sive quoad sufficientiam causae canonicae sive quoad legitimam congruae paroecialis constitutionem. Item confines paroeciales statuti sunt vel naturales vel saltem publici. Praestatio demum novae erectae paroeciae imposita erga ecclesias matrices sat sufficiens reputatur ad rependendum damnum illis per dismembrationem allatum *(N. R.).*

(1) Verum pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, ac proinde etiam oratorii in casu, requiritur in primis venia Apostolica, quam Ordinarium Angelorum obtinuisse praesumitur *(N. R).*

dinationis pro dioecesi De Linares, quas concedere paratum se exhibuit Archiepiscopus Angelorum, dummodo tamen ille favore Curiae dioecesanae nuntium mitteret proprietati dicti oratorii una simul cum icone B. M. V. inibi existente.

Tunc sacerdos in casu recursum habuit ad Delegatum Apostolicum in Mexicana Republica, qui sub die 4 Nov. 1905 decrevit, « sacerdotem Villegas absque dubio teneri religiose observare conditiones ab Archiepiscopo impositas et ab eodem Villegas admissas, quod nempe praefata aedicula publico cultui semper pateret et ad Ecclesiam iure proprietatis pertineret. Quoad autem s. iconem publicae venerationi expositam, servetur Concilium provinciale Mexicanum V, n. 432 ». Contra hoc decretum praefatus sacerdos apud hanc S. C. EE. et RR. recursum interposuit.

Interim Archiepiscopus Angelorum sacerdotem Villegas nominavit in coadiutorem extraurbanae paroeciae *Flatanquitepec* vocatae, sed hic renuit novum munus sibi commissum suscipere, nisi accederet auctoritas S. Sedis. Quum vero Archiepiscopus eum suspendisset *a divinis,* etiam ex hoc capite sacerdos Villegas laesum se ostendit.

Animadversiones. Archiepiscopus Angelorum praemittit, se venditori Palacios veniam fecisse vendendi oratorium Cyrenei sub expressa conditione ut id publico cultui pateret et in Ecclesiae dominium transiret, eamdemque conditionem ab ipso Palacio patefactam fuisse sacerdoti Villegas. Item Ordinarius sustinet etiam iconem B. V. Mariae, quippe quae oblata fuit pro dedicatione altaris maioris eiusdem oratorii, eo ipso transiisse in proprietatem Ecclesiae ad tramitem Concilii provincialis Mexicani V, n. 432, ubi praescribitur: « Nullum altare erigatur imaginibus, quae ad alicuius personae dominium pertinent, nisi prius Ecclesiae donatae fuerint ». Caeterum Archiepiscopus paratum se dicit, dictam imaginem B. M. V. relinquere sacerdoti Villegas, dummodo ipse datis

litteris eam petat, idque ut se liberaret ab omni obligatione erga fideles qui illam summopere colunt.

Quoad suspensionem vero inflictam die 22 Maii 1906, Episcopus uti frivolam retinet excusationem a sacerdote recurrente datam de lite pendente apud S. Sedem; tum quia de obligatione officium ecclesiasticum suscipiendi nulla erat quaestio apud S. Sedem, tum quia per hoc officium ille non impediebatur quin intentatam litem prosequeretur.

Etiam Consultor ex officio delectus votum emisit Ordinario favens, sustinens ipsum recte egisse in denegandis litteris dimissorialibus sacerdoti recurrenti, nisi prius regularis cessio intercessisset oratorii et imaginis B. M. V. in casu. Etenim advertit: 1°. dictum oratorium antea ad Ecclesiae dominium pertinuisse, quod haec nonnisi per iniustam expoliationem amisit; 2°. sacerdotem Villegas sub huiusmodi expressa conditione illud venundatum esse; 3°. oratorium transiisse in Ecclesiae dominium per benedictionem ab Episcopo peractam et dedicationem publico cultui iuxta synodum Narbonensem anno 1609 celebratam, quae vetuit erigi ecclesias et oratoria absque venia Ordinarii in scriptis obtinenda. Idem dicendum ait de proprietate imaginis B. M. V. *Coffre* denominatae.

Verum advocatus sacerdotis Villegas quoad primum propositum dubium contendit, suum clientem nulla obligatione teneri cedendi Curiae dioecesanae memoratum oratorium ac iconem B. M. V. in eo extantem. Licet enim ecclesiae, oratoria aliaeque sacrae res ex iure omnium gentium sint extra hominum commercium, ac proinde eadem loca ac res esse nequeant obiecta dominii privati, attamen censet in rebus sacris duo elementa, materiale unum et spirituale alterum, distinguenda esse haud ita inter se indivisibilia ut admitti nequeat titulus civilis pro dominio privato et etiam haereditario in structuram materialem rei, excluso quolibet iure super forma spirituali rei sacrae qua talis. Id confirmare

nititur auctoritate doctorum, inter quos Fargna *(De iurepatr., vol. 2, pag. 276)* habet: « Ecclesia materialis respectu aedificii eiusque situs et ornamentorum dicitur esse in haereditate profana et in hominum commercio ». Item Card. De Luca *(De praeeminentiis, disc. 40, n. 9)* docet: « In materia cappellarum et sepulcrorum licet in laicis detur dominium adeo ut sint in commercio, quinimo veniant in concursu creditorum, attamen id percutit caementa et materiale, non tamen ipsum ius spirituale, circa quod id importat quamdam simplicem administrationem sive honorificam praeeminentiam, nunquam tamen dominium ». Cfr. idem auctor *(De iurepatr., disc. 50, n. 3)*, et Wernz *(Ius Decret., vol. 3, pag. 171)*.

Imo iuxta ipsum allata doctrina summopere congrueret hodiernis temporibus, in quibus leges civiles magis evadunt Ecclesiae infensae; nam titulo civili proprietatis templa et oratoria facilius tuerentur contra publicas et privatas usurpationes, vel etiam redimi poterunt adversus iniustos detentores. Secus accidit de oratorio in casu, quod post suppressionem PP. Iesuitarum subiectum fuit fisco. Hoc genus periculum imminere dicit etiam hodie dicto oratorio, super quo sicut super domo gravitat hypotheca primi gradus quoad solutionem dimidii pretii acquisitionis, quod Curia solvere renuit. Caeterum subdit, Curiam valida actione ad sibi vindicandam oratorii proprietatem destitui, quia hoc constructum non fuit ex bonis mensae episcopalis aut ex fidelium oblationibus, sed a sola Societate Iesu, quae ius retineret, refectis redemptionis et restaurationis expensis, standi in iudicio pro revendicatione oratorii.

In facto autem advocatus dum admittit cessionarium Palacios patefecisse sacerdoti Villegas intentionem Episcopi, dedicandi nempe oratorium ad cultum publicum, denegat omnino eidem panditam fuisse conditionem de cessione proprietatis favore Curiae seu Ecclesiae. Etenim ex documentis ab Episcopo citatis ad summum erui posse ait,

conditionem huius cessionis impositam fuisse tantum venditori. Secus enim Episcopus eamdem conditionem directe imposuisset sacerdoti emptori, vel saltem contractus coarctatus fuisset ad domum non etiam ad oratorium, cuius proprietas iam sibi vindicaverat Curia. Praeterea subdit, quod quum, ipso Archiepiscopo fatente, venditori Palacios facta sit facultas alienandi una cum domo etiam oratorium, hoc ipso patet proprietatem eiusdem oratorii reservatam non fuisse favore Curiae. Caeterum sacerdos Villegas paratus est etiam cedere Curiae titulum civilem proprietatis in dicto oratorio, dummodo indemnis reddatur expensis acquisitionis et restaurationis, iuxta decisionem praesertim huius S. C. in *Licien.* an. 1900.

Demum quoad decretum suspensionis advocatus contendit, hoc sustineri non posse, sive quia latum fuit in obiecto stricte ad litem pendentem spectante, sive quia recurrens, utpote cappellanus praefati oratorii et cantor choralis in metropolitana ecclesia, obligari non poterat sub gravi censura ad assumendum officium extra ipsam urbem situm et ad nutum conferentis.

Dubia. I. *An sacerdos L. Villegas, ad hoc ut obtinere valeat litteras excardinatorias e dioecesi Angelorum, cedere teneatur suo Ordinario proprietatem oratorii vulgo* del Cirineo *in casu.*

II. *An sustineatur decretum suspensionis in sacerdotem Villegas latae sub die 22 Maii 1906.*

Responsa. Hisce dubiis in plenario conventu diei 7 Iunii 1907 propositis, Emi Patres S. Congr. EE. et RR. respondendum duxerunt:

Negative ad utrumque (1).

---

(1) Magna quaestio agitatur inter doctores, sive canonistas sive theologos, utrum ecclesiae vel publica oratoria alienari possint. Sunt qui negant, quia agitur de rebus Deo sacris, quae positae sunt extra commercium; alii vero, distinguentes partem spiritualem a parte materiali ecclesiae, retinent illam qui-

EX S. CONGREGATIONE CONCILII



DERTHUSEN.

SUBSTITUTIONIS IN SERVITIO CHORI ET ALTARIS

De facultate substituendi in servitio chori et altaris.

Speciesfacti. Ut in Capitulo cathedralis Derthusensis evitaretur substitutio fere semper earumdem personarum et melius decori cultus et chorali servitio provideretur, die 17 Aprilis 1883 inter ipsos canonicos conventum fuit, et Episcopi decreto firmatum: 1°. ut, eveniente vacatione canonicatus aut dignitatis, pro his qui respectivum onus chori et servitii altaris turnatim ferrent, annuatim essent assignatae libellae 300; 2°. ut impeditis a praestatione servitii choralis vel altaris ob chronicam infirmitatem vel aliam non temporaneam causam a Capitulo darentur substituti et retinerentur super eorum beneficio annuae libell. 200, distribuendae ratatim inter eos qui turnale servitium obiissent pro impeditis. Anno autem 1897 concinnata fuerunt statuta capitularia eaque Episcopi approbatione vallata manserunt, sed in iis, quae ordinationem choralis servitii concernunt, nihil immutatum fuit.

Sub finem anni 1905 Capitulum censuit praefatam dispositionem an. 1883 esse etiam applicandam canonico doctorali Raymundo O' Callaghan necnon canonico poenitentiario et canonico Gomez, qui utpote chronica infirmitate impediti a chori servitio et altaris, illud adimplebant per substitutum

---

dem non esse in commercio, istam vero de Apostolica venia alienari posse. Secunda sententia aliquam confirmationem ex hodierna decisione accipere videtur. Caeterum in factispecie non constat, sacerdoti Villegas impositam fuisse in contractu emptionis conditionem, ut dein oratorium cederet in proprietatem Curiae seu Ecclesiae *(N. R.)*.

a se designatum, parva vel nulla retributione concessa. Contra dictam Capituli decisionem canonicus O' Callaghan nunc querelas movet, et contendit etiam nomine aliorum duorum canonicorum liberum esse in substituto constituendo, quin ullimode subiici possit deductioni enunciatae summae mulctatitiae libell. 200 in singulos annos.

Disceptatio synoptica. Advocatus canonici O' Callaghan primo recolens disciplinam canonicam circa substitutiones chorales, advertit quod licet facultas in choro substituendi ex lege Tridentina *(sess. 24, cap. 12 de reform.)* sit expresse interdicta « omnes divina per se et non per substitutos compellantur obire officia », tamen haec S. C., non tantum verbis quam spiritui et menti Tridentinorum Patrum potius adhaerens, eam in capitularibus recognovit, uti expresse edicitur in *Eugubina* 15 Dec. 1605: « S. Congregatio saepius declaravit decreto cap. 12, sess. 24 de reform. verbis *omnes*..... non esse sublatam capitularibus facultatem sese invicem substituendi ». Verum ut haec substitutio rite fieri valeat, tria requiruntur ut inter alios signanter monet Benedictus XIV *(Instit. eccles., 107, § 3)* nempe « 1°. ne substitutus ipse ad chorum venire teneatur illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur; 2°. ut subrogentur canonici soli vel mansionarii praesentes in civitate; 3°. ne substitutio frequenter contingat ». Hanc doctrinam advocatus firmat pluribus resolutionibus huius S. C. circa praecitatas conditiones, uti in *Verulana* anni 1597, et in *Asculana* 26 Iunii 1830. Huius autem disciplinae rationem fundari ait in quadam aequitate: cum enim quis non impediatur facere per alium, quod per se agere potest, dummodo non sit electa industria personae, nihil profecto vetat ut id etiam in chori et altaris servitio applicetur, servatis tamen suprascriptis conditionibus. Hinc in *Alatrina* 24 Martii 1612 in responso ad II dubium traditur, substitutionem habere etiam locum posse absque peculiari motivo. Verum quia Capitulares hac facultate abuti

poterant in chori praeiudicium, hinc cautum est ne substitutio nimium frequenter fiat, et temperatio abusus remissa est Episcopis, ut patet ex resolutione in citata *Alatrina.*

Secundo patronus contendit supra memoratas substitutionis conditiones in casu congruere. Sane concurrit primum et secundum elementum; nam canonicus O' Callaghan et alii duo canonici infirmitate detenti Derthusiae commorantur, et ad substituendum vocantur capitulares qui eodem onere eodemque tempore non tenentur. Unicam difficultatem in casu versari ait circa tertiae conditionis aptationem, nempe quod substitutio non sit frequens. Verum haec repugnantia est specie tenus, quia a iure in casu est improbata frequentia substitutionis, quae provenit a negligentia vel a libera voluntate canonici omittentis chori servitium, non vero a frequentia, quae ex necessaria causa oritur nempe ex infirmitate. Quin imo Ecclesia nedum nullimode intendit infirmos capitulares gravare, sed etiam eos singulari donat privilegio, nempe lucrandi distributiones chori quotidianas durante infirmitate. Tertio demum advocatus impugnare satagit a Capitulo obiecta.

Ex adverso favore Capituli animadvertitur quod nullum dubium moveri potest de valore iuridico dicti decreti diei 17 Apr. 1883, quia ipsum fuit acceptatum ab ipso recurrente quando fuit editum, quo tempore ipse fungebatur munere secretarii capitularis. Et reapse quamvis ex communi iure capitularibus sit concessa facultas sese invicem substituendi in choralibus officiis, tamen quia ex abusu huius facultatis damnum choro imminere potest, hinc cautum fuit ut ea subesset Episcopi moderationi et arbitrio, uti decisum fuit in *Alatrina,* 24 Martii 1612 superius citata et allegata a Benedicto XIV *(loc. cit.).* Cfr. etiam Bouix *(De capitulis, pag. 3, cap. 2, n. 7).*

Verum potior quaestio in eo versatur, quo sensu seu quibus in casibus decreti applicatio sit facienda. Canonicus O'Callaghan pro virili sustinet, ita decretum esse interpretandum

ut eius applicationi tantum locus fiat in duobus casibus, nempe 1°. quando capitularis impeditus negligit alium substituere pro oneribus peculiaribus adimplendis; 2°. in casu residentiae privilegiatae, uti est in regiis cappellanis ad canonicatus promotis. Hanc factam restrictionem Capitulum reiicit, et contendit etiam in casu quo canonicus ex infirmitate sit habitualiter impeditus ad personaliter adimplenda peculiaria munera uti ex. gr. onus missae conventualis, officium hebdomadarii, servitium altaris, locum fieri deductioni taxatae summae pro substitutis a Capitulo turnatim deputandis.

Id ex triplici capite revinci posse videtur. Primo arguitur ex textu expresso ipsius decreti, qui ita sonat: « Quando aliquis ex praebendatis nequeat ex quacumque causa exequi personaliter obligationes chori et altaris, ei deducantur propter illud servitium annuae libellae 200 ». Decretum contemplatur tantum impedimentum ad adimplenda munera, non distinguens causam ex qua illud oriatur: et hoc casu eveniente sive ex libera voluntate seu negligentia proveniat sive ex causa necessaria puta infirmitate, fit locus retentioni praedictae summae. Secunda ratio desumitur ex natura substitutionis, quae in themate esset nimium frequens relate ad easdem personas, et haec a iure improbatur, ob detrimentum quod ex hisce substitutionibus praesertim gratuitis, ut in casu, chori servitio obvenire solet. Sane de hoc chori damno fidem perhibet Episcopus Derthusensis in literis informativis diei 21 Febr. 1907. Tertium argumentum colligitur ex eo quod controversum decretum quoad deductionem dictae summae relate ad infirmos usque a sua prima editione fuit applicatum et pluries dein in posterum usque ad praesens observantia firmatum, prout adductis allegationibus ostendit Capitulum.

Dubium. *An et quomodo sit locus applicationi statuti capitularis diei 17 Aprilis 1883 quoad canonicum O' Callaghan et alios duos infirmos canonicos in casu.*

Decisio. Emi Patres S. C. Concilii, in generalibus comitiis diei 1 Februarii 1908 respondendum duxerunt:

Negative, et servetur ius commune (1).

IACEN.

DISTRIBUTIONUM

Distributiones "inter praesentes" idem sunt ac distributiones extraordinariae.

Factispecies. Rescripto diei 17 Nov. 1905, quod die 14 Dec. 1906 prorogatum fuit, Raymundus Hernando, beneficiatus Cathedralis Iacensis, obtinuit ab hac S. C. indultum exemptionis a choro et residentia cum clausula « amissis distributionibus inter praesentes tantum », ut suam valetudinem curare valeret.

Vi conventionis initae a. 1851 inter S. Sedem et Hispaniam distributiones chorales apud Capitula illius regionis abolitae extiterunt, sed earum loco suffectae sunt punctaturae, seu mulctatitia quaedam pecunia desumenda ab obventione cuiusque praebendati, quae accrescit tantum chori servitio interessentibus, exclusis ab eius participatione absentibus, salvis exceptionibus designatis in cap. *Consuetudinem, de cler. non resid. in 6°,* et pro iubilatis: harum autem distributionum taxatio varia est secundum diversa statuta Capitulorum in Hispania. Insuper, in Capitulo Iacensi, duae statutae sunt

(1) Vi iuris communis Capitularibus competit facultas sese invicem substituendi in servitio chori et altaris, etiam sine causa dummodo tamen canonicus substitutus non sit absens a civitate et substituens tunc temporis non teneatur servitio chorali, atque substitutiones nimium frequentes non fiant. Haec autem facultas auferri nequit per capitularia statuta vel etiam per episcopalia decreta: idque eo vel magis valet in casu, quia agitur de canonicis chronica infirmitate detentis, qui proinde, quum per se legitime excusentur a choro, iure meritoque possunt alios canonicos habitualiter deputare pro substitutione *(N. R.)*.

extraordinariae distributiones pro interessentia in festis Nativitatis Domini et Epiphaniae.

Iam vero Capitulum Iacense in applicando memoratum indultum beneficiario Hernando ratum est, sibi ius esse retinere pecuniam mulctatitiam seu partem obventionis distribuendam inter beneficiarios choro interessentes. Huic retentioni primo anno acquievit beneficiarius Hernando, at postea recursum obtulit Capitulo, contendens vi supra relatae clausulae, retentioni non subiici, et insuper participem esse debere pro rata pecuniae mulctatitiae a praebendatis absentibus persolutae. Capitulum vero super hoc duxit, ut tuto procederet, rogare hanc S. C.

Animadversiones. Profecto distributiones chorales duplicis sunt generis. Aliae *ordinariae* seu *quotidianae*, quae constituuntur a tertia parte fructuum praebendae, uti statuit Conc. Trid. *(Sess. 21, cap. 3 de reform.)*. Hi vero reditus si desumantur a mensa capitulari, dicuntur proprie *distributiones*, si vero desumendi sunt vel solvendi sunt a particulari praebenda qua beneficiarius fruitur, *punctaturae* nuncupantur: et pro his reditibus lucrandis requiritur vel realis praesentia in choro, vel sufficit etiam ficta in casibus a iure expressis uti in citato cap. *Consuetudinem*. Alterius speciei distributiones sunt illae quae dicuntur *inter praesentes* tantum, et quae tantum lucrantur a materialiter et realiter praesentibus et quae dici solent *extraordinariae*. Cfr. *Cathacen. – Distributionum* diei 27 Ianuarii 1866. Hae vero possunt esse *certae* aut *determinatae*, ut puta in recurrentia annua anniversariorum aut determinatis diebus persolutione legatorum, vel *adventitiae* ut in celebratione alicuius funeris. Circa distributionum lucrum regula desumitur ex *cap. 12, sess. 24 de ref.* Syn. Tridentinae.

Hisce positis, vi enunciatae clausulae in indulto positae beneficiatus Hernando subiici non posse videtur retentioni pecuniae mulctatitiae seu melius punctaturae quoad distributiones quotidianas, veluti patet ex ipsa rescripti litera, quae

iubet tantum, ipsum absentem amittere distributiones inter praesentes. Caeterum est consonum nedum statutis ecclesiae Iacensis sed etiam iuri communi, secundum quod beneficiati infirmi, licet absentes, quotidianas lucrantur distributiones. Deinde praefatus beneficiatus lucratur etiam augmentum ex aliorum absentium fallentiis. Id sancitum invenitur ab hac S. C. die 15 Apr. 1511 quae decisio a Benedicto XIV relata *(Institut. eccl. 157, § 8)* ita se habet: « Eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem vel aliam causam percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus, perinde ac si statis horis interessent: percipere etiam augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui divinis non interfuerunt ».

Ast hic moveri posset dubium, quidnam esset sentiendum extante contraria consuetudine pro infirmis; idque eo vel magis quod Benedictus XIV *(loc. cit.)* refert decisionem quamdam huius S. C., quae dictam consuetudinem legitime praescriptam non improbavit. Verum haec invocari posset respectu habito ad ius commune, non autem in casu in quo beneficiatus Hernando, vi relatae rescripti formulae, tantum mulctatur quoad amissionem distributionum inter praesentes.

Demum quoad extraordinariam distributionem pro interessentia choro in solemnitate Nativitatis Christi et Epiphaniae, cum haec distributio videatur, ex Capituli relatione, induere naturam verae distributionis inter praesentes, ea profecto cadit sub rescripti formula « amissis distributionibus inter praesentes tantum », et hinc beneficiati Hernando recursus quoad hoc punctum negativo responso esset dimittendus.

Rescriptum. Sacra Congr. Concilii, in plenario conventu diei 29 Februarii 1908, rescribere censuit:

Vi indulti beneficiatum Hernando amittere debere tantum distributiones extraordinarias in casu (1).

---

(1) Apud omnes in comperto est, *punctaturas* aequiparari *distributionibus quotidianis* seu *ordinariis,* et opponi *distributionibus extraordinariis,* quae vo-

TREIEN.

NOMINATIONIS AD CANONICATUM

Quandonam ad impetrandum beneficium requiratur qualitas sacerdotalis in actu.

Factiseries. Sacerdos Coluzi testamento diei 24 Febr. 1665 canonicatum in Collegiata civitatis Treiensis, nunc ad Cathedralem evecta, instituit, eiusque iuspatronatum activum servavit Capitulo dictae ecclesiae. Particula testamenti ita se habet: « *Volo ut canonicus pro tempore a me nominatus vel nominandus aliique omnes eidem successores sint et esse debeant semper omnes sacerdotes ut impetrare possint hunc canonicatum* ». Et alibi in eodem testamento: « *Rogo Capitulum ut eligat et nominet sacerdotes qualificatos, exemplares, probos, honoratos et virtuosos in omnibus vacationibus* ».

Cum mense Martio 1907 canonicatus Coluzi vacans declaratus esset, a Capitulo patrono indictus fuit concursus, cui duo tantum candidati adstiterunt, nempe clericus minorista Ioseph Bartoloni et sacerdos David Sileoni. Peracto scrutinio diei 19 Apr. eiusdem anni, concurrens Sileoni tria vota, et alter opponens sex vota retulit; hinc uti electus renunciatus est Bartoloni, cui dein a Curia expeditae sunt collationis literae. Verum dum adhuc in suspenso erat canonica beneficii eiusdem possessio, et tractatus pendebant pro obtinendo

---

cantur etiam *inter praesentes:* ita S. C. Concilii in quibusdam rescriptis hanc adhibet formulam: « amissis distributionibus extraordinariis quae *inter praesentes* vocari solent ». In casu autem beneficiatus Hernando, absens a choro, nedum vi iuris communis utpote infirmitate detentus, verum etiam vi specialis indulti lucratur punctaturas seu distributiones quotidianas; at lucrari nequit distributiones extraordinarias seu *inter praesentes,* quae ex. gr. in festo Nativitatis Domini et Epiphaniae beneficiatis *actu* tantum choro interessentibus tribuuntur *(N. R.).*

a Gubernio *regium placet,* alter competitor detegere valuit fundationis tabulas; et ex his edoctus quod in concurrentibus praerequirebatur ut conditio qualitas sacerdotalis, illico apud Curiam et dein apud hanc S. C. per recursum institit ut declararetur nullitas factae electionis, et sibi, utpote dicta conditione praedito, canonicatus adiudicaretur. Sed tam Curia Treiensis quam Archiepiscopus Camerinensis perpetuus administrator censent oratoris preces esse reiiciendas.

Disceptatio synoptica. Factam electionem sustinendam esse suadere videntur fundationis tabulae. Nam fundator Coluzi iuxta relata testamenti verba voluit instituere beneficium sacerdotale; at in eiusmodi beneficiis regulare est quod ad ea consequenda non requiratur qualitas sacerdotalis in actu, sed sufficiat habilitas proxima ad sacerdotium, nisi aliud scateat ex expresso textu fundationis, ut tenet Fagnanus (Comm. ad cap. *Ut abbates,* de aetate et qual. praeficiend., *n. 9*): « Ad obtinendum beneficium cui sacer ordo sit adnexus, non requiri ut actu quis sit in eo ordine constitutus tempore collationis, sed satis esse ut se promoveri faciat infra tempus a iure praefixum..... Unde si presbyteratus adnexus sit alicui beneficio, non tamen necesse est ut promovendus habeat ordinem requisitum tempore promotionis, sed satis est ut se faciat promoveri in proximis temporibus ». Iure autem communi non discordat testatoris mens, si rite intelligatur iam adducta prima particula testamenti. Sane doctores, ad intelligendum quando requiratur actu qualitas sacerdotalis in praesentatione et collatione vel potius in habitu, expendere solent fundationis verba, utrum scilicet ea percutiant actum ipsius electionis, vel potius ipsius prosecutionem. In primo dicunt eam qualitatem requiri in actu, quia qualitas adiuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi; in secundo cum ordinis adnexio sit adnexa per modum habitudinis, sufficit ut ea qualitas habeatur intra tempus idoneum. Ita rem exemplificant in primo casu: « *Volo ut ad canonicatum,*

cappellaniam etc. nominetur, praesentetur, eligatur sacerdos », dum in secundo casu hanc adducunt dicendi rationem : « *Volo ut cappellanus..... sit et esse debeat sacerdos* ». Cfr. Fagnanus (*loc. cit., n. 53*).

Iam vero si nuper relata fundatoris Coluzi verba expendantur, satis per se liquet ea intelligenda esse non de sacerdotio in actu sed in habitudine. Non enim fundator dixit praesentetur vel nominetur sacerdos ad canonicatum, sed nominandus vel eligendus esse debeat sacerdos. Quod confirmatur resolutione edita ab hac S. C. die 5 Ian. 1604, quam refert Fagnanus. Age vero, ait Archiepiscopus Camerinen., expositus casus adamussim congruit cum institutione facta a sac. Coluzi ; nam canonicus nominandus item ex fundationis lege celebrare debet missas 4 in unaquaque hebdomada.

Ex adverso recursus sacerdotis Sileoni solido fundamento niti videtur si ad trutinam revocentur ea quae disponunt tabulae testamentariae fundationis. Siquidem iuxta hunc textum citatae primae particulae testamenti, ut quis canonicatum impetret seu obtineat, necesse habet ut iam sit presbyter, seu qualitas sacerdotalis actu praecedere debet electionem. Quare exposita verba aequipollent alteri dictioni, ac si dixisset testator, « *praesentetur seu eligatur ad canonicatum sacerdos* ». Conditio enim presbyteratus praemittitur electioni et eam praecedit uti conditio necessaria, ita ut absque existentia illius conditionis electio sit contra testatoris voluntatem. Idem etiam scatet ex altera testamenti particula ; non enim intelligitur quomodo haec verba referri possint ad sacerdotes non in actu sed in habitu, seu qui intra idoneum tempus promoveri valeant ad sacerdotium: alia dictione futurum tempus respiciente opus fuisset.

Quin obiiciatur quod fundator Coluzi nullimode expressit quod nominandus debeat esse actu sacerdos. Huic enim difficultati ita respondet Fagnanus (*loc. cit., n. 56*) : « Nec re-

quiritur adiectio illius dictionis *actu* seu *actualiter*, puta praesentetur seu instituatur actu presbyter, vel qui actualiter sit constitutus in ordine presbyterali, ut perperam opinatus est Gonzalez ad *reg. 8 Cancell., glos. 5, n. 194*, sed satis est, ut simpliciter cautum sit, ut praesentetur vel instituatur sacerdos iuxta conclusionem Rotae et communem per rationem illam, quod qualitas adiuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi ». Posita vero clara et taxativa voluntate testatoris, illam alterare aut mutare neque patronis neque Ordinariis licet, obstante expressa prohibitione Conc. Trid. *(Sess. 25, cap. 5 de reform.)*.

Verum etiamsi ex citato contextu voluntas testatoris adhuc dubia et obscura maneret, alia non desunt adminicula ad eam indagandam. Primo sese offert observantia fundationi subsecuta, nam ex actis capitularibus eruitur quod ad canonicatum Coluzi semper fuit electus candidatus, qui actu esset sacerdos. Atqui observantia plurimum valet ad interpretandas tabulas fundationis, quando sunt ambiguae, uti tenet Card. De Luca *(de benef., disc. 91, n. 7)*: « Observantiae in hac materia nimium defertur in casu voluntatis ambiguae, quae sit capax interpretationis, unde observantia attenditur tamquam interpretativa, quae longe differt a praescriptiva ». Alterum adminiculum desumitur ex quadam memoria existente in sacristia Cathedralis, in qua sermo fit de canonicatu Coluzi et quae incipit: « *Quum eligendus sit sacerdos* ». Iam vero haec adminicula si coniungantur cum textu exscripto particulae testamenti, sufficientem certitudinem gignere videntur ad statuendum, fundatorem Coluzi in casu voluisse ad canonicatum eligi clericum iam sacerdotem; huiusmodi enim disquisitiones, ut docet Card. De Luca *(loc. cit.)* non tam iuris quam potius facti sunt definiendae pro qualitate et diversis eiusdem facti circumstantiis ita ut aliquando quae non possunt singula, unita iuvant.

Responsum. Sacra Congr. Concilii, in plenario conventu diei 29 Februarii 1908, respondere rata est:

Electionem non sustineri, et ius eligendi devolutum esse ad Archiepiscopum Administratorem Apostolicum (1).

IANUEN.

IURISDICTIONIS PAROECIALIS

Admittitur iurisdictio paroecialis in controverso territorio ex facto immemorialis possessionis.

Compendium facti. In archidioecesi Ianuensi quoddam extat territorium *Lonfagnolo* nuncupatum, quod ad meridiem circumscribitur a paroecia loci *Busalla* per rivum *Chioso*, et ad septentrionem limitatur ab altera paroecia oppidi *Borgofornari* per rivum *Suia*. Quaestio autem agitatur inter utrumque rectorem, cuinam scilicet competat paroecialis iurisdictio in dictum territorium. Iamvero in hoc territorio usque ad annum 1883 nonnisi una extructa fuit domus colonica vulgo *cascina*, in quam parochus Busallae suam exercuit iurisdictionem pluribus abhinc saeculis, a tempore nempe quo quaedam videtur intercessisse privata permutatio, vi cuius parochus Bur-

(1) Quamvis ex iure communi ad beneficia etiam curata obtinenda necessaria non sit qualitas sacerdotis in actu, sed sufficiat in habitu, tamen, quum illa in casu requiratur ex taxativa dispositione tabularum fundationis, electionem canonici a Capitulo Cathedralis Treiensis factam nullitate laborare patet. Praeterea ex eo quod S. Congregatio declaret ius eligendi beneficiatum pro hac vice devolutum esse Ordinario, non immerito colligitur vel Capitulum veluti scienter elegisse indignum seu inhabilem ad canonicatum vel saltem speciales fuisse ita decidendi rationes. Nam patronus ecclesiasticus, qualis censetur in themate, si ignoranter et inculpabiliter praesentet indignum, praesentatione tunc per Ordinarium reiecta, retinet ius ad alium eligendum; e contra si scienter nominat indignum seu inidoneum, privatur ea vice iure praesentandi, et potestas nominandi devolvitur ad Episcopum. Cfr. Ferraris *(verb. Iuspatronatus, art. 4, n. 86 et 87)* aliique auctores ibidem citati *(N. R.)*.

gifurnariorum cessit praefatam domum parocho contermino Busallae, qui ex parte sua parocho Burgifurnariorum cessit aliam domum in territorio *Angia* sitam. Sed quidquid de asserta conventione sentiendum sit, certum tamen est, ab anno 1883 usque in hodiernam diem in eodem territorio *Lonfagnolo* et alias excitatas fuisse domus, quae occasionem praebuerunt modernae praesertim controversiae.

Siquidem actualis parochus loci Busallae contendebat nedum primaevam domum colonicam sed et alia nupera aedificia territorii *Lonfagnolo* in vim citatae permutationis esse sibi subiecta: quod alter parochus oppidi Burgifurnariorum admittere renuebat. Hic proinde die 27 Oct. 1902 querelas movit apud Archiepiscopum Ianuensem, qui sub die 17 Martii 1903 utrique parocho rescribi mandavit, permutationem in casu restringendam esse ad duas veteres domus, nempe *Lonfagnolo* et *Angia,* non autem quoad alias domus recenter extructas. Interim ad huius archiepiscopalis declarationis normam parochus Burgifurnariorum, Paschate eiusdem anni imminente, benedictionem controversarum domorum perfecit. Verum parochus oppidi Busallae tam contra datam declarationem sibi adversantem, quam contra spolium ab altero parocho per domorum benedictionem perpetratum, iudicialem actionem in possessorio et in petitorio simul instituit penes eamdem Curiam Ianuensem, quae die 28 Maii 1904 emisit sententiam, qua iudicavit: 1° benedictionem domorum a parocho Burgifurnariorum peractam in loco *Lonfagnolo* esse iustam et legitimam; 2° paroeciam Busallae nunquam retinuisse legitimam possessionem territorii *Lonfagnolo,* ne quidem quoad veterem domum colonicam ibidem extantem; 3° omne territorium *Lonfagnolo* usque ad rivum *Chioso* pertinere ad paroeciam Burgifurnariorum; e contra territorium *Angia* spectare ad paroeciam Busallae. Ab hac tamen sententia, se in suo iure parochiali laesum censens, apud hanc S. C. provocavit parochus Busallae.

Discussio. Advocatus a parocho loci Busallae adlectus sustinet totum territorium *Lonfagnolo* ad paroeciam Busallae non autem ad paroeciam Burgifurnariorum pertinere. Siquidem ad tramitem canonici iuris cuilibet paroeciae est assignatum territorium fixum et determinatum, adeo ut circumscriptio cum adnexa iurisdictione territoriali praecipuum constituat uniuscuiusque paroeciae characterem. Nam decretum Gratiani *(part. 2, caus. 13, quaest. 1)* disponit: « Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias et coemeteria eis divisimus, et unicuique ius proprium habere statuimus, ita videlicet ut nullus alterius parochiae terminos aut ius invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus ». Cfr. etiam Card. De Luca *(de paroch., disp. 24, n. 2)*, Ferraris *(bibl. can., verb. parochia)* aliique. Iamvero quum in casu parochus Busallensis iurisdictionem exercuerit in veterem domum colonicam territorii *Lonfagnolo*, hoc ipso iurisdictionem etiam habere debet in adiecto territorio; secus enim parochia Busallae certa non gauderet iurisdictione territoriali. Sub nomine autem iurisdictionis paroecialis et districtus semper adiectum territorium intelligitur; nam civitates et oppida non modo aedificiis constant, sed etiam territorio adnexo, uti eruitur ex cap. *Ubi periculum* 3, *de erect. in 6*, et ex Card. De Luca *(de benef., disc. 21, n. 11)*.

Quod eo magis tenendum ait advocatus, quia cum agatur de municipiis vel parochiis dividendis, quorum fines debent esse perpetui et immutabiles, tunc non pactitii sed naturales adhibentur fines, ex. gr. colles et cursus aquarum vel viarum, uti tradit Rota *(dec. 452, coram Riminaldo, dec. 632, n. 12)*. In themate autem cum rivus *Suia* circumscribat ad septentrionem territorium *Lonfagnolo* et eiusdem territorii constituat finem naturalem, parochus Busallensis, qui iurisdictionem usque retinuit in veterem domum, extendisse censendus est suam potestatem usque ad rivum *Suia*.

Et reipsa parochus loci Busallae veram et propriam parochialem iurisdictionem exercuit super totum territorium *Lonfagnolo*, vetus et novum. Nam, teste Ferraris *(bibl. can., verb. parochia)*, soli et unici actus iurisdictionis paroecialis sunt baptismus, extrema unctio, funera, matrimonium et decimarum exactio; atqui parochus Busallensis huiusmodi parochialitatis acta exercuit nedum in veterem illam domum colonicam (1643) sed et in novas constructas domus ab harum extructione usque ad annum 1902. Ex regestis enim archivii parochialis Busallensis quae exhibentur, constat parochum Busallae non solum decimas et census exegisse, baptismum administrasse, matrimoniis adstitisse et funera persolvisse eorum qui territorium *Lonfagnolo* incolebant, verum etiam curam spiritualem gessisse de illis, qui fortuito ibidem nati et demortui sunt. Praeterea actus natorum, baptizatorum, matrimoniorum etc. quoad praedictas familias ab an. 1765 usque in hodiernum diem semper conflati sunt a parocho Busallae, quemadmodum declarat syndicus loci et testatur ipsa Curia Ianuensis. Et ex iisdem archivii parochialis actis praecise constare subdit advocatus in familias novarum domorum iurisdictionem exercitam fuisse a parocho Busallensi. Caeterum vulgati iuris est, in hisce praesertim controversiis finium regendorum, quamlibet incertitudinem per longaevam possessionem removeri; S. Rota *(dec. 181, n. 17 coram De Veri)* et De Luca *(de paroch., disc. 32, n. 2)*. Ad praescribendum autem in simili materia sufficiunt 40 anni: « Fines praediorum ecclesiasticorum quadraginta annorum spatio praescribuntur »: Gregorius IX, Decret. *lib. 2, cap. 9;* Rota in *Cracovien. - Iuris respondendi,* 23 Ian. 1651 *(part. 11, dec. 108, n. 13 in Recent.)*.

Aliud argumentum depromit patronus ex eo quod, cum territorium *Lonfagnolo* pertineat ad municipium Busallense, hoc ipso pertinet etiam ad paroeciam Busallae; nam municipium sequitur iurisdictionem et fines paroeciae, et in casu

inter municipium Busallense eiusque parochiam hoc dumtaxat intercedit discrimen, quod municipium, praeter fines paroeciae Busallae, comprehendat etiam fines paroeciarum Semini et Sarisolae.

Hisce delibatis, advocatus gradum facit ad diluendas difficultates ex adverso oppositas. Et primam depromi ait ex eo quod parochus Burgifurnariorum ab immemorabili publicas duxit Rogationes in territorio *Lonfagnolo* usque ad rivum *Chioso*; et quod etiam ante annum 1903 benedixit nova aedificia in eodem territorio extructa atque spiritualem infirmorum adsistentiam exercuit. Verum, respondit ipse, Rogationes, sicut in genere processiones, nonnisi actum cultus constituunt, minime vero actum iurisdictionis aut possessionis. Addit praeterea etiam parochum Busallae proprias Rogationes duxisse in territorio *Lonfagnolo* usque ad rivum *Suia*. Quoad infirmorum autem adsistentiam contendit patrocinator et ipsam non secum ferre actum possessionis, sed dumtaxat actus misericordiae et pietatis. Demum absolute negat factum benedictionis novarum domorum in antecessum factae, et subdit, quod etiamsi hoc admittatur, id nullius roboris esset, utpote naturam clandestinitatis induens. Neque contra se facere contendit difficultatem desumptam ex relationibus paroeciae Busallae factis a. 1647 et 1771; nam hae indigitant iurisdictionem civilem seu feudalem, non autem ecclesiasticam.

Ex adversa vero parte advocatus parochi Burgifurnariorum contendit sententiam archiepiscopalis Curiae confirmandam esse. Adnotat enim parochum Busallensem in uno iudicio duplicem actionem cumulasse, possessionis unam et proprietatis alteram, sed neutram intentionem probasse. Siquidem quando agitur de possessione et dominio alicuius rei vel etiam iuris incorporei prouti in casu comprobandis, non sufficit simplicem possessionem actusque possessionis in medium afferre sed necesse est ipsum possessionis titulum ostendere.

Iamvero quoad possessionem contendit, hanc parochum Busallae nonnisi super veterem domum colonicam exercuisse, nunquam vero in universum territorium *Lonfagnolo*. Ex eo enim quod regesta parochialia sese referant ad veterem domum ante annum 1883 in controverso territorio extantem, non legitime inferri potest, parochum Busallae universum territorium *Lonfagnolo* possidere. E contra vera controversi territorii possessio, illa domo colonica unice excepta, semper iuridice retenta fuit a parocho Burgifurnariorum, prouti evincere satagit ex processione Rogationum, quam parochus Burgifurnariorum quolibet anno pacifice et ab immemorabili ducere solet in territorio *Lonfagnolo* usque ad rivum *Chioso* vocatum. Hos autem actus, minime reclamantibus parochis Busallae exercitos, veram praeseferre iurisdictionem ostendit, ex eo quod processiones cuiusvis generis solis parochis in proprio territorio servatae sunt, prouti doctores passim docent, signanter Barbosa a Giraldi *(de off. et pot. parochi, p. 109, n. 13)* citatus: « Processiones facere per parochiam ad curatos spectat, et sine eorum consensu illas dirigere nullus etiam Regularis, valet, ut censuit S. RR. C. ». Praeterea extant relationes parochorum Busallae a. 1647 et 1771 occasione visitationis Ordinariis exhibitae, quae edicunt, territorium *Lonfagnolo* comprehensum esse in parochiali iurisdictione Burgifurnariorum.

Quoad quaestionem vero dominii nihil aliud parochus Busallae absolvit nisi huc illuc praescriptionem invocando ob praetensam immemorialem possessionem, quae tum in facto tum in iure exulat. Deficiente igitur elemento materiali seu possessione immemorabili vel centenaria, titulum inutiliter invocari sustinet. Quum igitur parochus adversarius nullum exhibeat documentum, locum habet iuris effatum: *actore non probante, reus absolvitur.*

Hisce delibatis patronus addit quod, si permutatio inter veterem domum colonicam in territorio *Lonfagnolo* extantem et alteram domum in praedio *Angia* positam non ad-

mittatur, tunc explicari non posset quomodo alter parochus Burgifurnariorum suam exerceat iurisdictionem super domum in *Angia* sitam, quae ad districtum paroecialem Busallae indubie pertinet. Item sustinet, merito iudicem Ianuensem hanc permutationem ad tramitem iuris librasse ac irritam declarasse, eo quod ipsa privata auctoritate inita fuit et ab ecclesiastica auctoritate nunquam confirmata. Permutatio enim territorii alienationem sapit, quae nonnisi a superiori auctoritate fieri potest; ideoque cum in casu talis interventus exularet et alioquin parochus Busallae nullo alio titulo illam veterem domum possideret, hanc quoque amisit, quin ei suffragaretur diuturna possessio. Simili modo parochus Burgifurnariorum domum in loco *Angia* et ipse amisit, ita ut res eo statu positae fuerunt, quo ante permutationem erant: unde sententia Ianuensis non fuit dubiorum confinium declaratio, sed potius incontroversorum finium restitutio.

Dubium. *An sententia Archiepiscopalis Curiae Ianuensis diei 28 Maii 1904 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. Congr. Concilii in plenario coetu diei 29 Februarii 1908 respondendum censuerunt:

Sententiam esse infirmandam (1).

---

(1) Ratio praecipua huius decisionis in eo reponenda est quod, dum ex una parte non constat dictitatam intercessisse permutationem, ex altera vero parochus Busullae iam a tempore immemorabili iurisdictionem paroecialem exercuit nedum in veterem domum colonicam, verum etiam in alias nuper extructas domus in territorio controverso extantes. Altera ratio, licet secundaria, petitur ex eo quod territorium *Lonfagnolo* civiliter pertinet ad municipium Busallae, ac proinde maximi incommodi esset delatio defunctorum etiam ad paroeciam Burgifurnariorum *(N. R.)*.

BERGOMEN.

IURIUM ET PRIVILEGIORUM

De iuribus et privilegiis Capituli cathedralis Bergomensis.

Episcopus Bergomensis, cum in sacra visitatione peragenda rescivisset, Capitulum cathedrale statutis rite conditis et approbatis destitui, intra praefinitum tempus ea confici mandavit. Quae cum a canonicis absoluta fuerint, ad hanc S. C. remissa sunt pro opportuna revisione ac approbatione. Iamvero in cap. 3, quod inscribitur: *Diritti, privilegi e consuetudini particolari del Capitolo della Cattedrale di Bergamo,* nedum ea singularia iura ac privilegia recensentur, quae causam contentionum primariam inter Episcopos praedecessores eorumque Senatum fere semper extiterunt, verum etiam plurima continentur, quae omnino exorbitant a iure communi in episcopalis iurisdictionis praeiudicium. Quocirca, ut omnia rite componerentur ad tramitem iuris et aequitatis, Episcopus et Capitulum de communi consensu rem huic S. O. proposuerunt dirimendam, super qua unus ex Consultoribus auditus fuit.

Huiusmodi autem privilegia sunt:

I. *Il Capitolo della Cattedrale di Bergamo ritiene di avere per legittima consuetudine, fondata sulle Bolle Pontificie che si allegano, il diritto di esenzione dalla giurisdizione vescovile quanto all'amministrazione dei proprii beni.*

Consultor notat legitimam esse hanc consuetudinem probare canonicos in primis ex eo quod Episcopi nunquam petierunt rationem administrationis capitularis. Sed ipse arguit hoc argumentum esse mere negativum, quod proinde in materia tam odiosa, qualis est coarctatio ordinariae iurisdictionis Episcopi, parum vel nihilum est; nam firmiter stat praesumptio, quemlibet Ordinarium integra iurisdictione gaudere, usque dum clare contrarium probetur. Caeterum redditio rationum quoad administrationem Capituli non tam est Episcopi officium, quam

eius ius, scilicet nulla positiva lege Episcopus cogitur *periodice* administrationes revisere; sed, ut aperte legitur in Conc. Trid. *(Sess. 6, cap. 4, de reform.)* « toties, quoties opus fuerit », hoc est, quoties in Domino ipse iudicaverit, idipsum peragere potest. Idcirco in themate logice arguitur administratores Capituli semper rem oeconomicam bene gessisse, ut numquam Episcopis per tot temporis *opus fuerit* ad rationem reddendam eos compulsare; at Episcopo negari nequit ius revisionis, non usus enim in facultativis nullum praeiudicium infert iuribus. Neque Episcopo ablatum asseri potest ius revisendae administrationis a Bullis Pontificiis Paschalis II, Anastasii IV, Adriani IV et Alexandri III; aliud est enim prohibitio, ne ecclesia fatigetur « temerariis vexationibus », vel ne imponeretur « indebitum gravamen et inusitatum » etc.; et aliud est coarctatio iurisdictionis episcopalis per recisionem tutelae administrativae in ecclesiam subiectam.

II. *Il Capitolo ritiene avere il diritto di esenzione dalla giurisdizione ordinaria vescovile quanto alla visita pastorale, la quale dovrà quindi essere intimata e fatta* auctoritate ordinaria et etiam delegata, *giusta la pratica.*

Ad rem Consultor in medium affert Conc. Trid., quod *(Sess. 6, cap. 4, de reform.)* facultatem facit omnibus Episcopis et locorum Ordinariis visitandi Capitula, utcumque privilegiata et exempta, tamquam delegatis Apostolicae Sedis; per quam legem de facto, et iure permanenter conlato Ordinariis, quaequae exemptio suo effectu frustratur. Praeterea in Bullis supracitatis certe nullum exemptionis a s. visitatione fundamentum invenitur; consuetudo tantum producitur quae innititur documento anni 1699 aliisque subsequentibus, iuxta quae Capitulares decreverint recipere visitationem Episcoporum, quoties in litteris intimatoriis adiunxerint se visitaturos dioecesim etiam iure delegato in vim Conc. Trid.; atque, cum aliquando Episcopus omisisset hanc formulam, reclamaverint ut observaretur. Verum ex hoc facto illud tan-

tum deducitur, inter canonicos opinionem late invaluisse, se per Pontifices Summos privilegio gaudere exemptionis, quin tamen ad rem nullum documentum afferre valeant. Iamvero eadem formula nedum adhibita ab Episcopis quando alia Capitula et ecclesias non exemptas visitaturi erant, verum etiam aeque interpretari potest usurpatam fuisse ad abundantiam seu ut Episcopi ostenderent qualibus facultatibus ab iure praediti sint; caeterum in simplici formula litterae intimatoriae nequit consistere probatio privilegii. Accedit quod cum privilegium exemptionis a s. visitatione maximum sit inter particulares exemptiones, imo *aequivalenter* idem fere sit ac privilegium exemptionis totalis ab iurisdictione episcopali (Episcopus enim, dum subditos visitat, tunc formaliter iurisdictionem explicat), si revera antiquitus Capitulo Bergomensi adfuisset, occultari certe non potuisset eruditioni Benedicti XIV, qui *(De synod., lib. 13, cap. 9)* fatetur duo tantum in Italia esse Capitula, Ianuense et Veronense, quae privilegio exemptionis se gaudere contenderent, quorum primum causa cecidit apud hanc S. C., cum ipse Lambertinus a Secretis erat; alterum tunc defendebat litem sub iudice pendentem.

III. *Il Capitolo ritiene di avere il diritto di nominare uno o due canonici che quali convisitatori assistano e coadiuvino il Vescovo ed il suo Delegato in tutti gli atti della visita pastorale.*

De hoc privilegio idem pene dicendum est ac de allato in numero II. Episcopi possunt, saltem qua Apostolicae Sedis delegati, « per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis visitare » *(Conc. Trid., sess. 6, cap. 4 de reform.)*, ideoque *legaliter* inutile evaderet assertum privilegium. Sed neque satis constat *hystorice*: nam allata documenta, posteriora Tridentino, probant quidem Episcopos consuevisse Capitulum deprecari, ut sibi visitanti duos canonicos sacrae visitationis socios adscisceret, quod olim (cap. *Ut iuxta, de off. iud. ord.)* lege Honorii II cautum erat; sed id fecisse ex veteri privi-

legio certo non probant. In actibus autem facultativis consuetudo non praescribit contra ius.

IV. *Il Capitolo ritiene che per antica consuetudine generalmente mantenuta, debbano essere scelti dal suo seno gli esaminatori prosinodali in numero non minore della metà sul totale.*

Ex elencho examinatorum prosynodalium, ab anno 1750 usque ad hodiernam diem electorum, octies decies referuntur electi numero maiores qui non sunt canonici; quae frequentes exceptiones regulam seu privilegium exulare docent. Quodsi frequentius numero plures fuerunt electi canonici quam non canonici (sex vel septem ex duodecim) id *casualiter* factum esse arguendum est; vel melius canonici electi fuerunt, non qua canonici, sed qua digniores ex omni clero; nam cum Capitulum constaret 44 membris, et cum ad canonicatum eligi debeant viri sapientiores et bonis praediti moribus, nil mirum si, ex tantis, sex vel septem pene semper vocati fuerint, ut digniores, ad officium examinatorum.

V. *Al Capitolo compete il diritto, salve le riserve Pontificie, di conferire le prebende canonicali e le cappellanie e mansionarie corali nei limiti della concordia,* auctoritate Sanctae Sedis, *stipulata fra il Vescovo ed il Capitolo in virtù della sentenza 16 Maggio 1903, e dei decreti 16 Agosto 1903 e 4 Gennaio 1904 della S. Congr. del Concilio.*

Nullum dubium Capitulum tali privilegio frui. Verum cum recentiori tempore beneficium archidiaconale institutum sit, et fundator reservaverit Episcopo ius praesentandi archidiaconum, quae est prima dignitas, Episcopus petit num haec reservatio sustineatur vel pertineat ad S. Sedem. Et Consultor censet quoad huiusmodi praebendam archidiaconalem, sive sit iurispatronatus laici, sive ecclesiastici, locum non habere Regulam IV Cancellariae Apostolicae. Hoc enim certum est si archidiaconatus est patronatus laici; siquidem in iurisprudentia pacificum est primam dignitatem in Capitulo non subiacere reservationi Pontificiae si obnoxia est iuripatronatui

laicali, *(Rota, part. 10, dec. 99 Recent.)*; sed conferendam esse, more omnium beneficiorum patronatuum, per praesentationem scilicet patroni et institutionem Episcopi *(Cfr. Riganti in Reg. IV Cancell.,* § *2, n. 34).* Quum igitur patronus exercere potuerit ius praesentandi archidiaconum, quem ab Episcopo instituendum erat, eo ipso potuit ius praesentandi conferre in ipsum Episcopum, qui proinde, cum in ipso cumulentur iura praesentationis et institutionis, libere beneficium confert. Idipsum verificatur si archidiaconatus in casu sit patronatus ecclesiastici; nam hoc postulat lex imposita in fundatione, quippe quod omnia a fundatoribus statuta, etiamsi contra commune ius ecclesiasticum pugnent, et dummodo non sint contra bonos mores vel naturale ius, servanda sunt, ne fideles arceantur a beneficiis fundandis *(De Luca, de beneficiis, disc. 6, n. 10).* Attamen secunda dignitas, seu in casu praepositura, subiecta manet regulae IV Cancellariae, cum tralatitium sit, prima dignitate impedita, Papam conferre secundam; unde ius optionis, de quo loquuntur statuta, expungendum est.

VI. *Quanto alla nomina agli uffici di teologo e di penitenziere, essendo questi uniti inseparabilmente alla rispettiva prebenda, essa è regolata come alla concordia di cui al n. V. La nomina degli uffici capitolari di primicerio, di vice-arciprete, di sindaco, di segretario, di archivista, di bibliotecario e di puntatore viene fatta dallo stesso Capitolo* e suo gremio, *a pluralità assoluta di voti.*

VII. *Il Capitolo possiede per antica e costante consuetudine il diritto di opzione alle migliori prebende canonicali vacanti, quando però la provvista delle medesime non sia riservata alla S. Sede.*

VIII. *I membri del Capitolo hanno diritto ogni anno a tre mesi di vacanza dal coro, da prendersi anche interpolatamente, fuori però dei tempi privilegiati, e senza perdere la parte distributiva delle loro prebende e della massa capitolare.*

IX. *Per antica pratica si ritiene, che i canonici, una volta*

autorizzati a confessare e predicare, rimangano autorizzati abitualmente e per tutta la diocesi senza bisogno di avere la riconferma delle rispettive patenti.

Haec privilegia sub n. VI, VII, VIII et IX recensita, quum iuri communi consonent et probatae consuetudini innitantur, Consultor legitime consistere posse censet.

X. *Il Capitolo ha il diritto alla compilazione e pubblicazione del calendario diocesano per mezzo del suo canonico primicerio, colla formola*: « Editum a canonico primicerio etc. et iussu Episcopi servandum ».

Ex allegatis patet improprie canonicos munus redigendi calendarium vocare privilegium, cum non sit nisi simplex munus permanenter conlatum primicerio ab Episcopo; et quoniam *res per easdem causas, per quas fiunt, per eas et destruuntur,* quilibet Ordinarius, per decretum ordinaria auctoritate latum, posset hoc munus aliis concredere. Usque dum tamen Capitulo hoc munus adimat Episcopus, bene primicerius, iuxta inolitam consuetudinem, calendaria conficit et praefatam formulam fronti appingit libelluli. At necessarium putat Consultor ex elencho privilegiorum, utpote non privilegium, expungere hoc munus primicerii, et illud excribere in statutis velut in sua sede.

XI. *Per decreti e disposizioni vescovili e per indulti Pontificii nell' ufficiatura corale il Capitolo tiene la seguente antichissima pratica:* a) *dal giorno 9 settembre al Sabato avanti la prima Domenica d'Avvento non si canta nè la messa conventuale nè il Vespro, eccetto che nelle Domeniche, nelle feste di precetto, nelle feste soppresse e nelle feste di qualche Santo particolare della Cattedrale;* b) *anche lungo l' anno i Vespri non si cantano che nelle Domeniche e feste sopra indicate;* c) *La messa conventuale, eccettochè nelle Domeniche e feste come sopra, è cantata dai mansionarii e dai cappellani, i quali non la applicano* pro benefactoribus; d) *non si recitano i salmi nè penitenziali nè graduali, e una sola volta in Qua-*

resima si recita l'officio della Vergine e dei morti; e) *si tralasciano sempre le seconde messe.*

XII. *Nelle funzioni i Canonici:* a) *sono dispensati dall'ufficio di sottoparati a meno che funzioni una dignità;* b) *hanno diritto di essere accompagnati da due accoliti parati, quando assistono nelle sacre funzioni alle dignità;* c) *hanno diritto al padrino o prete assistente, quando cantano messa.*

Privilegia memorata sub n. XI et XII sustinentur ex allegatis.

XIII. *I Canonici hanno diritto:* a) *di usare in coro il rocchetto prelatizio, la cappa magna e la mozzetta di color violaceo;* b) *di portare il collare e le calze dello stesso colore, una croce pettorale dorata, il fiocco violaceo nel cappello e nella berretta.*

Quoad insignia choralia nihil excipiendum habet Consultor, cum id iuris eis largitum sit ex Breve Pii VII 6 Apr. 1808, quod in suo vigore permanere putat nisi dolose canonici obstiterint Motu proprio Pii X *Inter multiplices,* n. 81, diei 21 Febr. 1905 (1). Quoad vero insignia extra choralia, signanter quoad crucem pectoralem (insignia propria Episcoporum et Abbatum), sine dubio aliter dicendum. Nam canonici non producunt nisi decretum Episcopi Molino qui ignorare nequiverat iurisprudentiam iam tunc satis apertam, ita ut Scarfantonius *(tom. I, p. 37, edit. Lucae 1723)* asserere non dubitaverit in hac materia *habituum et insignium* in choro, per canonicos gestandorum, ac etiam circa illorum colores, nullam prorsus Ordinarios auctoritatem habere, cum omnia Papae sint reservata. Ceterum decretum illud non potuit usu firmari, nam « cum omnino certa sit illa dispositio iuris, requiri scilicet S. Sedis facultatem ad introducenda vel immutanda Capitulorum insignia, contraria praxis non tan-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 491.

tum non meretur manutentionem, sed est punibilis »; Bouix *(de Capitulis, part. 4, cap. 12, § 3)*. Ne autem admiratio enascatur in populo, si canonici vestem mutare cogerentur, putat ipse audiendum esse votum Episcopi actualis, qui Apostolicam sanctionem impetrari deprecatur; id quod pluries actum est ab H. S. O., et iisdem de causis (1).

Ulterius in hac privilegiorum materia Episcopus petit, ut ad perpetuam hodiernae concordiae memoriam, a S. Sede concedatur in perpetuum aliqua distinctio, nempe vel usus *Bugiae* in dioecesi, absente Episcopo, vel peculiare habitus signum. Verum Consultor hac de re mentem suam non pandit (2).

XIV. *Il canonico arciprete del Capitolo ha diritto di amministrare nella Cattedrale il battesimo e la comunione pasquale a tutti i diocesani, e di fare i funerali a quanti scelgono la loro sepoltura nella Cattedrale.*

XV. *Il Capitolo in base al regolamento dell'anno 1265, che è tuttora vigente, del Consorzio della Misericordia maggiore in Bergamo nominava ogni anno un proprio membro, il quale col titolo di patrono faceva parte del detto Consorzio, come si rileva anche dalla Bolla di Paolo V* pridie idus Mart. 1453.

Quoad privilegia sub n. XIV et XV nihil animadvertit Consultor.

Dubium. *An et de quibus iuribus et privilegiis constet in casu.*

Decisio. Sacra Congr. Concilii in comitiis plenariis diei 29 Februarii 1908 respondendum censuit:

In voto Consultoris, facto verbo cum SSmo.

---

(1) Haec sanatio una simul cum confirmatione aliorum privilegiorum praesertim sub art. XI, XII et XIII reipsa concessa fuit *facto verbo cum SSmo (N. R.)*.

(2) Necdum constat petitam distinctionem concessam esse *(N. R.)*.

FOROLIVIEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Clericus caecutiens dispensatur ab irregularitate.

Factispecies. Clericus Ioseph Prati, iam vacans quarto anno studiis s. theologiae, valde exoptaret promoveri ad ss. ordines ad presbyteratum usque inclusive; verum impeditur ex quodam defectu constitutionali in facultate visiva, quae illum iuxta ss. canones irregularem reddit. Rogatus Ordinarius ut oratorem supponeret experimento coram ss. caeremoniarum magistro, sub die 29 Nov. 1907 attestationem eiusdem magistri transmisit ex qua constat, clericum Prati sacras missae caeremonias rite peragere posse absque ulla fidelium admiratione et scandalo. Tres physici, quorum visitationem clericus subiit, testantur de summo gradu miopiae in oculo sinistro: quoad oculum dextrum referunt minorem adesse laesionem, et facultatem visivam in eodem statu permanere posse, dummodo praescriptam curationem non negligat.

Animadversiones ex officio. Clericum Prati ob notabilem facultatis visivae diminutionem praesertim in oculo sinistro seu canonis inter caecutientes, qui a sacris ministeriis ex dispositione cap. *Presbyterum, de cler. aegrot.*, et cap. *Thomas, de corpor. vitiat.* arcentur, esse accensendum non videtur posse dubitari.

At non pauca gratiae concessioni parant obicem. Primo agitur non de morbo ex accidenti aliquo oborto, qui praesidiis artis medicae disparere vel imminui potest, sed potius de morbo constitutionali, qui proinde in provecta aetate facile ingravescere potest. Hoc autem latens morbi germen augeri vel evolvi etiam ex fortuita aliqua circumstantia potest, uti in infausto lucis eventu. Neque pro concessione gratiae militant motiva specialia, uti esset extraordinarium oratoris ingenium, vel maxima dioecesis necessitas, quibus ex causis S. Sedes sese benigniorem exhibet.

Insuper adverti debet in casu agi de clerico promovendo ad ss. ordines, et in hisce adiunctis difficilior est gratiae elargitio. Ita in *Vercellen.* diei 28 Iulii 1860 gratia denegata fuit clerico Ferrari affecto facultatis visivae defectu, expetenti ad ss. ordines initiari, ut dein missam votivam B. M. V. celebrare valeret in festis duplicibus, et in semiduplicibus missam defunctorum. In *Colonien.* diei 13 Sept. 1862 haec S. C. non censuit annuendum precibus clerici Vincentii Krahe, qui quamvis obiecta confusim perciperet, tamen legere missam valebat in quodam Missali Romano grandiusculis characteribus impresso. Demum recolere iuvat recentem editam decisionem in *Cervien.* diei 19 Maii 1906. Inibi clericus Zanfrognini ita laesus erat in utroque oculo ob morbum vulgo *neurite,* ut legere nequiret: attamen ex tradita medicorum fide liquebat, morbum adhibitis remediis posse imminui. Hisce tamen non obstantibus oratoris preces reiectae fuerunt (1).

Verum ex adverso, si res melius expendatur, videtur oratorem esse omnino gratia dignum. In primis subiici potest cum Ferraris (*verb.* Irregularitas, *art. 1, n. 1*) aliisque doctoribus, quod defectus eatenus gignit irregularitatem, quatenus vel impedit exercitium dignum sacri ministerii vel ob deformitatem scandalum aut admirationem in fidelibus affert, quae duo extrema iuxta testimonium magistri ss. caeremoniarum ex peracto experimento in oratore exulant; attamen cum altera sententia quae tenet corpore vitiatos inter quos caecutientes, semper esse irregulares, sit magis recepta, uti advertitur in *Augustana* diei 10 Sept. 1887 § *Quamvis,* in hoc argumento non multum insistendum est.

Graviores aliae in themate non desunt rationes et circumstantiae, quae gratiam suadeant. Re quidem vera orator, non obstante visus debilitate, studiis sedulo incumbit, atque Officium et missam legere valet, quin opus habeat recurrere ad

(1) Rescriptum in casu fuit: *Dilata et ad mentem (N. R).*

gratiam commutationis Horarum canonicarum, vel ad gratiam missae votivae. Attamen non desunt casus duriores, in quibus haec S. C. elargita est gratiam dispensationis ab irregularitate clericis qui vel difficulter missam legere valebant, uti in *Ipporegien.* diei 23 Iunii 1900, vel nullimode poterant Sacrum legere in missali uti in *Lavallen.* diei 14 Maii 1870. In citata autem *Cervien.*, si clericus Zanfrognini non obtinuit gratiam ex eo evenit, quia talis erat caecitas ut eum omnino a legendo et scribendo impediret, nec ob adultam aetatem 47 annorum aderat spes imminutionis morbi. E contra orator legere et scribere valet et insuper cum sit in iuvenili aetate constitutus, fundata subest spes decrescentiae morbi.

Responsum. Sacra Congr. Concilii, in plenario coetu diei 28 Martii 1908, rescribere censuit:

Arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo (1).



EX S. CONGREGATIONE RITUUM



Circa Pontificalia peragenda a Priore S. Pauli primi Eremitae in Polonia.

Clemens PP. XIV, suis Litteris Apostolicis d. d. 23 Iulii 1770, Priori generali Ordinis S. Pauli primi Eremitae pro tempore concessit indultum pontificalium, et facultatem utendi habitu Praelatorum albi coloris, etiam in Urbe, necnon monachis suis tonsuram et minores ordines conferendi, aliaque privilegia. Cum autem super usum indulti pontificalium nonnulla dubia oborta fuerint, hodiernus Prior Eusebius Rejman, ea S. R. C. enodanda proposuit, quae sequentia dedit responsa:

(1) Conceditur dispensationis gratia, sed oneratur conscientia Episcopi super necessitate vel utilitate ordinationis oratoris in bonum dioecesis *(N. R.)*.

I. Rmus Prior S. Pauli I Eremitae potest uti vestibus praelatitiis coloris albi, non exclusis pileolo et bireto eiusdem coloris.

II. Nihil prohibet quominus Priorem, dum ad ecclesiam solemniter celebraturus procedit, comitentur Religiosi ipsius more monachorum S. Benedicti, dummodo Religiosi sacris vestibus non sint induti.

III. Si sedes abbatialis seu prioralis est *mobilis*, finitis functionibus pontificalibus, amoveri debet; si vero amoveri nequeat, utpote *fixa*, tunc sufficit ut nudata maneat omnibus ornamentis, post easdem functiones pontificales.

IV. Mitra *gemmata* interdicitur Abbatibus, nisi speciale indultum Apostolicum eam alicui concesserit.

V. Prior Ordinis S. Pauli pontificalia agere potest diebus a Clemente XIV concessis; nec non festo B. M. V. Czestochoviensis ac Dominica infra Octavam Corporis Christi, si fiat processio, iuxta decretum S. R. C. die 22 Augusti 1906 (1).

Atque ita rescripsit, die 3 Februarii 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



ORDINIS FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM

Circa ordinem praeferentiae in translatione festorum.

Rmus P. Marianus Sabaleurki, procurator Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expostulavit; vide-

(1) Clemens XIV, in honorem celebris monasterii B. M. V. de Czestochova in Polonia, iam quinquies per annum concessit usum pontificalium; dein S. C. R. decreto 22 Aug. 1906 alios duos citatos dies adiecit; quibus Pius X ad personam hodierni Prioris quoad vixerit tres alios, ad illius beneplacitum, adiunxit *(N. R.)*.

licet: Utrum ordo praeferentiae inter festa eodem die occurrentia, in Rubricis generalibus Breviarii Romani tit. X, n. 6 statutus, integre servandus sit etiam in translatione Officiorum sive accidentali sive perpetua, prout ibidem Rubricae n. 7 innuere videntur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque perpensis, propositae quaestioni ita respondendum censuit: *Consule probatos auctores* (1).

Atque ita rescripsit, die 14 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

DUBIUM

De cantu " Libera me Domine „ post missam privatam.

Postulato Sacrorum Rituum Congregationi exhibito: « An liceat sacerdoti canere post Missam privatam Responsorium *Libera me Domine,* aut quid simile, pro defunctis, praesente vel absente cadavere », Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, ita respondendum censuit: « Si agatur de Missa lecta defunctorum a Rubricis et decretis permissa, Absolutio in cantu immediate post eam non prohibetur; sin vero de

(1) Ex ipsis verbis Rubricae generalis tit. X, n. 6 et 7 clare patet, festa solemniora pro occurrentia, esse etiam solemniora pro eorumdem translatione. Notandum tantum venit quod, in translatione sive fixa sive accidentali, qualitas festi fixi vel mobilis attendi non debet; nam haec qualitas in translatione cessat, et festum fixum in translatione accidentali evadit quodammodo mobile, dum festum mobile in repositione perpetua fit fixum *(N. R.).*

Missa diei currentis aut votiva, servetur decretum n. 3780 *Romana-Resolutionis dubiorum* 12 Iulii 1892 ad VIII » (1).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 28 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

De novo Tabernaculo pro adservanda SS. Eucharistia.

Eme Domine,

Sacerdos Godefridus A. P. V. Winter Baumgarten, nomine dominorum Ordinariorum provinciae ecclesiasticae Milwaukiensis in America septentrionali, humiliter postulat, ut viso et inspecto novo Tabernaculo pro adservanda SSma Eucharistia, ex metallo solidissime extructo, a societate quam vocant *The Rauwald ecclesiastical Art Mfg. Co.,* dignetur ipsum Tabernaculum adprobare, utpote tali ratione constructum, ut in nihilo contrarium sit neque Rubricis Ritualis Romani neque istius S. R. C. decretis. Nova huius Tabernaculi constructionis ratio prae aliis videtur esse commendanda, non tantum pro materiae soliditate, sed potius pro ingenioso modo quo Tabernaculum clauditur, ita ut nullimode aperiri possit, nisi in promptu habeatur clavis, neque ipsa pulvis penetrare queat (2).

---

(1) In citata enim resolutione ad dubium VIII: « Num Absolutio pro defunctis fieri vel Responsorium super sepulturam cantari quotidie possit, maxime si id ex consuetudine antiquiori servatum hucusque fuerit, ut adimpleatur testatoris voluntas », responsum prodiit: « Affirmative, exceptis tamen duplicibus primae classis, in quibus Absolutio et Responsorium neque habere locum poterunt private post absolutas vespere Horas canonicas. Quod si in diebus permissis de mane fiant, nunquam post Missam de die, nisi omnino independenter ab eadem » *(N. R.).*

(2) Novum hoc Tabernaculum, licet praeseferat formam externam coeteris Tabernaculis communem, has praecipue utilitates exhibet: nempe quod bene defensum sit adversus incendia, pulverem ac insecta; tutissimum contra fures, atque commodius pro pyxide extrahenda vel reponenda *(N. R.).*

Ex Secretaria S. R. C., die 1 Aprilis 1908.

Communicetur sacerdoti oratori responsum Sacrae Rituum Congregationis in casu simili datum sub die 18 Martii 1898; nempe: *Finem inventoris esse laudandum, negotium vero in casu et ad effectum de quo agitur, spectare ad ipsos locorum Ordinarios* (1).

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Decretum seu litterae ad Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ordinarios de editione typica vaticana Gradualis Romani.

Postquam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X *Motu Proprio* diei XXII Novembris MCMIII sacram musicen reformari mandavit (2); ut coeptum opus, qua par est ratione, absolveretur, decrevit *Motu Proprio* diei XXV Aprilis MCMIV ut *typica* editio librorum cantum Gregorianum continentium in vulgus prodiret typis vaticanis (3): qua editione antiquo usu recepti Ecclesiae concentus pristinae integritati ac puritati redderentur, in eum potissimum finem, ut Romanae Ecclesiae ceterisque Romani ritus Ecclesiis communem liturgicorum concentuum probatum textum suppeditaret.

Quare iuxta hanc Summi Pontificis voluntatem, typica editio *Gradualis Romani,* numeris omnibus feliciter absoluta, modo in locum prodit (4).

Quoniam vero ad Rmos locorum Ordinarios pertinet eiusmodi Gradualis usum ac diffusionem promovere ac regere apud clerum et populum sibi commissos; Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri, animad-

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 30, pag. 638.
(2) Cfr. » » vol. 36, pag. 329 et 387.
(3) Cfr. » » » » pag. 586.
(4) Cfr. » » vol. 41, pag. 290.

vertendas proponit iisdem Rmis Ordinariis normas et mandata praecipua circa huiusce typicae editionis introductionem, eiusque novas typographicas impressiones, quae fiant ab editoribus, facultate impetrata ab Apostolica Sede, scilicet decreta huius S. Congregationis dd. XI et XIV Augusti MCMV, XIV Februarii MCMVI, et VII Augusti MCMVII (1).

Porro e primo eiusmodi documentorum colligitur 1°. Vaticanam editionem Gradualis, vel quamlibet aliam quae legitime statisque sub conditionibus eamdem typicam referat, substitui debere editionibus, quae modo adhibeantur: itemque 2°. ad Rmos Ordinarios pertinere munus efficiendi et suae cuiusque dioecesis Propria sic restaurentur, ut conformia reddantur Gregorianis concentibus typicae vaticanae editionis.

Per novissimum decretum hic et nunc ita praescribitur usus huius Gradualis, ut quibuslibet editionibus (minime excepta, quae *Medicea* vocatur) huc usque adhibitis, quamprimum substituenda sit editio vaticana, vel eius legitime peracta nova impressio: ideoque ceterae Gradualis editiones a typica discrepantes, rursus imprimi nequeunt, multoque minus a Rmis Ordinariis approbari. Quae vero, antequam integra typica Gradualis editio prodiret, benignae datae fuerint concessiones, nullimode prorsus contra memoratas universales praescriptiones debent praevalere.

Denique ad cantus traditionalis instaurationem facilius exsequendam, praeterquamquod iuverit (adiuvante *Commissione* uti vocant dioecesana) animos adiicere eorum quotquot Summi Pontificis menti ac beneplacito libenter cupiant respondere, nil procul dubio magis efficax erit, quam si vigilantissime intendant Rmi Ordinarii, ut executio sacrorum concentuum in Cathedralibus et potioribus ecclesiis adeo fiat plena ac perfecta, ut forma et exemplar ceteris habeatur.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 38, pag. 114 et 240; vol. 39, pag. 53; et vol. 41, pag. 290.

Oportet insuper, ut qui ad *Cantoris* officium eliguntur, congruis dotibus revera sint praediti et superato idoneitatis periculo probati, quod multo magis dici debet de chori Magistro seu de *Praefecto musicae* uti aiunt, qui necessaria polleat auctoritate ad suum implendum officium iuxta Summi Pontificis praecepta de musica sacra et cantu Gregoriano instaurandis.

Voluit autem Sanctitas Sua praesens Decretum a Sacra Rituum Congregatione expediri, et Rmis Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis notum fieri; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die VIII Aprilis MCMVIII.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM



Facultas benedicendi et indulgentiandi Coronas Viae Crucis (1).

Beatissimo Padre,

Giovanni Vincenzo Tasso, Assistente generale della Congregazione della Missione, Zelatore dell'arciconfraternita della Santa Agonia di Gesù nell'Orto, stabilita nella Casa madre di Parigi e in molte Case de' Missionarii e delle Figlie della

(1) Hisce Coronis adnectuntur omnes indulgentiae a Romanis Pontificibus concessae Stationibus Viae Crucis; quas ad acquirendas ope huiusmodi Coronarum, praeter legitimum impedimentum, recitari debent corde saltem contrito ac devote 20 *Pater, Ave* et *Gloria,* unum pro qualibet Statione, quinque in Sanctorum D. N. Iesu Christi vulnerum memoriam, ac unum iuxta mentem Sanctitatis Suae, uti constat ex decreto *Urbis et Orbis* S. C. Indulgentiarum diei 8 Aug. 1859, n. 387 *(N. R.).*

Carità, prostrato al bacio del Sacro Piede, supplica umilissimamente la Santità Vostra di estendere a tutti i Preti della Missione e a tutti i Direttori e Zelatori della Santa Agonia la facoltà di benedire e indulgenziare la *Corona della Via Crucis, della Serva di Dio Luigia Borgiotti, Confondatrice delle Suore Nazzarene,* facoltà già concessa dal S. Padre Pio IX al Card. De Angelis, e da Vostra Santità stessa al Card. Richelmy e al superiore della Missione di Torino nell'udienza privata accordata a Monsignor Parodi, Arcivescovo di Sassari, il 4 Aprile 1906.

Che della grazia, ecc.

Iuxta preces in Domino.

Die 2 Novembris 1906.

PIUS PP. X

Nova concessio quoad Coronas Viae Crucis.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Procurator generalis Congregationis Missionis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, enixe orat concedi, ut christifideles, a Stationibus Viae Crucis visitandis, canonice erectis, impediti (1), si una simul cum altero congregati, qui Coronam Viae Crucis possideat, indulgentia a S. V. ditatam sub die 2 Novembris 1906 (2), recitent vige-

(1) Quoad naturam huius impedimenti censemus non sufficere incommodum *leve* nec requiri absolute *grave*, sed satis esse incommodum mediocriter grave seu motivum vere rationabile, quacumque ex causa proveniat, quod aliquem impediat a visitandis hic et nunc Stationibus Viae Crucis. Idipsum tenet P. Sleutjes *(Instructio de Stationibus S. Viae Crucis, cap. 5, n. 63, ed. 3)* quoad Crucifixos Viae Crucis, quorum concessio est huic valde affinis et a Papa Clemente XIV die 26 Ian. 1773 facta Ordini Minorum, uti eruitur etiam ex decreto *Urbis et Orbis* S. C. Indulgentiarum diei 8 Aug. 1859, n. 387 *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 41, pag. 350.

sies *Pater, Ave* et *Gloria,* omnes et singuli relativas indulgentias lucrari valeant, dictae Coronae adnexas, etsi unus tantum eamdem Coronam manu teneat.

Ex audientia SSmi, die 1 Decembris 1907.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 1 Decembris 1907.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Indulgentia pro iaculatoria ad SS. Nomen Iesu.

Beatissimo Padre,

Il sac. Domenico Paoloni, direttore dello *Zelatore del SSmo Nome di Gesù* di Napoli, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente supplica la S. V. a voler concedere trecento giorni d'indulgenza, applicabile anche alle anime purganti, ogni volta che i fedeli, in riparazione delle bestemmie che si proferiscono contro il SSmo Nome di Gesù, con cuore contrito e divotamente reciteranno la giaculatoria: *Eterno Padre, pel sangue preziosissimo di Gesù Cristo, glorificate il suo SSmo Nome, secondo l'intenzione e i desiderii del suo adorabile Cuore;* e l'indulgenza plenaria, applicabile come sopra, a quelli che in ciascun giorno di un mese avranno recitato la detta giaculatoria, da lucrarsi una volta in quel mese, in un giorno a loro scelta, nel quale confessati e comunicati pregheranno secondo l'intenzione della Santità Vostra.

Che della grazia ecc.

Ex audientia SSmi, die 11 Decembris 1907.

SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congnis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 27 Ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

DECLARATIONES

Circa concessiones pro celebratione mensis SS. Cordis Iesu (1).

Beatissimo Padre,

Il sacerdote Michele Ietti di Napoli, Direttore dell'Apostolato del mese del Cuore di Gesù, prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che, essendosi la S. V. degnata di concedere grazie specialissime, con rescritto della S. C. delle Indulgenze del dì 8 Agosto 1906 per la solenne celebrazione del mese del Sacro Cuore (2), sono sorti alcuni dubbi circa l'interpretazione di esso rescritto, onde supplica la S. V. a volersi degnare di risolverli autorevolmente. Essi sono:

I. Come debba intendersi la celebrazione solenne del detto mese.

II. Se la chiusa del prefato mese debba fissarsi, per la

(1) Hoc rescriptum indolis generalis, ex auctoritate Emi Cardinalis rescribentis mutuamus, prouti prostat, a *Monitore ecclesiastico (N. R.).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 39, pag. 434. Interim heic advertere iuvat, preces rescripti diei 8 Aug. 1906 evulgatas fuisse a quibusdam Periodicis ampliores ac diversas quam quae asservantur in archivio Secretariae S. C. Indulgentiarum, et nobis communicatae fuerunt *(N. R.).*

uniformità e pel maggior concorso dei fedeli, all' ultima Domenica di Giugno.

III. Se le concessioni straordinarie possano godersi anche per la celebrazione del mese negli Oratorii semipubblici dei Seminarii, delle Comunità Religiose e degli altri luoghi pii.

IV. Se il detto mese, per qualche ragionevole motivo, possa celebrarsi, anzichè in Giugno, in altro mese, godendosi le medesime concessioni.

Che ecc.

Ex audientia SSm̃i, die 26 Ianuarii 1908.

SSm̃us Dñus Noster Pius PP. X, auditis supra relatis, ad proposita dubia responderi iussit prout sequitur:

Ad I. Mensem Sacratissimo Cordi dicatum celebrari debere cum sacra praedicatione aut quotidie, aut saltem ad formam spiritualium exercitiorum per octiduum.

Ad II. Affirmative (1).

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative ex aequa causa et praehabita permissione Episcopi.

In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

---

(1) In hac responsione et a fortiori in altera ad dubium IV, potiusquam declaratio habetur benigna concessionis extensio. Nam iuxta citatum rescriptum a S. C. Indulgentiarum editum die 8 Aug. 1906 indulgentia *toties quoties* et indultum altaris gregoriani ad *instar* adnexa erant diei 30 Iunii, in ecclesiis m̃ quibus peractum fuerit pium exercitium mensis SSm̃o Cordi Iesu dicati; ideoque etiamsi functio *conclusionis* appellata transferri contigerit, nequiverant tamen transferri indulgentia et indultum, quia erant affixa diei non autem festivitati. Modo autem SSm̃us nedum mandat ut conclusio pii exercitii SSm̃o Cordi Iesu dicati regulariter fiat in ultima Dominica mensis Iunii, verum etiam indulget ut, legitima interveniente causa, de licentia Ordinarii transferatur ad alium mensem, quin tamen amittantur speciales concessiones antea factae *(N. R.)*.

Sanantur invalidae receptiones in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo.

Beatissime Pater,

P. Praepositus generalis Carmelitarum Discalceatorum, ad ss. pedum osculum provolutus, S. V. humiliter exorat, ut receptiones ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, quacumque ex causa usque ad hanc diem invalide peractas, benigne sanare dignetur.

Et Deus etc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tributis, petitam sanationem benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 4 Februarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Indulgentia provisi tantibus sanctuarium S. Blasii loci Maratea.

Beatissimo Padre,

Il sac. Gennaro Buraglia, Cameriere d'onore di V. S. e parroco di S. Biagio in Maratea (diocesi di Policastro), prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone che nel santuario di S. Biagio V. e M. in Maratea molti accorrono in sacro pellegrinaggio per venerare il corpo del Santo che ivi in gran parte si venera. Affine di promuovere siffatto culto all'esimio Patrono, supplica V. Beatitudine di concedere qualche indulgenza a coloro che pel detto scopo si recano al prefato santuario.

Che ecc.

Ex audientia SSmi, die 26 Februarii 1908.

SSmus, auditis expositis, omnibus et singulis christifidelibus qui praedictam susceperint peregrinationem, dummodo sacramentali confessione expiati ac sacra communione refecti, praefatum sanctuarium visitaverint ibique preces fuderint iuxta intentionem Sanctitatis Suae, plenariam indulgentiam omnium peccatorum, animabus etiam in purgatorio detentis applicabilem, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Particularis concessio circa tempus pro celebrandis triduanis supplicationibus in honorem SS. Eucharistiae (1).

Beatissime Pater,

Moderator generalis *Eucharistici Foederis sacerdotalis*, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit:

In litteris S. Congregationis Indulgentiarum diei 10 Aprilis 1907 Rmis Episcopis valde commendatur, ad fovendam in populis devotionem erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, institutio supplicationum triduanarum quae in ecclesiis cathedralibus et etiam parochialibus infra Octavam solemnitatis Corporis Christi vel alio tempore celebrentur. Et ab iisdem litteris praescribitur ut « supplicationes semper peragantur feria VI, Sabbato et die Dominica »; quod etiam innuitur haud semel quando sermo est de missa parochiali et de homilia quae haberi debet die postrema supplicationum (2).

(1) Huiusmodi particulare rescriptum, quod Emus Cardinalis Gennari directe a SSmo obtinuit, continetur, tamquam pars in toto, in recentiori decreto generali a S. C. Indulgentiarum edito die 8 Apr. 1908 et infra pag. 358 referendo *(N. R.)*.

(2) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 317.

Quum autem in multis regionibus, praesertim Galliae, Hispaniae, Belgii, instituta fuerit pia quaedam praxis qua, in singulis dioecesibus, aliquot parochiae vel ecclesiae conventuales habeant successive, per unum vel plures dies Expositionem solemnem Sanctissimi Sacramenti ad modum Quadraginta Horarum, ut sic adoratio solemnis Sanctissimi Sacramenti perpetua evadat in dioecesi: plures Episcopi opportunum credunt statuere et immediate ante hunc diem *Adorationis perpetuae* uti vocatur, fiant triduae supplicationes de quibus in litteris S. Congregationis Indulgentiarum. Et notari debet quod dies Adorationis perpetuae uti Dominica celebratur, ita ut fideles hoc festum inter solemniora reputent. Sed patet quod in hoc casu praescriptio S. Congregationis de tempore supplicationum servari nequit, et ideo indulgentiis tam benigne concessis fideles frui non possunt.

Quae cum ita sint, humillime petit orator ut dies ad celebrandas supplicationes triduanas, de quibus agitur in litteris S. Congregationis Indulgentiarum diei 10 Aprilis 1907, relinquantur ad arbitrium Episcopi in diocesibus quae Adorationis perpetuae ad modum Quadraginta Horarum piam praxim custodiunt, et fideles nihilominus indulgentiis in praedictis litteris concessis frui valeant.

Et Deus etc.

Ex audientia SSm̃i, die 26 Februarii 1908.

SSm̃us, auditis expositis, benigne et libenter annuit pro gratia in omnibus. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

URBIS ET ORBIS

Decretum quo Episcopis datur facultas statuendi tempus pro triduanis supplicationibus SS. Eucharistiae.

Anno superiore, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, litteris datis sub die 10 Aprilis, catholici Orbis Sacrorum Antistites vehementer hortabatur, ut quotannis, quoad fieri posset, in singulis cathedralibus ecclesiis et etiam in curialibus templis, infra Octavam solemnitatis Corporis Christi, vel alio anni tempore, prout Rmi Episcopi iudicaverint, supplicationes in triduum instaurarentur, quibus christianus populus ad frequentiorem, imo quotidianam, Eucharistiae sumptionem excitarentur (1). Quum vero in his literis, iuxta methodum inibi praescriptam, iniunctum sit, ut supplicationes huiusmodi initium sumant a feria sexta et desinant die Dominica, et e contra, ob singularia quaedam adiuncta, in pluribus locis christifidelibus commodius evaderet, aliis diebus hisce supplicationibus interesse, eisque adnexas indulgentias lucrari, postulatum est ab hac S. Congregatione, ut eaedem supplicationes, loco dierum in memoratis literis statutorum, aliis infra hebdomadam diebus, iudicio Rmorum Episcoporum designandis, peragi queant. Porro has preces in audientia habita die 8 Aprilis 1908 ab Emo Cardinali Praefecto relatas, SSmus Dominus Noster Pius PP. X clementer excipiens, petitam gratiam benigne concessit, ceteris tamen servatis, praesertim quoad indulgentiarum acquisitionem, quae in literis huius Sacrae Congregationis praescribuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 8 Apr. 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 317.

URBIS ET ORBIS

Conceditur anticipatio confessionis pro indulgentiis lucrandis.

Quo christifideles Indulgentiarum thesauro facilius fruerentur, haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, decreto diei 9 Decembris 1763 cunctis fidelibus, quibus laudabilis est consuetudo accedendi semel in hebdomada ad poenitentiae Sacramentum, iam indultum concessit, vi cuius omnes indulgentias acquirerent per ipsam hebdomadam occurrentes absque alia peccatorum confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas foret necessaria. Huiusmodi vero indultum pro aliquibus regionibus, attenta confessariorum inopia, etiam ad sacramentalem confessionem infra duas hebdomadas peractam extensum fuit. Insuper alio decreto sub die 6 Octobris 1870 provisum est, ut ad confessionem et S. Synaxim quisque accedere posset die, qui illum immediate praecedit, pro quo aliqua indulgentia sive ratione festivitatis, sive alia quacumque ex causa fuerit concessa.

Experientia tamen compertum est hisce indultis haud satis consultum, quando agitur de iis indulgentiis lucrandis, quae aliquibus festivitatibus extraordinariis sunt adnexae, vel de iis, quas toties quoties eadem die acquiri datum est. Tunc enim ingens fit fidelium concursus ad sacramenta suscipienda, ita ut eorum pio desiderio multis in locis vix satisfieri posset, nisi confessio praescripta paulo anticipetur ab iis, qui qualibet hebdomada confiteri non solent, neque possunt.

Quapropter SSmo Domino Nostro Pio PP. X preces sunt exhibitae, ut desuper his de Apostolica benignitate providere dignaretur, indulgendo ut confessio peragenda ad lucrandam indulgentiam, si haec pluries eadem die sit concessa, tribus diebus immediate praecedentibus, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari queat (1).

---

(1) Huius generis particulares concessiones ab eadem S. C. iam alias factae sunt, ex. gr. rescripto diei 28 Aug. 1907 (*Acta S. Sedis,* vol. 4, pag. 718) in-

Et Beatissimus Pater, in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 11 Martii 1908, summopere exoptans maiori spirituali bono christifidelium prospicere, expositis precibus clementer annuere dignatus est, ita tamen ut praeter communionem pridie diei, cui est adnexa indulgentia, permissam, in adimplendis ceteris operibus iniunctis regula generalis, circa modum et tempus in concessionibus praescriptum, servetur. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 11 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

---

dultum fuit ut pro lucranda indulgentia plenaria in fine concionum Quadragesimae, Adventus, Missionum et exercitiorum spiritualium concedi solita, sufficiat confessio infra ultimos quinque dies peracta *(N. R.)*.



EPISTOLA

Qua Pius PP. X reprobat Mutualitates ecclesiasticas sic dictas approbatas in Gallia.

PIUS PP. X

A NOS TRÈS CHERS FILS
LES CARDINAUX

VICTOR-LUCIEN Card. LECOT, Archevêque de Bordeaux.
PIERRE-HECTOR Card. COULLIÉ, Archevêque de Lyon.
LOUIS-HENRI Card. LUÇON, Archevêque de Reims.
PAULIN-PIERRE Card. ANDRIEU, Evêque de Marseille.

Nos très chers Fils,

Le moment Nous parait venu de vous faire connaître les décisions que Nous avons prises au sujet des *Mutualités* dites *approuvées* afin que par votre entremise tous les membres de l'Episcopat et du clergé Français en soient informés.

Nous avons examiné la question avec le plus grand soin et à tous les points de vue, désireux, comme Nous l'étions, de trouver un moyen d'épargner aux ecclésiastiques Français de nouveaux sacrifices. Dans Notre amour pour la France et pour ses prêtres, dont Nous suivons à chaque pas les admirables efforts de générosité sous le coup des plus cruelles épreuves, Nous étions disposé à autoriser les plus larges concessions, pourvu que la loi eût permis aux prêtres de France de sauvegarder leur dignité et les règles de la discipline ecclésiastique. — Mais voici que l'on demande au clergé Français de former des *Mutualités* ouvertes à toux ceux qui se réclameraient de quelque façon que ce soit du titre *d'intéressés,* sans moyen légal d'écarter de leurs rangs des égarés ou même des membres exclus de la communion de l'Eglise. On demande en somme aux ecclésiastiques Français de se

constituer en corps séparé, et d'oublier en quelque sorte leur caractère de prêtres en communion avec le Siège Apostolique. Ils devraient se considérer comme de simples citoyens, mais des citoyens privés du droit accordé à tous les Français d'exclure de leurs mutualités des sociétaires indignes. Et tout cela pour pouvoir recueillir des avantages matériels, fort discutables et précaires, et entourés de restrictions hostiles à la hiérarchie, dont le moindre contrôle est positivement et explicitement exclus de par la loi.

C'est dans l'exercice de leur saint ministère, généreusement accordé à tous leurs concitoyens sans distinction, d'un bout à l'autre de la France, que les prêtres âgés et infirmes acquièrent le droit à des secours pourtant si minimes, et cependant on refuse de reconnaître ces fonctions ecclésiastiques et par le fait même les services qu'ils rendent sans cesse à l'Eglise et à leur Patrie. Tandis que les auteurs de la loi cherchent à éviter l'odieux d'avoir enlevé le pain aux pauvres prêtres âgés et infirmes, ils s'offrent à rendre une petite partie de tant de biens séquestrés, mais ce qu'ils donnent d'une main ils le marchandent de l'autre par des restrictions et des mesures d'exception. Dans ces conditions il ne Nous est pas possible d'autoriser la formation des *Mutualités approuvées*. Avec sa clairvoyance habituelle notre illustre Prédécesseur écrivait en 1892 aux Evêques de France, que dans la pensée des ennemis la séparation de l'Eglise de l'Etat devait être « l'indifférence absolue du Pouvoir à l'égard des intérêts de la société chrétienne, c'est à dire de l'Eglise, et la négation même de son existence ». Et Léon XIII ajoutait: « Ils font cependant une réserve qui se formule ainsi: Dès que l'Eglise, utilisant les ressources que le droit commun laisse aux moindres des Français, saura, par un redoublement de son activité native, faire prospérer son œuvre aussitôt l'Etat intervenant pourra et devra mettre les catholiques Français hors du droit commun lui-même. Pour tout dire en un mot,

l'idéal de ces hommes serait le retour au paganisme: l'Etat ne reconnait l'Eglise qu'au jour où il lui plait de la persécuter ». C'est hélas! ce que nous voyons aujourd'hui.

Plus grave encore est la question des fondations de Messes, patrimoine sacré sur lequel on a osé mettre la main au détriment des âmes et en sacrifiant les dernières volontés des testateurs. Il est incontestable en effet que ces fondations devaient servir, dans la pensée des défunts, à faire célébrer les saintes Messes non pas d'une façon quelconque ou par qui que ce soit, mais dans la forme légitime et en parfaite conformité avec la discipline de l'Eglise catholique. Or, au lieu de restituer ces fondations sans entraves, on les offre à des *Mutualités* que l'on dépouille explicitement de tout caractère ecclésiastique et auxquelles de par la loi on interdit toute intervention légale de l'Episcopat. La loi en effet ne reconnait aucune intervention de l'autorité ecclésiastique, qui se trouverait désormais dépourvue de toute force légale pour assurer toujours et partout la célébration légitime des saintes Messes, et par là même, malgré toutes les mesures que pourrait prendre l'Episcopat, et malgré le bon vouloir de la majorité des très dignes prêtres de France, la célébration de ces Messes serait exposée aux plus redoutables périls. Or Nous devons sauvegarder la volonté des testateurs et assurer la célébration légitime en toute circonstance du saint Sacrifice. Nous ne pouvons donc autoriser un système, qui est en opposition avec les intentions des défunts et contraire aux lois qui régissent la célébration légitime de l'acte le plus auguste du culte catholique. C'est avec une profonde tristesse que Nous voyons ainsi se consommer des spoliations sans nombre par la mainmise sur le patrimoine des morts. Dans le but d'y rémédier autant que possible, Nous faisons appel à tous Nos chers prêtres de France de vouloir une fois l'année célébrer une Messe aux intentions des pieuses fondations, comme Nous le ferons Nous même une fois par mois.

En outre et malgré les limites restreintes de Nos ressources, Nous avons déjà déposé la somme nécessaire pour la célébration de deux mille Messes par an aux mêmes intentions, afin que les âmes des trépassés ne soient pas privées de suffrages auxquels elles avaient droit et que la loi, telle qu'elle est conçue aujourd'hui, ne respecte plus.

C'est avec toute l'effusion de Notre âme, et comme gage de Notre très vive et paternelle affection pour la France, que vous donnons, Nos très chers Fils, à vous, à votre clergé, et aux fidèles de vos diocèses, la bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, 17 Mai de l'année 1908, de Notre Pontificat la cinquième.

PIUS PP. X



EX SECRETARIA STATUS



Litterae gratulatoriae ob solemnia festa celebrata in honorem B. M. V. de " Bonaria „ in Sardinia.

A Monsignor Pietro Balestra
Arcivescovo di Cagliari.

Pur essendo avvezza a misurare in ogni genere di popoli la profondità dell'affetto, onde si circondano la Fede ed il Pontificato Romano, Sua Santità giammai si sarebbe ripromessa che il cuore del popolo di Sardegna non solo avrebbe sorpassato le più alte manifestazioni delle quali la Santità Sua abbia mai ricevuto l'omaggio, ma avrebbe eziandio superato la comune aspettativa.

Tale è stata presso l'Augusto Pontefice l'impressione delle solenni onoranze tributate in Sardegna e più specialmente in Cagliari alla Vergine di Bonaria ed al Rappresentante Pontificio, e tale è stato altresì presso l'animo dell'illustre Primate di Sardegna il ricordo delle incomparabili feste.

L'apparato degli esteriori festeggiamenti per quanto splendido e maraviglioso, non ha potuto raggiungere ed eguagliare l'eccelso grado di sincera fede e di intima spontaneità di amore al quale l'esultanza di cotesti fedeli era informata.

E poichè del cuore dei fedeli sono stati educatori e maestri i Vescovi ed il clero dell'isola, Sua Santità con essi in particolare maniera si congratula, e ad essi riconosce il merito delle memorande festività.

L'Episcopato di Sardegna e prima fra tutti la S. V. Illma e Rma, non ora soltanto dimostra di aver coltivato l'animo del gregge, preparandolo all'insolita dignità delle superbe onoranze, ma luminosamente fa prova di averlo da lunga mano ammaestrato e di avergli istillato studiosamente e costantemente quei forti e nobili sensi che formano la sostanza della cattolica fede.

È perciò che la Santità Sua, mentre si compiace dell'insigne successo delle feste e delle accoglienze universalmente ammirevoli tributate all'Emo Porporato, più ancora si compiace dello stato d'animo delle diocesi sarde e delle speranze che Essa è bene autorizzata a fondarvi.

Di gran cuore pertanto benedice i Vescovi tutti ed il clero di Sardegna e benedicendo anche il popolo dal quale tanta gioia Le è venuta, benedice nel popolo i frutti di pietà finora colti e i bei fiori di virtù che le recenti solennità hanno discoperto e che rimangono come auspicio di crescenti grandezze per la Religione e per l'Isola.

Colgo l'occasione per protestarmi di Lei

Devmo
R. Card. Merry del Val.



EX S. CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Quo prohibentur quaedam opera a Barbier, D'Alma, Dupin, D'Azzi, et Hamelin conscripta.

Feria II, die 25 Maii 1908.

Sacra Congregatio Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium a SSmo Dno Nostro Pio PP. X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 Maii 1908, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

L'ABBÉ EMMANUEL BARBIER, *Le progrès du libéralisme catholique en France sous le Pape Léon XIII. Histoire documentaire. Paris, P. Lethielleux.*

— *Ne mêlez pas Léon XIII au libéralisme. Ibid., 1907.*

JEAN D'ALMA, *La controverse du quatrième évangile. Paris, E. Nourry, 1907.*

ANTOINE DUPIN. *Le dogme de la Trinité dans les trois premiers siècles. Ibid., 1907.*

C. ROMANO D'AZZI, *Un vasto inganno: la risurrezione dei morti. Studio critico. Roma, Enrico Voghera, 1907.*

FERDINAND HAMELIN, *Le journal d'un prêtre. Roman. Paris, Stock, 1908.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Paulus Bureau, Decreto S. Congregationis, edito die 17 Martii 1908, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae, die 26 Maii 1908.

Franciscus Card. Segna, *Praefectus.*

Fr. Thomas Esser, Ord. Praed., *a Secretis.*

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Litterae circulares quoad sacerdotes Italiae meridionalis Neapolim petituros.

Illmo e Revmo Monsignore come fratello,

L'Emo Sig. Cardinale Arcivescovo di Napoli si rivolgeva non ha guari alla S. Sede esponendo, che un numero di sacerdoti del clero secolare delle diocesi dell' Italia meridionale affluisce a quella città, o per trovarvi occupazione, o per ragion di studi, ovvero per altri motivi più o meno plausibili, e che da questa affluenza derivano non pochi inconvenienti in ordine alla disciplina del clero, malgrado i vari provvedimenti da Lui adottati. Faceva quindi istanza perchè la S. Sede si degnasse intervenire con la sua autorità, prendendo opportune ed efficaci disposizioni.

Ora il S. Padre, riconosciuta la necessità di un provvedimento speciale, ha ordinato a questa S. Congregazione di ingiungere, come ingiunge, ai Revmi Ordinari delle predette regioni che non siano facili nel permettere ai loro sacerdoti di prendere comunque dimora in Napoli, e che quando esistessero vere e gravi ragioni per alcuno di essi, non diano

il loro assenso se prima non abbiano preso i necessari accordi con quell'Emo Sig. Cardinale Arcivescovo.

È poi volontà del S. Padre che tale norma venga altresì osservata dai Superiori degli Ordini ed Istituti Religiosi, qualora dovessero far soggiornare in Napoli qualche loro suddito, e l'Ordine od Istituto non vi avesse casa.

Portati così a conoscenza della S. V. gli ordini del Santo Padre, le auguro dal Signore ogni bene.

Roma, 30 Marzo 1908.

Della S. V. Illma e Revma

Come fratello
D. Card. FERRATA, *Prefetto.*
F. Giustini, *Segretario.*

CULMEN.

IURIUM

Confirmatur erectio cuiusdam Vicariae paroecialis.

Haec quaestio agitata fuit in plenariis comitiis diei 15 Iunii 1906, et responsum prodiit adversum parocho Graboviensi recurrenti (1). Hic vero petiit obtinuitque beneficium novae audientiae, sed in suis deductionibus nihil novi in medium attulit, nisi quod auctoritas civilis minime recognovit dismembrationem paroeciae Graboviensis ab Episcopo factam pro erectione Vicariae paroecialis loci *Marienfelde.*

Dubium. *An sententia ab hac S. Congregatione edita die 15 Iunii 1906 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Responsum. Emi Patres S. C. EE. et RR. in plenario conventu diei 12 Iulii 1907 responderunt:

In decisis et amplius (2).

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 40, pag. 212.

(2) Si argumentum ex auctoritate civili depromptum in rebus ecclesiasticis valeret, iam actum esset de omnibus legibus ecclesiasticis deque ipsis divinis *(N.R.).*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NULLIUS SUBLACEN.

NULLITATIS MATRIMONII

Confirmatur sententia nullitatis matrimonii ex capite affinitatis secundi gradus ob copulam illicitam.

Die 14 Sept. 1903 in quadam paroecia Abbatiae Nullius Sublacensis rite celebratae fuerunt nuptiae inter Faustum F. et Mariam P. Verum ille statim conspexit, Mariam uterum gestare ex facto alterius, et ideo post aliquos dies expulsa est a contubernio viri. Cuius autem accusationis veritatem demonstravit nativitas infantuli nondum completis quatuor a nuptiis mensibus. Ferebatur etiam Mariam rei venereae operam dedisse praesertim cum quodam consanguineo in secundo gradu aequali.

Hinc vir a S. Sede petiit sententiam nullitatis matrimonii ex impedimento affinitatis; quin imo, quamvis carnale commercium habuerit cum uxore, tamen postulavit etiam dispensationem matrimonialem, eo quod in statu praegnantiae mulieris verificari nequit mixtio illa sanguinis, quae iuxta ius canonicum requiritur ut fiat una caro seu completa matrimonii consummatio (1). Verum haec S. C. rescripsit Emo

(1) Consultor, pro voto rogatus, censet in casu postulari etiam potuisse a Summo Pontifice dispensationem matrimonii rati et non consummati, quia admittendum esse retur principium, quod matrimonium iuridice dici nequit consummatum toto tempore quo mulier est gravida. Inde, iuxta ipsum, sequeretur quod, absque alio argumento, quoties sponsus inveniret sponsam utero gravem ex facto alterius viri, ipse gauderet privilegio possibilitatis dispensationis a matrimonio rato usque ad tempus puerperii. Ast haec Consultoris doctrina, secundum quam matrimonium non est aestimandum consummatum si casu contigerit ut copula habeatur cum muliere praegnante, est physiologice falsa et moraliter obscoena, atque, uti ipse Consultor concedit, est aliena ab huius S. C. praxi. Ceterum in themate, praeterquamquod idem vir orator coram iudice confessus est se matrimonium consummasse, hic S. O. mandavit Emo Abbati Commendatario ut causa tractaretur dumtaxat sub respectu nullitatis *(N. R.)*.

Abbati Commendatario Sublacensi ut « utatur iure suo (1), instituendo iudicium de matrimonii de quo agitur nullitate

---

(1) Defensori matrimonii ex officio haec verba *iure suo utendo* « difficultatem facessunt *(quemadmodum ipse scribit in suis animadversionibus),* quatenus comparentur cum iis, quae leguntur in Instruct. *Cum moneat Glossa,* quae ut bene compertum est, est proprie veluti secunda tabula fundamentalis (post Constit. *Dei miseratione*) in processibus matrimonialibus, quibusque prohibetur, quominus Abbates Nullius, esto cardinalitia dignitate fulgentes, causas matrimoniales agant. Nam haec ibi leguntur: *Praeterea cum a Sacro Conc. Trid.* (Sess. 24, cap. 20 de reform., § Ad haec) *ac etiam a s. m. Benedicto XIV* (in cit. Constit. *Dei miseratione*) *causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.* En ergo mea difficultas. Verba *iure suo utendo,* quae habentur in rescripto ad Eñum Abbatem Commendatarium Sublacensem quid significant?... iure suo tamquam Ordinarius, ut possent facere Episcopi? et tunc quomodo componitur hoc mandatum cum prohibitione contenta in Instr. *Cum moneat Glossa?* vel potius iure suo quatenus Eñus Abbas Commendatarius Sublacensis habeat speciale privilegium? sed tunc privilegium esset probandum, nam agitur de re facti; vel tandem iure suo, quatenus Eñus Abbas Commendatarius, deficiente privilegio, debuisset iterum recurrere ad obtinendam specialem delegationem, sed tunc cur haec (saltem quod sciam) exquisita non fuit? Eñus Abbas magis visus est interpretari *de suo iure proprio* illa verba. Nam, quamvis recolat recensitas litteras S. C., non dicit tamen velle se procedere ut Delegatus eiusdem; ait enim: *Nostro iure utentes delegamus,* etc. Et hoc sensu videntur quoque interpretati esse illa verba iudices Sublacenses: nam dicunt: *Vigore facultatum Nobis ab Eño ac Rño Abbate huius Abbatiae Commendatario Delegato Ordinario concessarum,* etc. Quin obesse videatur verbum *Delegato,* quod secundum integrum contextum videtur intelligendum non de Delegato a S. C. ad hanc causam, sed in genere de Abbate Commendatario deputato in munus Abbatiale ». Haec adnotavit vindex sacri vinculi in prima causae discussione, in secunda vero iterum denunciat « defectum iurisdictionis in Eño Abbate, cuius auctoritate conditus est processus et prolata sententia in prima instantia. Nam ex actis concludendum Eñum Abbatem Sublacensem processisse auctoritate ordinaria: verum ex Instr. *Cum moneat Glossa* a. 1840 Abbates *Nullius,* etiam amplissima cardinalitia dignitate fulgentes, non possunt facere causas matrimoniales. Ergo. Equidem in Secretaria S. C. mihi dictum est, verum titularem Abbatiae fuisse tunc SSñum Dñum, ita ut Eñus Abbas

ex capite affinitatis ob copulam illicitam, omissa prorsus quaestione de non consummatione ». Hoc habito responso, Emus

---

non esset nisi quasi delegatus eius. Verum difficultas mihi subsistere videtur, nam semper verum est ipsum processisse ut Abbatem auctoritate ordinaria, immvero Abbates hac carent facultate. Vestrum ergo erit diiudicare, num forsan, saltem ad cautelam, acta priora sint sananda ad tollenda quamvis ambigendi rationem, tanto magis quod, si prima sententia fuisset nulla, ad tertiam esset deveniendum ut habeantur, ut volunt iura, duae conformes ».

Huiusmodi sententiam ab officioso defensore matrimonii patrocinatam retent etiam Gasparri *(de matrim. vol. 2, n. 146, nota 2)*, Wernz *(Ius Decret., vol. 4, n. 729)* aliique ; sed contra sentiunt Feije *(de dispen., n. 586)*, et Aichner *(Comp. iuris eccles., pag. 410, n. 3)*, iuxta quem « Praelati, qui sunt vere et proprie *nullius* possunt cognoscere causas matrimoniales iure proprio ». Nos autem huic posteriori sententiae adhaerendum censemus. Nam si verba supra relata Instructionis S. C. Concilii recte perpendantur, patet nihil novi hac de re ibidem statui, sed tantum ea recenseri quae Concilium Tridentinum et plenius Benedictus XIV in Const. *Dei miseratione* praescripserunt. Particula enim *Cum* initio posita regit totam periodum usque ad incisum *etiam prae Abbatibus vere nullius* inclusive ; subsequenti vero inciso *licet cardinalitia dignitate fulgentibus* item traditur praxis S. C. Concilii. Porro certum est, et etiam sententiae contrariae adsertores libenter concedunt, Concilium Trid. et Benedictum XIV in Const. *Dei miseratione* loqui dumtaxat de Praelatis seu Abbatibus secundae speciei seu improprie dictis *nullius dioecesis*, qui nempe territorium proprium quidem habent ibique iurisdictionem exercent in clerum et populum, sed intra limites certae dioecesis continentur. Siquidem Conc. Trid. *(sess. 24, cap. 20 de reform., § ad haec)* decernit quod « *causae matrimoniales* et criminales, non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed *Episcopi tantum examini et iurisdictioni relinquantur* ». Idipsum repetit Benedictus XIV in Const. *Dei miseratione* diei 3 Nov. 1741, videlicet « *causae matrimoniales* subtractae fuerunt decani, archidiaconi et aliorum inferiorum iudicio, et *Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae* », idque explicat quatenus « dumtaxat procedat de archidiaconis, decanis aliisque inferioribus, *qui in eadem dioecesi constituti*, vel privilegio aliquo vel praescriptione saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi arrogabant ». At aliter dicendum est de Abbatibus tertiae speciei seu *vere nullius dioecesis*, qui nedum habent territorium proprium sed etiam separatum et dismembratum a qualibet dioecesi, adeo ut per se distinctam dioecesim efforment. Hinc in suo territorio reputantur uti veri Ordinarii, et omnia possunt quae Episcopi, excepta tamen potestate ordinis necnon dempta facultate qua ad tramitem Conc. Trid. *(sess. 23, cap. 10, de reform.)* gaudet Episcopus vicinior visitandi ecclesias saeculares exemptas, « quae in nullius dioecesis esse dicuntur ». Nec difficultatem

Abbas rite tribunal constituit atque tum partes tum nonnullos testes septimae manus sub iuramento excuti curavit. Die vero 2 Dec. 1905 Curia Sublacensis, « vigore facultatum sibi ab « Emo ac Rmo Abbate huius Abbatiae Commendatario de« legato ordinario concessarum », declaravit « constare de « nullitate matrimonii in casu, ex impedimento affinitatis in « secundo gradu ex copula illicita exorto ».

Verum ab hac sententia appellationem, vi muneris sibi commissi, apud hanc S. Congregationem instituit localis vindex sacri vinculi ex officio. Causa igitur discussa fuit in plenario coetu diei 18 Aug. 1906, ubi ad propositum dubium: ***An Curiae Sublacensis sententia sit confirmanda vel infirmanda in casu;*** Emi Patres S. C. Concilii interpretes respondendum censuerunt: ***Dilata, et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.***

Ad huius mandati tramitem romanus sacri vinculi vindex suam elucubravit instructionem, quae ad Curiam Sublacensem transmissa est, eum in finem ut probationes ex testium depositionibus magis roborentur. Quibus autem, prout datum fuit, suppletis causa denuo proposita est in plenario conventu diei 1 Februarii 1908, ubi Emi Patres ad idem quo supra propositum dubium, responderunt:

Sententiam esse confirmandam.

---

facessere debet appellativum *vere nullius,* quod a citata Instructione S. C. C. tribuitur *Abbatibus;* nam hoc fortasse factum fuit ut melius indigitentur Praelati secundae speciei, qui sicuti antea ita etiam tunc temporis sibi arrogabant ius cognoscendi causas matrimoniales.

Caeterum quoad Abbatiam Sublacensem praesto nobis est Motu Proprio Urbani VIII, qui die 15 Apr. 1638 facultatem tribuit, ita ut « Abbas Commendatarius.... omnes lites, civiles, criminales et etiam matrimoniales cognoscere et iudicare....., necnon synodum convocare..... possit et debeat »; quam praxim Curia Sublacensis servavit etiam post dictam Instructionem S. C. C. a. 1840. Quibus accedit quod Emi Patres petitam actorum sanationem in casu concedere necessarium non duxerunt *(N. R.).*

CAMERACEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Conceditur dispensatio matrimonii rati et non consummati.

Factiseries. In quadam paroecia Cameracensis archidioecesis, die 4 Maii 1901 celebratae fuerunt religiosae nuptiae inter Ioannam S. et Iulium D.; at infausto sub divo. Nam, utroque sponso iuridice fatente, consummatio matrimonii nedum perfecta non fuit, sed ne attentata quidem in brevi quindecim dierum cohabitatione. Cuius rei causa collocanda esse videtur praesertim in quodam tumore partibus genitalibus inhaerenti, qui forsitan virum impedivit quominus actum coniugalem impleret. Praeterea cum sponsus morbo epileptico laborasset, atque eodem bis correptus fuisset vita coniugali durante, mulier, matre eius instante, maritalem domum dereliquit et paternam repetiit.

Deinde eadem sponsa divortium civile obtinuit praecipue ob mariti impotentiam; die vero 28 Sept. 1904 supplicem libellum Summo Pontifici porrexit eum in finem ut dispensatio a matrimonio dumtaxat rato sibi concederetur. Et haec S. C., attentis commendatitiis litteris Ordinarii Cameracensis, eidem necessarias et opportunas tribuit facultates pro canonico processu conficiendo, in quo, praeter coniuges iuratos, audita fuit septima manus pariter iurata, quae nedum de credibilitate coniugum testata est, sed etiam de notitia inconsummati matrimonii tempore non suspecto habita. Requisita etiam fuit peritia iuridica medicorum quoad virum; at mulier prius renuit inspectioni medicali se subiicere, dein vero, matrimonio civili cum alio viro inito, ne valuit quidem.

Dubium. *An consilium praestandum sit SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.*

Responsum. Sacra Congr. Concilii in plenariis comitiis diei 11 Ianuarii 1908 respondit:

Affirmative.

IMOLEN.

DECIMARUM

Circa ius decimandi Capitulo cathedrali competens in quatuor paroeciis iurispatronatus.

Compendium facti. Capitulum cathedrale Imolense iam a remoto tempore gaudet iurepatronatu activo super quatuor paroecias locorum vulgo *Cantalupo, Sesto Imolese, Giardino* et *della Croce coperta,* nec non iure inibi decimandi, quod exercuit per eosdem parochos seu Vicarios curatos, his tamen convenienti relicta primitiarum parte pro facta collatione et in supplementum congruae. Huiusmodi decimarum ius varias imminutiones passum est ob subsecutas vicissitudines Gubernii civilis in Italia; tandem anno 1819 Pius VII omnia in integrum restituit, ita ut 1°. parochus oppidi *della Croce coperta* colligere teneretur corbas seu annuas mensuras frumenti 38, quarum 24 cedebant Capitulo; 2°. parochus loci *Sesto Imolese* mensuras 25, quarum 15 pro Canonicis; 3°. parochus pagi *del Giardino* corbas 37, quarum 15 favore Capitularium; 4°. tandem parochus loci *Cantalupo* corbas 58, quarum 24 spectabant Capitulo. Computata igitur unaquaque frumenti mensura iuxta pretium medium in libellis 12.50, habetur quod parochus *della Croce Coperta* annuatim ex primitiis lucratur lib. 175, parochus de *Sesto Imolese* lib. 125, parochus *del Giardino* lib. 275, et parochus de *Cantalupo* lib. 425.

At anno 1887 publicata fuit a Gubernio italico lex abolitiva decimarum, cuius vi parochi, post editam legem renunciati, explicare non amplius poterant ad decimas colligendas actionem civilem. Ex hisce quatuor parochis tantum parochus loci *Cantalupo* extat nominatus ante dictam legem qui officium suum quoad solutionem primitiarum erga Capitulum adimplet: at non ita alii tres posterius nominati. Hi quamvis a Gubernio obtinuerint congruae supplementum ob amissionem decimarum, nempe parochus de *Croce coperta* lib. 867, parochus loci *Sesto*

Imolese lib. 514, et parochus *del Giardino* lib. 600, designatas primitiarum mensuras Capitulo solvere refragati sunt. Non semel idem Capitulum institit apud dictos parochos ad habendas decimas, sed cum omnia conamina in irritum cesserint, ad hanc S. C. recursum obtulit, instans ut parochi cogerentur ad refectionem damnorum ob decimas iam indebite sibi attributas, et insimul quoad futurum declararentur adstricti ad congruam pecuniae summam solvendam Capitulo loco primitiarum quarum sunt debitores. Episcopus vero de suo voto rogatus adhaeret Capitulo quoad secundam eius petitionis partem. Hinc idem Praesul, ex mandato huius S. O., curavit quidem partes ad propositam de bono et aequo concordiam inducere; at licet Capitulum non se alienum exhibuerit ab ineunda transactione, tamen parochi in suis iuribus perstiterunt omnem compositionem respuentes.

Animadversiones. Parochi itaque contendunt se amplius non teneri ad colligendas decimas pro Capitulo. Sane post editam legem abolitionis decimarum, ipsi nullum titulum civilem adducere valent ad cogendos debitores pro earum solutione. Neque regerere iuvat quod maior pars fidelium, non obstante lege iniusta eos exonerante, adhuc decimas praestare pergit: nam, omisso quod haec praestatio de die in diem semper decrescit, fideles id peragunt nullimode intuitu Capituli sed parochorum, a quibus sacramenta percipiunt. Quare parochi ab hac decimarum solutione se liberatos renuntiant.

Praeterea observant decimas sibi spectantes habere rationem congruae, quod non ita dici potest de parte decimarum Canonicis debita; neque audiendum esse Capitulum quando asserit decimas parochis relictas fuisse uti praemium laboris pro collectione facienda. Id scatet tum ex actis fundationum ipsarum paroeciarum, tum protestatione emissa a. 1827 a tribus parochis locorum *Cantalupo, Sesto Imolese* et *Giardino* contra Capitulum, quod sibi adiudicare tentaverat omnes primitias,

relicta eisdem parochis quota parte pro labore impenso in eis colligendis. Hoc igitur recepto principio, id profecto consequitur, quod si aliqua in primitiis contingat diminutio, haec non debeat afficere primitias debitas parochis, quia eorum congrua salva semper esse debet, sed potius percutere primitias spectantes Capitulo. Hinc parochi non debent respondere de damno in primitiis respectu Capituli, nam iuxta notum axioma: *res domino perit.*

Hisce enucleatis parochi ita arguunt. Gubernium italicum lege sua iniqua evertit tum decimas parochis debitas, tum illas Capitulo spectantes. Loco abolitarum decimarum prioris speciei supplementum congruae subrogatum fuit, pro secundis Gubernium nihil substituit. Haec profecto pro Capitulo est ingens iactura: sed nequit inferri quod parochi ad eam reparandam concurrere debeant, cum eorum debitum quoad decimas erga Capitulum causa iniquae legis seu ex vi maiori effectum fuerit insolubile. Ceterum ipsi stricto rigore urgeri non valent ad hanc solutionem iuxta S. Poenitentiariae responsum diei 4 Maii 1897: « Si habuerit parochus aequam compensationem aut supplementum pro decimis, non esse huiusmodi fideles inquietandos, dummodo parati sint stare mandatis Ecclesiae ».

Ex adverso Capitulum contendit, primitus capitulari mensae omnes tributas fuisse primitias, quae prius solvebantur iisdem paroeciis; dein vero, sive ex Capitularium concessione sive ex successivis conventionibus, dictis parochis assignata fuit aliqua pars primitiarum pro labore collectionis. Hinc locus fieri nequit duplici primitiarum generi, licet admitti velit quod pars primitiarum relicta sit ad congruae supplementum.

Praeterea Capitulum observat quod tres parochi, ob amissionem decimarum vi legis abolitivae an. 1887, ampliorem compensationem a Gubernio consecuti sunt, ita ut verum lucrum ipsi habuerint ex concessione supplementi congruae. Hisce tamen non obstantibus hi perrexerunt decimas a fide-

libus percipere, et earum quotam partem Capitulo persolvere refragati sunt. At, prosequitur Capitulum, hoc nedum pugnat cum lege aequitatis, quae iubet neminem locupletari debere cum alieno dispendio, sed etiam directe sese opponit obligationibus iisdem parochis impositis in lege erectionis suarum paroeciarum.

Demum id neque respondet menti S. Sedis ita expositae in responso dato a S. Poenitentiaria Episcopo Urbaniensi et S. Angeli in Vado: « Quatenus parochi supplementum accipiant a Gubernio in compensationem decimarum, et illud decimas quas antea percipiebant adaequet, reliquum quod a fidelibus praestatur, erogandum esse in pias causas iudicio Ordinarii ». Iam vero causa pia in themate alia profecto esse non potest, nisi Capitulum erga quod tres parochi dici debent debitores primitiarum, sive inspiciantur leges fundationis paroeciarum, sive etiam ratio habeatur consuetudinis.

Dubium. *An et in qua mensura tres parochi vulgo* di Sesto Imolese, del Giardino, di Croce coperta *teneantur, etiam quoad ratas decursas, rependere primitias seu decimas mensae Capituli cathedralis Imolensis in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. C. C. in generalibus comitiis diei 28 Martii 1908 respondendum censuerunt: *Ad mentem* (1).

DE LINARES

EXEMPTIONIS AB ONERE

In casu decernitur exemptio a solutione taxae episcopalis.

Factispecies. Die 31 Iulii 1896 vacavit V praebenda canonicalis in cathedrali ecclesia de Linares, quae licet vi Regulae IX Cancellariae Apostolicae esset reservata Romano

(1) Ius decimandi in casu competere videtur pro quota parte tum Capitulo tum parochis interesse habentibus; hinc concordia iuxta votum Episcopi imposita fortasse fuit *(N. R.)*.

Pontifici ratione mensium, tamen bona fide ab Archiepiscopo tunc temporis collata fuit sacerdoti Petro de la Garza. Verum Archiepiscopus successor, modo et ipse defunctus, attentis praesertim ingenio valde irascibili et turbulento dicti canonici nec non dissidiis cum Capitulo exortis aliisque defectibus, melius et prudens sibi visum est eumdem in cura animarum applicare. Hinc Archiepiscopus occasionem captans ex collatione enunciati canonicatus initio nulliter facta contra regulam IX Cancellariae, processum instituit et de consensu Capituli sub die 26 Sept. 1904 decrevit remotionem canonici de la Garza a canonicatu. Adversus huiusmodi remotionem sacerdos de la Garza, invocans Regulam 36 Apostolicae Cancellariae de triennali possessione, recursum habuit ad Delegationem Ap. in Republica Mexicana et petiit se in possessione collati canonicatus manuteneri, insimul declarans se alienum non esse, pro bono pacis et ad vitanda scandala, interinaliter acceptare aliquam paroeciam. Delegatio autem Apostolica pro hoc negotio explendo delegavit Episcopum de Tamaulipas, qui die 10 Nov. 1904 retulit quod processus instructus ab Archiepiscopo contra enunciatum sacerdotem fundamento carebat; verum, attentis nonnullis defectibus minoris momenti in inquisito, praesertim vero indole dicti sacerdotis aliquantisper irascibili, contrarietate Capituli ac Archiepiscopi dispositione ad illi committendum regimen paroeciae, maxime conducebat ad pacem redintegrandam eidem suadere paroeciae acceptationem, prout de facto fecit. Unde sacerdos de la Garza renunciationem canonícatus emisit die 16 Nov. 1904.

De hisce omnibus certior facta haec S. C. sub die 27 Martii 1905 rescribere censuit, « propter longum tempus iam dilapsum a collatione canonicatus facta sacerdoti de la Garza, eumdem non esse inquietandum tum quoad beneficii possessionem tum quoad fructus iam perceptos. Verum ut pax foveatur et omnis praecidatur scandali occasio, S. Congregatio peroptat, ne ulterius differatur translatio dicti canonici ad pa-

roeciam iam ab eodem acceptatam, ita ut eius honori et bonae famae consulatur ». Ad tramitem huius rescripti Archiepiscopus die 15 Febr. 1906 favore sacerdotis de la Garza expedivit litteras collationis paroeciae iam pridem ab eodem petitae, nempe de Hujauco de villa S. Jacobi, cum impositione tamen oneris 3 °/₀ pro Seminario et tertiae redituum partis pro mensa archiepiscopali. Contra has litteras eodem die protestatus est sacerdos de la Garza, sed dein, fidei professione emissa iuramentoque praestito, profectus est ad paroeciam.

Quatuor fere mensibus elapsis idem sacerdos ab hac S. C. petiit relevari a dicto onere solvendi mensae episcopali, seu sacrae infulae ut aiunt, impositam tertiam redituum partem utpote arbitrariam. Novissime vero per constitutum procuratorem aliam adnisus est excitare praeiudicialem quaestionem de redintegratione seu manutentione in sibi collato canonicatu iam ab eo dimisso ob consecutam paroeciam de Hujauco: sed cum illa iam in antecessum composita et soluta sit, actio coarctanda potius est ad exemptionem ab onere solvendi tertiam partem fructuum favore mensae episcopalis.

Observationes. Praesens controversia resolvenda non est ad tramitem iuris communis sed particularis in America Latina seu meridionali vigentis, praesertim vero Concilii Plenarii Americani Latini et Conc. provincialis V Mexicani. Sane Conc. Am. Latinum, postquam in *n. 860* statuerat Episcopos posse exigere seminaristicum et cathedraticum, ita sub *n. 861* prosequitur: « Quamvis ex iure communi Episcopus subsidium caritativum ab ecclesiis et clericis sibi subiectis tantum extraordinarie, iusta et gravi interveniente causa atque cum consensu Capituli, exigere possit; tamen, deficientibus stabilibus reditibus pro propria sustentatione et communibus expensis dioecesis, pro more aliarum regionum, certam et determinatam contributionem annuam, aequitate canonica servata, exigere valet ».

Ex qua conciliari dispositione duo velut sua sponte fluunt, nimirum subsidium caritativum in America Latina non amplius retinere naturam remedii extraordinarii seu subsidiarii caritatis auxilii, uti fert ius commune, sed induere naturam verae et proprie dictae contributionis annuae periodice solvendae, ad quam Episcopi recurrere non prohibentur tamquam ad proprium ordinariumque fontem redituum, cum deficiant stabiles reditus sufficientes pro se et communibus expensis dioeceseos; quaeque proinde quasi ponitur pro dote saltem partiali mensae episcopalis et fundo communi dioecesis. Secundo fluit causas et solemnitates a iure communi requisitas fuisse valde temperatas in huiusmodi taxae impositione, tantum prae oculis habita canonica aequitate. Iamvero quod in archidioecesi de Linares deficiant stabiles reditus pro necessitatibus dioecesis satis abunde constat ex litteris eiusdem Archiepiscopi. Praeterea quam gravis nostris praesertim temporibus incumbat Episcopis obligatio curandi institutionem christianam iuventutis in scholis et collegiis catholicis, nemo est qui non videat.

Sed adhuc clarius id eruitur ex Concilio provinciali Mexicano V, quod *(tit. 3, de tertia episcopali, art. 741)* statuit principium omnino generale, secundum quod datur Episcopis facultas parochis quibuscumque imponendi pensiones, prudenti ipsorum arbitrio et canonum praescriptis mensurandas, semel ac sint in dioecesi necessitates sublevandae. Deinde inferius hoc generale principium applicatur ad tertiam episcopalem in specie. Nam statuitur in *art. 741*: « Muneris est parochorum in dioecesibus huius provinciae ecclesiasticae vitam degentium eam subministrare portionem proventuum parochialium quam Episcopo assignare placuerit, et quae ad Ecclesiae necessitates sublevandas est destinata, servatis tamen canonicis praescriptionibus ne iusta mensura excedatur ». *Art. 742*: « Tertia dicta episcopalis, parochis et vicariis qui praecario parochiis praeficiuntur imposita, singulis mensibus de reditibus in libris emolumentorum appositis solvi debet, dummodo

portione congrua non fraudentur, et supersit quantum sufficiat ad explendum onera officii sui ». *Art. 743*: « Parochi, qui portionem pensionis solvere debent, eam quolibet bimestri mittant ad Episcopum una cum nota, qua tum proventuum, tum expensarum ratio reddatur ». Hisce itaque inhaerens dispositionibus, quas citat Wernz *(Comment. ad Decretales, tom. 3, n. 223 in fin., et not. 66)* postquam affirmaverat posse Episcopos cathedraticum et seminaristicum exigere, sedulo subiungit: « Multoque magis fas est, ut iis in regionibus, in quibus Episcopi pro propria sustentatione et communibus dioecesis expensis reditus stabiles non habent, ad hunc finem certa et determinata contributio ecclesiis imponatur ».

Accedunt argumenta ex consuetudine et ex facto deprompta. Et ad consuetudinem quod attinet, de ea in memoratis litteris testatus est Archiepiscopus. Quoad factum omne dubium excludi videtur ex eo, quod parochus de la Garza beneficium onere gravatum et ab Archiepiscopo collatum omnino acceptavit, imo professione fidei et iuramento emissis profectus est ad parochiam, cui ex tunc inservit. Unde ipse satis domonstravit, se cuilibet meliori iuri renuntiasse.

Ex adverso vero defensor sacerdotis de la Garza, de hac quaestione breviter et quasi incidentaliter disserens, contendit impositionem praefatae taxae non posse sustineri, eo quia ipsa est excessiva; nam ea iuncta cum alia taxa favore Seminarii exhauriret 37 % de reditibus parochialibus, quod omnino admitti nequit. Deinde non adest necessitas seu causa canonica pro eius impositione quia, ut ipse ait, dioecesis de Linares non laborat paupertate; neque ea considerari fas est ad instar cathedratici quia hoc solvitur singulis annis dum illius taxae solutio praecipitur fieri singulis mensibus. Hinc retur illius impositionem fuisse arbitrariam, neque ad eius cohonestationem ullimode invocari posse dispositionem iam alias citati Concilii Americani Latini *n. 860* sic se habentem: « Episcopus singulis annis, quamdiu sit necessarium, secundum

tramites a Concilio Tridentino statutos a beneficiariis aliisque personis in iure expressis seminaristicum postulare valet, atque cathedraticum pariter in forma legitima exigere non prohibetur, dummodo caveat ne iustam mensuram excedat ». Hoc autem eo vel magis urget advocatus, nam secus ex facta translatione a canonicatu ad paroeciam, sacerdoti de la Garza praeter damnum morale iam ab eo passum, etiam immineret damnum oeconomicum.

Decisio. Emi Patres S. C. Concilii in plenario coetu diei 30 Maii 1908 responderunt:

Attentis peculiaribus circumstantiis, oratorem eximendum esse ab onere solutionis taxae favore mensae archiepiscopalis (1).

CAIETANA

EXECUTIONIS DECRETI

Praecipitur immediata erectio novae paroeciae.

Species facti. Inter fines Caietanae dioecesis extat montanum oppidum *Ausonia* nuncupatum. In montis culmine exurgit ecclesia matrix et paroecialis S. Michaelis, quae circiter 1200 animas recenset; in loci autem declivio, ab eadem distans per fere 200 metra, invenitur alia ecclesia paroecialis B. M. Virgini vulgo *del Castello* dicata, quae suppressa utique fuit a potestate civili anno 1813, sed huiusmodi suppressio numquam ab auctoritate ecclesiastica fuit recognita. Haec paroecia continet circiter 700 animas, et quia ob tenuitatem reditus conferri non potuit ope concursus, sed usuvenit ea dari sacerdotibus in administrationem, ideo eius re-

(1) Per se loquendo parochus de la Garza teneretur solvere tertiam episcopalem, sed ab huius oneris solutione merito eximitur, quia aequum est ut saltem a damno oeconomico relevetur qui non modicum damnum morale iam passus est ob peractam translationem a canonicatu ad paroeciam *(N. R.)*.

ctores oeconomi spirituales dicti sunt. Denique in planitie ad radicem montis, intra limites paroeciae matricis, habetur portio domorum vulgo *frazione* cum ecclesia filiali dicata S. Bartholomaeo, quae appellatur *Selva Cava,* distans ab ecclesia matrice 3 vel 4 Km., et continens 1500 fideles.

Anno 1905 archipresbyter S. Michaelis, Vincentius Petronio, perpendens incommodum accessus fidelium fractionis *Selva Cava* ad ecclesiam matricem, et tenuitatem reditus alterius paroeciae oeconomalis, nec non facilem accessum huius fidelium ad ecclesiam archipresbyteralem, supplicem libellum obtulit huic S. C. pro suppressione paroeciae oeconomalis S. Mariae eiusque incorporatione ecclesiae S. Michaelis, nec non pro erectione in novam paroeciam fractionis *Selva Cava.* Precibus ad Archiepiscopum pro informatione et voto remissis, hic primum eisdem sese contrarium exhibuit, tum quia spem fovebat oeconomalem S. Mariae paroeciam civiliter a Gubernio esse recognoscendam, tum ob defectum dotis pro novae paroeciae erectione ; verum, ingeminatis precibus ab archipresbytero, sententiam mutavit et postulatis annuit rem remittens huius S. C. iudicio.

Hisce acceptis, hic S. O. die 10 Apr. 1906 sequens edidit decretum : « Attentis... Archiepiscopo cum facultatibus, ut iussu et auctoritate S. C. supprimat ecclesiam parochialem S. Mariae *del Castello,* eamdem attribuendo ecclesiae a S. Michaele Arch. in Ausonia uti matrice, ad hanc translatis libris aliisque titulis suppressae paroeciae pertinentibus ; erigat autem in ecclesiam parochialem cum proprio fonte ecclesiam filialem a S. Bartholomaeo Apost. loci *Selvacava,* reservato eidem Archiepiscopo iure conferendi idem beneficium pro prima vice absque concursu, praevio tamen examine coram Archiepiscopo et tribus examinatoribus prosynodalibus. Quo vero ad congruam parochialem constituendam Archiepiscopus satagat, ut praeter enunciatos reditus beneficio conce-

datur ita dictum congruae supplementum; fines autem determinet parochiales prout in Domino expedire iudicaverit ».

Hoc decreto cognito a sacerdote Peschillo, rectore ecclesiae S. Mariae, hic adlaborare coepit ut illud vel esset suspensum quoad executionem, exponens fere omnes difficultates cessasse pro obtinenda recognitione civili suae paroeciae, vel saltem reformatum, promittens etiam sese traditurum annuas libellas centum ex reditibus sibi assignatis in favorem novae paroeciae. Hoc sensu etiam apud hanc S. C. institit Archiepiscopus. Sed hic S. O. prius postulata tum Archiepiscopi tum oeconomi spiritualis reiecit, dein vero quaestionem proponere censuit in plenario EE. PP. coetu.

Deductiones. Advocatus, quibusdam praemissis quoad causas quibus archipresbyter motus fuit ad petendam suppressionem paroeciae S. Mariae, sub aspectu iuris notat, in genere uniones vel suppressiones beneficiorum haberi uti rem odiosam, quia alienationem sapiunt eique aequiparantur, ut Fagnanus *ad cap. Noviter., tit. Ne sede vacante, n. 3,* et passim alii auctores tenent. Quare in *cap. 33, de Praeb.* sancitum invenitur, « ne ratihabeantur uniones, extinctiones, dismembrationes beneficiorum, quin prius magna et evidens pateat necessitas et utilitas ». Porro in dismembrationibus seu partialibus alienationibus haec prae oculis habenda esse contendit principia. Card. De Luca *(Adnot. ad Conc. Trid., disc. 16, n. 2)* tradit: « Dismembratio alienationem importat, quare odiosissima est in iure et concedi nequit nisi in casibus verae necessitatis ». Quare haec S. C. in *Feretrana* 4 Aug. 1883 respuit dismembrationem, quia non constitit de absoluta necessitate, quum inibi haberetur ecclesia cum suo vicario, et accessus ad paroeciam facilis esset. Insuper etiam solemnitates sub poena nullitatis requiruntur, ut pluries Rota tenuit *(Decis. 239, part. 1; Decis. 228, part. 2,* et *Decis. 224, part. 10 inter recent.)*; quin imo aliquando dismembratio denegata fuit, quia necessitatibus spiritualibus pa-

rochianorum consuli poterat constitutione capellani. Cfr. Decisiones huius S. C. in *Derthonen.* 17 Dec. 1732, *Terracinen.* 6 Iunii 1739, et *Cassanen.* Ian. 1755.

Haec autem principia potiori ratione aptari possunt in perfecta beneficiorum extinctione seu suppressione. Porro in themate pro decernenda suppressione paroeciae S. Mariae, necessitatem prorsus exulare sustinet. Haec enim suppressio non est necessaria ratione novae paroeciae, quia haec erigeretur in loco sat remoto ab ecclesia S. Mariae. Neque necessitas desumi potest ex defectu congruae sufficientis pro sustentatione rectoris, quia facta assignatio a Gubernio ablata non fuit, quin imo in posterum augebitur. Item in casu deest magna et evidens utilitas. Suppressio ecclesiae oeconomalis in nullius commodum vergit; nullam enim utilitatem obtinent filiani ecclesiae S. Michaelis, quia propriam habent paroeciam; non prodest paroecianis S. Mariae, quia contenti adsunt de functionibus sacris expletis in propria ecclesia; non iuvat filianos novae paroeciae, quia haec valde distat ab ecclesia S. Mariae.

Praeterea in beneficiorum translationibus, unionibus et praesertim suppressionibus, ut ait Rota *(dec. 1351 coram Lancellotti*, et *decis. 99 coram Herrera)*, solemnitates quoque requiruntur, adeo ut nihil prosint iustae causae, si eodem tempore solemnitates desint. Praecipua autem, iuxta resolutionem huius S. C. die 29 Nov. 1609, est ut Episcopus adhibeat in unione facienda Capituli consensum, idque sub poena nullitatis. Sed in casu decretum prodiit inaudito Capitulo et Episcopo contradicente. Quin opponatur in themate suppressionem paroeciae decretam fuisse auctoritate S. Sedis ideoque nullam fuisse necessariam iuris solemnitatem. Advocatus observat quod vel suppressio fit ex speciali auctoritate Apostolica, et tunc procedit obiectum principium quia in eo casu Pontifex utitur supremo quo pollet iure in beneficiis; vel suppressio locum habet vi Apostolici rescripti, et tunc con-

cessio praesumitur facta ad formam iuris communis, eiusque valor pendet a veritate narratorum, quae in casu defuit. Hoc docent Lotterius *(de re benef., lib. 2, quaest. 54, n. 9)* aliique doctores, et Rota praesertim in *Capuana* Maii 1760 *coram Ubaldo.*

Advocatus etiam propugnat decreti revocationem, quia statuta beneficii suppressio est in evidens rectoris praeiudicium contra dispositionem factam in *cap. 5, sess. 21 de Reform.* Conc. Trid. et principia admissa ab hac S. C. in *Derthonen.* Ian. 1736, et *Asculana* Iulii 1730, in qua postrema causa, attento possessoris beneficii damno, eiusdem beneficii unio dilata fuit ad mortem investiti. Praeterea rector S. Mariae ante huius decreti editionem non fuit nec auditus nec monitus: hoc autem ait pugnare cum naturali aequitate, quae in quolibet negotio praesertim praeiudiciali iubet audiri interesse habentes.

Ex adverso defensor archipresbyteri contendit controversum decretum esse quam citius executioni mandandum. Sane, ait, in dubium revocari non potest quod haec S. C. potestate polleat decernendi suppressionem ecclesiae S. Mariae, et ecclesiam fractionis *Selva Cava* in novam paroeciam erigendi: potius inquirendum est utrum servatae sint iuris solemnitates et iustae adfuerint causae.

Quoad primum advocatus observat, quod hae solemnitates non requiruntur, quando beneficiorum uniones vel dismembrationes fiunt directe a Papa vel a S. Sede, quia, ut ait Card. De Luca *(de benef., disc. 45, n. 10)*, « ex conclusione recepta in materia alienationis bonorum vel iurium Ecclesiae, beneplacitum Apostolicum supplet solemnitates ». Quin imo in themate hae solemnitates intercesserunt. Constat nam pro erectione novae paroeciae adesse consensum omnium interesse habentium et ipsius parochi S. Michaelis, qui consensit sub conditione, ut ecclesia oeconomalis incorporetur suae paroeciae, assumpto sibi onere in ea cultum manute-

nendi. Utique pro suppressione ecclesiae S. Mariae non fuit exquisitus rectoris consensus, sed hic consensus a iure non requiritur, cum eius rector sit merus oeconomus curatus ad nutum amovibilis.

Etiam iustae causae adfuerunt. Hae communiter recenseri solent in necessitate vel evidenti utilitate ecclesiae, et non sunt taxative determinatae, sed pendent a prudenti iudicis arbitrio pro casuum varietate. Iam vero quod suppressio ecclesiae oeconomalis sit valde utilis apparet ex eo quod oppidum Ausonia, si demas vicum *Selva Cava,* non plus quam duo millia incolarum continet, distantia ipsius ab ecclesia paroeciali S. Michaelis est minima nempe in metris 200; hinc populus facile regi valet ab unico pastore, et pro bono animarum id melius conducit, quia inter duas ecclesias evitantur exorta dissidia. Revera quod sublatio vel extinctio contentionum sit causa canonica pro uniendis vel dismembrandis beneficiis, passim tradit Card. De Luca sive in suo tractatu *de beneficiis* sive *in adnotationibus ad Conc. Trid.,* qui inibi docet aliquando ex hisce causis S. Sedem procedere etiam ad divisionem vel suppressionem dioecesium. Insuper suppressio ecclesiae S. Mariae arcte coniungitur cum erectione novae paroeciae; eatenus enim archipresbyter adhaeret dismembrationi, quatenus ecclesia S. Mariae incorporata maneat suae paroeciali ecclesiae. Iam vero de necessitate erectionis novae paroeciae dubitari nequit, sive attendatur ipsius distantia per 4 Km. ab ecclesia matrici, sive incolarum numerus circiter 1550 spectetur, sive ratio habeatur quod hic vicus quamprimum ab auctoritate civili in authonomum erigetur municipium. Nec item deest consensus rectoris ecclesiae loci *Selva Cava,* quin imo ipse iam paratus est duos fundos donare pro dote novae paroeciae.

Dubium. *An et quomodo sit executioni mandandum decretum huius S. C. diei 10 Aprilis 1906 in casu.*

Resolutio. Sacra Congr. Concilii in plenariis comitiis diei 30 Maii 1908 respondere censuit:

Ad mentem. Mens est: attentis omnibus, illico deveniendum esse ad erectionem paroeciae S. Bartholomaei in loco Selva Cava (1).



EX S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE



Laudes tribuuntur Praefecto Ap. Insularum Carolinarum.

Romae, 2 Ianuarii 1908.

Revme Pater,

Annuam istius, cui praees, Apostolicae Praefecturae relationem a Rev. Tua die 10 Septembris elapsi anni datam recepi, attenteque perlegi. Quanto zelo Rev. Tua atque omnes in sacro ministerio adiutores tui, Divini Nominis propagationem et gloriam prosequuti sitis, ex tuis litteris apertissime apparet; atque meritas cuique proinde haec S. Congregatio per praesentes tribuit laudes.

Fructus vero laborum vestrorum non aeque sane laetantes vobis colligere ubique datum est. Siquidem, si in insula *Ponape* et frequentiores infideles ad fidem sunt conversi, et ferventiores in religiosis operibus catholici exstiterunt; caeteris in duabus insulis et maximas in indigenis a depravatis suis moribus deterrendis difficultates sustinuistis, et fere nullum

(1) Utilitas imo et necessitas erectionis novae paroeciae in vico *Selva Cava* ita elucet ut a nemine negari possit; hinc S. C. iussit iam a se editum decretum quoad hanc partem executioni statim demandari. Quoad suppressionem vero alterius paroeciae oeconomalis sub titulo S. Mariae, quum Emi Patres mentem suam non pandiderint, haec, perdurantibus praesentibus rerum adiunctis, in suo esse servanda est (*N. R.*).

in catholicis ad christianae vitae institutum reducendis, fructum experti estis.

In Domino vero confidite. Zelum vestrum, sive in scholis pro iuventute ubique aperiendis, sive in sacris aedibus aedificandis, sive in populis istis barbaris evangelizandis, sive in rapacibus lupis, ovina quidem pelle contectis, ab ovile Christi pellendis, Deus misericors infructuosum fore non patietur. Constantes igitur estote; orationi semper intenti, in sacro ministerio strenue adlaborate; nihil pro animarum bono intentatum relinquite: et Deus, qui dat omnibus abundanter, et labores vestros uberrimis salutis aeternae fructibus coronabit; et vobis electissimas suas gratias concedere misericorditer dignabitur. Quas quidem Tibi tuisque omnibus confratribus atque adiutoribus ominans, Deum simul precor ut Te diu sospitem servet.

Reverentiae Tuae

addictissimus servus
Fr. H. M. Card. Gotti, *Praefectus*.
Aloisius Veccia, *Secretarius*.

P. Venantio de Prechthal
Praef. Apost. Insular. Carolinarum.



EX S. CONGREGATIONE RITUUM



NEAPOLITANA

Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei P. Ludovici a Casaurea, sacerdotis professi ex Ordine Minorum, fundatoris Congregationum e Tertio Ordine S. Francisci fratrum a caritate vulgo " Bigi „ et sororum a S. Elisabetha vulgo " Bige „.

Ludovicus a Casaurea, qui sui legiferi patris Francisci Assisiensis mores et imaginem imitando expressit, variis carita-

tis operibus praesertim in egenos et pauperes ita eluxit, ut tota eius vita praeclaro describatur elogio « pertransiit benefaciendo ». Peramoena in civitate Casaurea, prope Neapolim, die 11 Martii anno 1814, tertius post Iosephum et Michaelam, ortum duxit Servus Dei, nomine Archangelus, filius Vincentii Palmentieri et Candidae Zenga, coniugum magis religione quam censu divitum. Stabulum, uti seraphico Patri, hospitium obtulisse fertur infanti qui sequenti die in ecclesia S. Mauri baptizatus est. A pueris indolem praetulit simplicem, a dolo alienam, parentibusque subiectam. Succrescens, Antonio Migliore praeceptore, literarum rudimenta et christianam catechesim addiscit atque, alacri quo pollebat ingenio, aequalibus antecellit. Verum pater, de bonis moribus filii valde sollicitus, timens ne studiorum prosecutio illius mutaret indolem atque intellectum cum malitia, ad artem fabri lignarii, in officina Salvatoris Provitera Neapoli degentis, iuvenem addixit. Piam genitricem id aegre ferentem amantissimus filius, singulis sabbatis domum rediens, solabatur, etiam cum lucro hebdomadarii laboris eidem porrecto. Anno 1829, mense Septembri, Candida lethali morbo correpta, singularem Archangeli curam et amorem experta est, donec subsequenti mense Octobri pie ex hac vita migravit. Lugubris eventus consilium genitoris cum votis filii provide conformavit, qui intermissa studia resumpsit, prius penes Franciscales Patres coenobii *Afragolae,* postea penes parochum S. Mauri *Casaureae,* a quo clericalem etiam habitum, de venia Neapolitani Praesulis, excepit. Per annum sui sancti propositi specimen dedit, quod adolescenti meliora charismata aemulanti viam quodammodo aperuit statui religioso. Hunc summo animi gaudio amplexus est in coenobio Franciscali die 17 Iulii anno 1832, assumpto cum seraphicis vestibus nomine Ludovico. Tyrocinio rite peracto, sedulam impendit operam studiis, et, ex discipulo magister effectus, per novem annos in Franciscali coenobio S. Petri ad Aram atque

in aliis privatis institutis philosophicas, physices et matheseos tradidit disciplinas. Ex vita gestisque S. Didaci Complutensis, prout in Officio Breviarii legerat, intime commotus, de sui Praesidis assensu, proprium cubiculum in valetudinarium convertit, atque stipe ad opus ostiatim collecta ipsius cubiculi parieti inscripsit: « Pharmaca pauperibus Christi sublevandis ». Facultate a moderatoribus accepta, Tertium Ordinem Franciscalem instauravit, et selectos cives Neapoli et in suburbiis in socios caritatis adscitos, statis diebus in templo S. Petri ad Aram in coetum congregavit. Illic etiam valetudinarium et sacellum affabre ornatum pro sodalibus Neapolitanae Provinciae aegrotantibus erigendum curavit. Vertente anno 1851, capta occasione qua Ven. Servi Dei Francisci a Neapoli exuviae a publico coemeterio in enunciatum templum transferebantur, voluit ut a sodalibus Tertii Ordinis vestis cinerea indueretur. Anno autem insequente, empta satis ampla domo ad Palmam, ab ea tamquam e centro caritas Ludovici in pauperes et infirmos longe lateque diffusa est. Bina collegia, unum pueris, alterum puellis in Africa redemptis et in Italiam perductis, ut civiliter ac religiose instituerentur, expresse condidit et amplificavit, ad hunc etiam finem ut Africa Afrorum laboribus exculta catholicae fidei lumen acciperet. Ferdinandi Regis benevolentia, aestimatione et largitione honoratus, eidem graviter aegrotanti omnia pietatis officia praestitit Ludovicus, cui demortui parentis haeres et imitator Franciscus II binas domos dono dedit, hospitiis collocandis, simulque tradidit templum quod Christina mater, venerabilis regina, pro puellis orphanis erexerat. Ex sodalibus Tertiariis novam familiam religiosam constituere cogitavit, et faventibus moderatoribus reapse constituit, legibusque munivit, ut a curis domesticis libera, auxilium variis operibus promptius porrigeret. In huiusmodi Institutum duos primum dein alios caritatis fratres cooptavit, quod veste cinerea et cingulo Tertii Ordinis induit, unde ipsum Institutum

vulgo *dei Frati Bigi* nuncupatur. Ex eo septem sodales in urbanum incurabilium aegrotorum nosocomium et duodecim in militare valetudinarium Saticulae extructum misit, volvente anno 1860. Alterum quoque optimae spei adolescentem, Ignatium Maresca, circa an. 1864 sibi in socium adiunxit, cui nomen Bonaventurae imposuit, quique sub eius regimine et consiliis primus sacerdotio insignitus, postea Apostolici viri vita functi dignus haeres et filius, sodalitium gubernavit. Pius IX Pont. Max. Dei Famulum, rationem de suis operibus reddentem, paterna benignitate excepit ac probavit, eisdemque operibus prosequendis, augendis perficiendisque sua auctoritate, atque Apostolica benedictione pluries consolatus est. Hinc anno 1865, alumnos afros satis provectos in Africam Ludovicus invexit, sacrasque missiones Skellal instituit. Neapolim reversus, ubi asiatica lues grassabatur, dum animis corporibusque aegrorum succurrebat, collegium pueris nobilibus educandis aperuit in aedibus dynastorum ab Andria, adiecta rethoricae philosophiaeque palaestra. Plures quoque virgines, magisterio puellarum peritas, in sodalitium coegit sub nomine et patrocinio S. Elisabeth Hungariae reginae, quibus varia caritatis opera concredidit; atque in eadem civitate sategit, ut Fratres cinerei in collegio S. Bonaventurae studiis provehendis sedulo incumberent. In laudem Servi Dei breviter memorare iuvat praecipua hospitia et nosocomia cum ecclesiis et oratoriis ab ipso erecta: Casaurae egenis pueris; Neapoli, Assisii et Melphi orphanis, surdis, mutis et caecis; Nolae opificibus et agricolis; Priverni, Marani et Afragolae orphanis et aegrotis; in Sirenae monte quem Desertum vocant, prominente surrentinum mare tum iuvenibus orbatis parentibus ad agros colendos destinatis, tum senibus valetudinariis et peregrinis; ac demum Pausilipi piscatoribus invalidis et pueris struma laborantibus. Anno 1876 paulo post quam Margarita Salatino pia foemina et prima moderatrix Sororum a S. Elisabetha diem supremum obierit, Ser-

vus Dei gravi calculorum morbo vexari coepit. Morbo aliquantulum remisso, ministerium confessionis et praedicationis frequentius exercuit, praecipue in domibus ac institutis ab ipso conditis. In honorem sacratissimi Cordis Iesu pro eo quo flagrabat amore et librum composuit et templum cum ampla domo, pueris instituendis, Florentiae aedificari plurimum laboravit. Anno 1878, Summo Pontifice Pio IX e vivis erepto, graviter afflictus est Servus Dei benigno favore et beneficiis eius cumulatus. Verum mox consolatione et laetitia recreatus est ob electionem novi Pontificis Leonis XIII, quo probante, honori S. Francisci Assisiensis, sumptibus italorum, Pausilipi voluit erigi publicum monumentum quod seraphicum patrem exhiberet una cum Giotto, Dante et Christophoro Colombo, illustribus Italiae filiis et Tertii Ordinis Franciscalis alumnis, coactis etiam ad fraternam agapem quinque egenorum millibus. Hortatu et auspiciis eiusdem Pontificis, de studiosa iuventute valde benemerentis, Ludovicus prius scholam gratuitam, deinceps domum praecipuam Instituti in hac alma Urbe collocavit. Deo enim favente et stipe corrogata, domum in Exquiliis a fundamentis exstruxit; in qua pueri litterarum ludum, parentibus orbati ephebeum, et Fratres Bigi seminarium et hospitium habent. Ad opera caritatis iugiter conversus, incitator fuit, ut ad templum Pompeianum sacratissimo B. Mariae Virginis Rosario dicatum, egenis pueris puellisque instituendis aedes et hospitia adiicerentur eandem christianam caritatem redolentia. Tandem Dei Famulus, virtutibus et meritis in Deum et proximum dives, postquam per novem annos acerrimi morbi cruciatus patienter et alacriter tolerasset, Christi passionem in suo corpore gerens, et filiis suis caritatis testamentum reliquisset; sanctissimis Ecclesiae sacramentis refectus, in crucis amplexu Pausilipi pie obiit feria II maioris hebdomadae, die 30 Martii an. 1885. Eius exuviae solemni pompa ac magna cleri populique frequentia ad ecclesiam delatae, exe-

quiis religiose persolutis, in publico coemeterio sed in speciali sepulcro tumulatae sunt, quae deinde anno 1887 ad templum Hospitii Marini translatae in honorato tumulo quiescunt. Interim fama sanctitatis quam Ludovicus in vita acquisierat, post obitum clarior in dies enituit, confluentibus undique ex omni ordine civibus et advenis ad sepulcrum, eius opem et patrocinium apud Deum implorantibus. Hinc adornatis in ecclesiasticis Curiis Neapolitana et Salernitana ordinariis inquisitionibus super eadem fama, et ad Sacram Rituum Congregationem delatis, peracta quoque ad tramites decretorum revisione scriptorum Servi Dei, quum nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset, instante R. P. Clemente Perniciaro Tertii Ordinis Franciscalis a caritate Postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum, necnon Capitulorum cathedralium atque Ordinum religiosorum, aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, et praesertim Revmi P. Bonaventurae Maresca, Superioris generalis Congregationis Fratrum a caritate, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Dominicus Ferrata huius Causae Ponens seu Relator, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, sanctae fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 5 Martii 1907.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu

signare dignata est Commissionem introductionis causae Venerabilis Servi Dei P. Ludovici a Casaurea, sacerdotis professi ex Ordine Minorum, fundatoris Congregationum e Tertio Ordine Sancti Francisci Fratrum a caritate vulgo *Bigi* et Sororum a S. Elisabetha vulgo *Bige,* die 13, eisdem mense et anno.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

FAESULANA

Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Benedicto Ricasoli a Coltibono, monacho et eremitae Congr. Vallisumbrosae, Beato nuncupato.

Inter viros Vallumbrosanae Congregationis O. S. B. doctrinae ac sanctimoniae fama celebratos, omnium consensu recensetur Servus Dei Benedictus Firidolfi Ricasoli monachus et eremita, Beati quoque titulo cohonestatus. Ex nobili gente Ricasulorum ortus, mundum vix cognitum sprevit, eiusque illecebris divitiisque posthabitis, in sacrum et solitarium claustrum se recepit. Traditur enim monasterium S. Laurentii, quod Coltiboni optimi eius parentes alumnis religionis Vallisumbrosae atque ipsimet fundatori S. Ioanni Gualberto adhuc viventi pro Christo donaverant, provido Dei consilio, piissimum filium libenter ac studiose excepisse. Hic autem sub disciplina Abbatis Azzo non minus virtute quam regulari observantia eluxit. Verum monasticae vitae et in Deo absconditae amore magis magisque exardescens, de sui Abbatis venia, in proximum montem secessit, ubi vigiliis, abstinentiae atque orationi iugiter vacans angelis potius quam hominibus similis effectus est. Ab hoc tamen strictiori recessu ac tugurio in solemnioribus festis ad coenobium redibat, tum ad sacra et divina devote celebranda, tum ad

sanctam conversationem mutuamque charitatem cum sodalibus fovendam et excolendam. Semel accidit, quod solemnitas Nativitatis Dominicae Benedictum ad coenobium vocaverat, ut, hoc divinae pietatis mysterium ac festum et subsequentes dies usque ad Epiphaniam sancta celebritate recoleret. Praescius tunc suae proximae mortis, confratres adhortatus est ad constantiam in vocatione religiosa servandam et ad perseverantiam in bonis operibus cum uberiore fructu promerendam. Statum quoque monasticum et solitarium his verbis descripsit: « Non debere aliam esse vitam monachi quam iugem ad mortem praeparationem ». Auribus enim monachi perpetuo insonat illa supremi magistri ac iudicis vox: « Estote parati quia qua hora non putatis Filius hominis veniet ». Exemplo autem suo Benedictus monita corroboravit. Qui, ut Christo Domino advenienti fidentius obviam iret, et quae in lacrymis seminaverat in gaudio meteret, portans cum exultatione manipulos suos, ad solitarium montis tugurium regressus est. Illic servum suum, bonum fidelem ac vigilantem Dominus invenit, eique in aeterna gaudia ingredi benignissime concessit anno millesimo centesimo septimo. Fama refert antiquis documentis suffulta, quod Benedicti sanctitatem felicemque transitum pluribus signis ac prodigiis Deus comprobasset. Ex his proponuntur campanae sonitus, mortis nuncius, absque hominis impulsu; via inter nivem et glaciem repente et subito plana et aperta monachis ad tugurium accedentibus et ab eo recedentibus; cadaver ipsum Servi Dei in actu orandi, genibus flexis, manibus iunctis, oculisque in coelum elevatis inventum ab eisdem monachis. Qui novo stupore perculsi sunt, cum illud sacrum pignus, ad coenobium iam delatum et in claustro humatum, in ipsam ecclesiam transtulerunt. Hiemali enim tempore, ex eius ore prodire lilium perpulcros procreans flores, innocentiae symbolum, et ad eius caput insolita lux, sanctitatis indicium, splendescere visa est. Exinde festus dies 20 Ianuarii, cum singulari fidelium devotione et

concursu ad sepulcrum, celebratur. Hoc quoque admiratione dignum refertur, tercentis ac viginti annis elapsis, anno scilicet 1430 die 20 Maii, corpus Servi Dei rite recognitum, ut in nobiliori loco iuxta altare maius tumularetur, non modo integrum, incorruptum et suaviter olens; sed et lilium nive candidius quasi recens natum in ore ferens, fuisse repertum.

Ex quibus aliisque prodigiis una cum opinione sanctitatis magis magisque increvit cultus publicus et ecclesiasticus Benedicto exhibitus sive per titulum Beati et Sancti tributum, sive per reliquias venerationi propositas, sive per imagines cum lilio in dextera manu depictas et beatitatis ac sanctitatis aureolis decoratas, sive per laudes ac preces ad illius opem impetrandam sive demum per festum eiusdem honori celebratum; per haec et alia huiusmodi cultus indicia traditione et documentis comprobata. Hinc in ecclesiastica Curia Faesulana, ordinaria auctoritate et ad tramites iuris, institutus est processus super enunciato cultu seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII, cum subsequenti sententia a Revmo Dño Episcopo Faesulano prolata. Tandem actis processus Romam et ad Sacram Rituum Congregationem delatis, instante Revmo P. Abbate Benedicto Pierami Congregationis Vallisumbrosae Procuratore generali et Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis Illmi et Rmi Dñi Archiepiscopi Florentini aliorumque ex familiis pietate ac nobilitate conspicuis Emus et Rmus Dñus Cardinalis Sebastianus Martinelli eiusdem Causae Ponens seu Relator, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sententia ab Illmo et Revmo Episcopo Faesulano lata super cultu ab immemorabili tempore exhibito Servo Dei Benedicto Ricasoli a Coltibono sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexan-

dro Verde sanctae fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu sententiam Episcopi Faesulani esse confirmandam.* Die 14 Maii 1907.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 29, eisdem mense et anno.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

CAMERACEN.

Decretum beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilium Servarum Dei Mariae Magdalenae Fontaine et trium sociarum eius ex Instituto Puellarum Caritatis, necnon Mariae Clotildis Angelae a S. Francisco Borgia et decem sociarum eius ex Ordine Monialium Ursulinarum de Valenciennes.

Urgente saeculi XVIII gallica perturbatione simulque furente adversus fideles Ecclesiae filios persecutione, plures inventae sunt mulieres fortes virorum robur aemulantes, quae vitae integritate fideique firmitate pulchrae et decorae Dei Servae ac Filiae iniquo iudicio damnatae sunt. Invocarunt Dominum ut non derelinqueret eas in die tribulationis et in tempore superborum sine adiutorio. Et clementissimus Deus exaudivit eas, adiutor et protector factus est illis, liberavitque a perditione atque eripuit de tempore iniquo confitentes et collaudantes nomen suum. Ex his in praesenti Causa quindecim Servae Dei iuxta ordinem proponuntur; nempe quatuor ex Instituto Puellarum Caritatis et undecim ex Ordine Monialium Ursulinarum de Valenciennes. Ex priori Instituto sunt: Maria Magdalena Fontaine, loc. Etrénagny, nat. et bapt. 22 Aprilis 1723 — Maria Francisca Pelagia Lasnel,

loc. Eu, n. 24, bapt. 25 Augusti 1745 — Maria Theresia Magdalena Fantou, loc. Miniac-Morvau, nat. et b. 29 Iulii 1747 — et Maria Ioanna Gérard, loc. Cumière-Chattaucourt, n. et b. 23 Octobris 1752. Omnes istae, vertente anno 1789, in domo Atrebatensi anno 1656, vivente S. Vincentio a Paulo, constituta commorabantur cum tribus aliis Rosa Micheaux, Ioanna Fabre et Francisca Coutecheaux. Prae ceteris eminebat Dei Famula Maria Magdalena Fontaine quae adhuc adolescentula in Institutum Puellarum Caritatis cooptata, eos fecit cum aetate in virtute progressus, ut domui regendae fuerit praeposita. Quo in munere prudentiam, regularum observantiam ac perpensam in subditas voluntatem ac sollicitudinem praemonstrabat. Imminente procella, sodales iuniores magis periculis expositas, a civitate abesse voluit, eiusque nutu sicuti Coutecheaux ad suam familiam remeavit, ita consorores Micheaux et Fabre ad exteras regiones profectae sunt. Hoc pacto simul eisdem in vitae discrimine prospectum est et ipsi civitati quae, seditiosa procella remissa, eas incolumes et superstites recepit ad omnia caritatis officia in rei publicae utilitatem gerenda promptissimas. Ex pluribus autem testimoniis et scripturis acta processualia referunt istas quatuor sorores, uti veras filias S. Vincentii a Paulo, spiritu et virtute legiferi Patris imbutas fuisse; speciatim earum praesidem. Ipsae pauperum necessitatibus praesto erant assidue et de impendente vitae periculo monitae, ut sibi consulentes in tutiorem locum confugerent, constanter renuerunt, ne pauperes, uti aiebant, desererent. Hinc totius populi existimationem cum veneratione sibi conciliabant. Ex triplici iureiurando quod nationales Galliarum conventus imponebant sive constitutionis civilis cleri, sive constitutionis regni, sive libertatis et aequalitatis, hoc postremum a sororibus expostulatum est. Sorores autem quibus in re tam gravi etiam aliqua norma et consilium Sacri Antistitis necnon Vicarii generalis et earum conscientiae moderatoris Rev. Ferrand de-

esse non poterant, iuramentum istud et quidquid contra religionem et iustitiam exigebatur, absque ulla haesitatione, denegarunt. Ligatae et in custodiam missae prius penes Abbatiale de Saint Waust, et postea penes monasterium a Providentia seu Boni Pastoris, tandem in carcerem de Baudets, civitatis Atrebatensis, detrusae, ubique pium caritatis apostolatum in levamen et consolationem sodalium custodiae et carceris exercuerunt. In civitatem Cameracen. translatae, et a seditioso tribunali iterum in iudicium deductae, capite damnatae sunt. Ad supplicium euntes Rosarium et Litanias B. M. V. ferventissime recitabant et, quasi triumphum agerent, Hymnum *Ave Maris Stella* decantabant. Senior ac praeses Fontaine se suasque socias extremas persecutionis victimas fore et publicam quietem ac tranquillitatem proxime adventuram praedixisse narratur. Denique die 26 Iunii anno 1794, strenuae Christi atletae, caelesti quadam iucunditate perfusae supremam capitis poenam tulerunt. Quod si mens sese convertat ad Ursulinas de Valenciennes, nova christianae virtutis et constantiae invenit exempla. — Clotildes Iosepha Paillot, in religione Maria Ctotildes Angela a S. Francisco Borgia, loc. Bavay, n. et b. 22 Novembris 1739, suavibus atque angelicis moribus praestans, ex quindecim adolescentulis suae curae concreditis quatuordecim ingredi religiosum Institutum sategit, et uti sapiens et prudens in consodalium antistitam eligi meruit. — Maria Margarita Iosepha Leroux, in rel. Maria Scholastica a S. Iacobo, loc. Cambrai, n. 14 Iulii 1749, litteris et labore manuum valde habilis, per epistolam die 20 Octobris 1794 in carcere conscriptam, fidem suam atque amorem in Deum et in Ecclesiam mirifice ostendit. — Anna Iosepha Leroux, in rel. Iosephina, loc. Cambrai, n. 23 Ianuarii 1747, soror germana praedictae Mariae Margaritae, everso conventu Urbanistarum a S. Clara, in quo erat monialis professa, novisque ortis eventibus *Mons* petiit unde postea *Valenciennes* ubi cum ipsa sorore atque Ursulinis con-

sociata, earumque veste induta, cum iisdem violentam mortem subiit. — Hyacintha Augustina Gabriella Bourla, in rel. Maria Ursula a S. Bernardino, loc. Condé, n. 6 Octobris 1746, cuius virtus ex corde miti et humili splendidius eluxit. — Maria Genovepha Iosepha Ducrez, in rel. Maria Aloisia a S. Francisco Assisiensi, loc. Condé, n. an. 1756, in exemplum sodalibus se exhibuit. — Ioanna Regina Prin, in rel. Maria Laurentia a S. Stanislao, loc. Valenciennes, n. 9 Iulii 1747, in continua infirmitate qua laborabat, fortis ac patiens, institutricis munere diligenter functa est. — Maria Magdalena Iosepha Déjardin, in rel. Maria Augustina a S. Corde Iesu, loc. Cambrai, n. an. 1759, obsequium in religionem cum sui contemptu et martyrii desiderio coniunxit. — Maria Aloisia Iosepha Vanot, in rel. Maria Natalia a S. Aloisio, loc. Valenciennes, n. 12 Iunii 1728, inter socias virtute praestitit. — Maria Augustina Raux, in rel. Anna Maria, loc. Pont-sur-Sambre, n. 20 Octobris 1762, pietatem in Deum quam fovebat, puellis inserere curavit. — Maria Lievina Lacroix, in rel. Francisca, loc. Pont-sur-Sambre, n. 24 Martii 1750, monialis Birgittina, suppressis Ordinibus monasticis, Ursulinarum Institutum amplexa est, et caritate in Deum et in proximum nitens, alumnas quoque externas optime direxit — et Ioanna Aloisia Barré, in rel. Maria Cordula a S. Dominico, loc. Sadlly-en-Ostrevent, n. et b. 23 Augusti 1750, mundi ac familiae oblectamentis resistens, humilis et fervens in sua vocatione perseveravit. Anno 1793 prope finem vergente, istae undecim sorores in carceribus Valencenarum inclusae, crimine emigrationis accusandae et capite damnandae, permanserunt; ceterae ex eodem monasterio, quum e natione belgica essent, alio fuere translatae. Eodem anno, die 17 Octobris quinque sorores Vanot, Prin, Bourla, Ducrez et Déjardin ad tribunal adductae et iniqua sententia perculsae, psalmis et canticis sese Deo commendabant. Genibus flexis ante Christi cruci affixi imaginem, benedictionem

suae praesidis acceperunt, et cum pacis amplexu sese invicem dimittentes, urgente sententiae executione, mortem heroica fortitudine sustinuerunt. Die vero 23 eiusdem mensis ipsa praeses Clotildes Paillot et ceterae quinque sodales ad iudicium vocatae, poenam capitis sibi impositam audierunt. Precibus, mutuisque solatiis et dape caelesti roboratae, fidenti animo ad mortem gradientes Hymnum Ambrosianum et Litanias Lauretanas canebant. Brevi post, militibus et carnifici generose ignoscentes interemptae sunt et cum palma victoriae priori sociarum agmini adiunctae. Hisce praemissis, quum fama de vita, et martyrio et causa martyrii praedictarum quindecim Dei Famularum magis in dies clara invalesceret, processus ordinarii in Curia Cameracen. super ea adornati, ad Sacram Rituum Congregationem delati sunt. Interim, revisione scriptorum quae eisdem sororibus attribuuntur, peracta, quum nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset, instante Rmo Dño Augustino Veneziani, e Congregatione Missionis, huius Causae Postulatore, supplicia vota utriusque Instituti Puellarum Caritatis et Ursulinarum depromente, attentisque litteris postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, Emus et Revmus Dñus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus, eiusdem Causae Relator in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio post relationem ipsius Emi Cardinalis Ponentis, omnibus mature perpensis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, sanctae fidei Promotore, rescribendum censuit *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 14 Maii 1907.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua, sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commisssionem introductionis causae beatificationis seu declarationis martyrii praedictarum Venerabilium Servarum Dei Mariae Magdalenae Fontaine et trium sociarum eius ex Instituto Puellarum Caritatis necnon Mariae Clotildis Angelae a S. Francisco Borgia et decem sociarum eius ex Ordine Monialium Ursulinarum *de Valenciennes*. Die 29, iisdem mense et anno.

Card. Cretoni, *Praefectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

De Missarum solemniis ritu graeco pontificaliter celebrandis ob XV saecularia solemnia S. Ioannis Chrysostomi.

Reverendissimo Padre,

Dall'Emo Signor Cardinale Serafino Cretoni, Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti, nell'udienza dell'11 corrente mese di agosto è stata riferita a Sua Santità una supplica del Comitato Promotore delle Feste pel XV Centenario di S. Giovanni Grisostomo, supplica diretta ad impetrare l'assistenza del Santo Padre al solenne Pontificale Greco e la concessione dell'altare Papale per questa funzione, che avrebbe luogo il 13 novembre di quest'anno nella Patriarcale Basilica Vaticana. Il Santo Padre, udita la suindicata relazione e i pareri favorevoli degli Emi Decani d'Ordine e dei Prefetti delle Sacre Congregazioni del Ceremoniale, dei Riti, della Propaganda per gli Affari di Rito Orientale e dell'Arciprete della Basilica Vaticana, si è degnato aderire pienamente alla supplica e proposta della augusta Sua assistenza, insieme al Sacro Collegio, al Pontificale Greco da celebrarsi il giorno 13

del prossimo venturo novembre in onore del Santo Dottore Giovanni Grisostomo all'altare Papale di San Pietro in Vaticano, lasciando ai ceremonieri pontificii di preparare il relativo Ceremoniale da sottoporsi al giudizio dell'Eña Commissione Cardinalizia a ciò deputata (1).

Il sottoscritto Segretario della Sacra Congregazione dei Riti per ordine superiore ha il piacere di comunicare queste benigne disposizioni del Santo Padre a vostra Reverenza in evasione della supplica o proposta del prelodato Comitato, mentre con sensi della più distinta stima e considerazione si pregia rassegnarsi

Di Vostra Reverenza

Umilissimo Servo

† D. Panici, Arciv. Laod., *Segretario.*

De agendis et servandis a SS. D. N. Pio PP. X Missarum solemniis ritu graeco pontificaliter in Cappella Papali celebrandis assistente, die XII februarii a. MCMVIII ob s. Ioannis Chrysostomi e. c. d. XV saec. solemnia.

1. Summus Pontifex sacris vestibus cum pluviali albi coloris indutus ac thiara redimitus ad altare procedit, ubi, thiara dimissa, ante faldistorium genuflexus, paulisper orat; assumpta mitra, thronum ascendit, et statim Cardinales ad obedientiam admittit. Posthac duo Diaconi thus, quod in thuribulum infuderint, offerunt benedicendum S. P., qui benedictionem impertit dicens:

Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, † πάντοτε, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

---

(1) Sed politicae et anticlericales vicissitudines in Italia tunc temporis existentes in causa fuerunt cur prius dicta solemnia transferri oportuerit a statuta die 13 Novembris 1907 ad diem 27 Ianuarii 1908; dein vero loco Basilicae Vaticanae seligi Aulam sic dictam *Beatificationum*. Tandem nova dilatio festorum decreta fuit usque ad diem 12 Februarii eiusdem anni ut Patriarchis et Episcopis orientalibus necessarium tempus relinqueretur Romam adveniendi. Interim ad memoriam tantae solemnitatis et ad instructionem lectorum inferius exhibemus speciale Caeremoniale hac occasione adhibitum *(N. R.)*.

Et a Cardinali Presbytero antiquiore more solito incensatur.

2. Primo e concelebrantibus et Diaconis veniam exquirentibus, ut initium detur s. Liturgiae, S. P. annuit, iisque benedicit:

Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, † πάντοτε, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Surgit vero, retenta mitra, cum Primus e concelebrantibus cantat: **Εὐλογημένη... τῶν αἰώνων,** initio s. Liturgiae, dein sedet. Iterum surgit in fine secundae antiphonae, dum cantatur hymnus **Ὁ μονογενὴς Υἱὸς... σῶσον ἡμᾶς,** et postea sedet.

3. In *minori Introitu*, Diaconus accedens ad thronum dicit: **Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν,** versus S. P., qui, stans sine mitra, capite inclinato, submissa voce recitat Orationem:

ORATIO INTROITUS

Δέσποτα Κύριε, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ καταστήσας ἐν Οὐρανοῖς τάγματα, καὶ στρατιὰς Ἀγγέλων καὶ Ἀρχαγγέλων, εἰς λειτουργίαν τῆς σῆς δόξης, ποίησον σὺν τῇ Εἰσόδῳ ἡμῶν, εἴσοδον ἁγίων Ἀγγέλων γενέσθαι, συλλειτουργούντων ἡμῖν καὶ συνδοξολογούντων τὴν σὴν ἀγαθότητα. Ὅτι πρέπει σοι πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις, τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

4. Postea, Diacono benedictionem postulante, S. P., adhuc stans sine mitra, benedicit Introitum:

Εὐλογημένη ἡ εἴσοδος, † τῶν ἁγίων σου, πάντοτε, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

et librum Evangeliorum clausum, a Diacono porrectum, osculatur. Dein reassumit mitram, et, peracta thurificatione altaris et populi, sedet. Surgit vero cum mitra dum Celebrans *tricereo* et *dicereo* trinam dat benedictionem. Iterum sedet dum canuntur acclamationes et Epistola.

5. Tum iterum circa finem Epistolae benedicit thus:

Εὐγολητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν, † πάντοτε, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Et a Cardinali Presbytero antiquiore de more incensatur.

6. S. P. Lectori, ante Se procumbenti, postquam Epistolam et versus cantaverit, benedicit:

Εἰρήνη † σοι.

7. Diaconus Evangelii benedictionem petit a S. P., qui illam impertit dicens:

Ὁ Θεὸς, διὰ πρεσβειῶν τοῦ ἁγίου, ἐνδόξου Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, δῴη σοι † ῥῆμα τῷ εὐαγγεγιζομένῳ δυνάμει πολλῇ,

εἰς ἐκπλήρωσιν τοῦ εὐαγγελίου τοῦ ἀγαπητοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ, Κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

8. Statim S. P. sine mitra surgit, et post exhortationem Diaconi **Σοφία... εὐαγγελίου** coetum omnem benedicit, cantans:

Εἰρή-νη † πᾶσι.

9. Postquam Diaconus Evangelium decantaverit, ad S. P. accedit, qui sequenti utens formula ei benedicit:

Εἰρήνη † σοι.

et librum Evangeliorum clausum a Diacono exhibitum osculatur.

Benedicit ter omnibus dum fiunt acclamationes; dein sedet, et mitra cooperitur.

10. Ad Hymnum Cherubicum, deposita mitra, surgit.

In ipso *maiori Introitu*, sive processione Oblatorum, S. P., adhuc sine mitra stans, singulis reverentiam et omina facientibus respondet benedicens:

† Ἀμήν.

Hymno Cherubico cantato, sicut post Evangelium, trinam omnibus impertit benedictionem, dum acclamationes canuntur. Dein sedet cum mitra.

11. Post Litanias, dicente Celebrante **Διὰ τῶν οἰκτιρμῶν...**, S. P. surgit sine mitra, et responso a choro **Ἀμήν**, versus omnes benedicens, cantat:

Εἰρή-νη † πᾶσι.

Et more solito pacem recipit a Cardinali Presbytero antiquiore, eamque dat duobus Cardinalibus Diaconis, Sibi assistentibus.

12. Tum elevatur *Aer* super Oblata, et S. P., adhuc stans sine mitra, cum Cardinalibus ad circulum accedentibus, recitat latine Credo. Postquam chorus Diacono responderit **Ἔλεον,.. αἰνέσεως**, S. P. cantat formulam Canonis inchoativam, in cuius fine benedicit omnibus:

Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς, καὶ ἡ κοινωνί-α τοῦ Ἁγίου Πνεύματος, εἴ-η † μετὰ πάντων ὑμῶν.

Dum chorus cantat **Ἅγιος**, recitatur a S. P., cum Cardinalibus in circulum adstantibus, uti alias, Sanctus. Recedentibus ad sua loca Cardinalibus, S. P. et omnes latini ritus more consueto genuflectunt, usque ad totam *Epiclesim*, post Consecrationem.

13. Facta commemoratione vivorum, et responso a choro **Ἀμήν**, S. P. cantat conclusionem Canonis, et in fine benedicit omnibus:

Καὶ ἔσται τὰ ἐλέ-η τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ † μετὰ πάντων ὑμῶν.

14. Post Litanias, dicto a Celebrante Καὶ καταξίωσον.... λέγειν, recitatur *Pater noster* a S. P., cum Cardinalibus ad circulum accedentibus, et responso a choro Ἀμήν, S. P. coetum omnem benedicit:

Εἰρή-νη † πᾶσι.

Post orationem *capitis inclinati*, dicto Ἀμήν, S. P. et omnes latini ritus genua flectunt propter elevationem SS. Specierum; deinde surgunt. Dum vero SS. Specierum reliquiae, Communione peracta, ostenduntur, et donec ad Prothesim translatae sint, omnes item genuflectunt.

15. Deinde S. P. accipit mitram, et stat dum dicuntur parvae litaniae et orationes pro gratiarum actione. Responso ab omnibus Ἀμήν, et dicto per Diaconum τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν, S. P., elata voce, dicit formulam eulogicam:

Εὐλογία Κυρίου καὶ ἔλεος ἔλθοι ἐφ' ὑμᾶς τῇ αὐτοῦ χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ, † πάντοτε, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Tandem, stante S. P. cum mitra, fit a Celebrante *Apolysis* seu dimissio.

16. Expleta Liturgia, S. P. more solito solemnem impertit benedictionem, et latino et graeco idiomate publicantur Indulgentiae.

De mandato sanctissimi D. N. Papae.

Die 2 Februarii, a. 1908.

Franciscus Riggi,
Pronot. Apost. caerem. Praefectus.



Varianda et addenda in Proprio Sanctorum Breviarii Romani.

Sacra Rituum Congregatio statuit haec varianda et addenda in Proprio Sanctorum Breviarii Romani, diebus 11 et 12 Februarii, iuxta decretum *Urbis et Orbis*.

Die 11 Februarii.

Apparitionis B. M. V. Immaculatae. — Duplex maius.

Ponatur Officium uti eadem die in Appendice pro aliquibus locis huc usque, addendo ad calcem VI Lectionis: « Tandem Pius decimus Pontifex Maximus, pro sua ergà Deiparam pietate, ac plurimorum votis annuens Sacrorum Antistitum, idem festum ad Ecclesiam universam extendit » iuxta decre-

tum diei 13 Novembris 1907 (1); et in II Vesperis post Ant ad Magnificat *Hodie gloriosa... gaudio exsultant (Alleluja)*, addatur: « Et fit Comm. sequ., et Feriae in Quadrag. ».

Die 12 Februarii.

SS. Septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V., Conf. — Dupl.

Omnia de Communi Conf. non Pont., praeter seqq.

In I Vesperis. Quoties hae dicendae sint, sumantur Antiphonae et Capit. de Laudibus; Hymnus vero e II Vesp.

℣. *Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.*

℟. *Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.*

Oratio. *Domine Iesu Christe, qui ad recolendam memoriam...* per extensum.

Ad Matutinum. Invitatorium *Regem Confessorum...* Ps. *Venite exsultemus.*

Hymnus *Bella dum late furerent, et urbes...* (qui modo habetur ad Vesp.) per extensum.

In I Noct. Lect. de Scriptura occurrente.

In Quadrag. *Laudemus viros gloriosos* de Communi Conf. Pont. 2° loco.

In II Nocturno, etc.

In III Noct. Homilia S. Hieronymi in Evang. *Ecce nos reliquimus omnia* de Communi Abbatum. In Quadragesima, IX Lectio de Homilia Feriae.

Laudes. Capitulum, I Petr. 4 *Carissimi: Communicantes...* per extensum (quo modo habetur ad Matutinum).

℣. *Sit memoria illorum in benedictione.*

℟. *Et ossa eorum pullulent de loco suo.*

Ad Benedictus. Ant. *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.*

Oratio. *Domine Iesu Christe.*

Et fit Comm. Feriae in Quadrag.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 747.

In II Vesperis. Omnia ut in primis, praeter sequ.

Hymnus *Matris sub almae numine...* per extensum (qui modo habetur ad Laudes).

℣. *Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.*

℟. *Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.*

Ad Magnificat. Ant. *Nomen eorum permanet in aeternum, permanens ad filios eorum, sanctorum virorum gloria.*

Et fit Comm. Feriae in Quadrag.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X suprascriptas variationes ac notas rubricales, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas, approbavit, ac Proprio Sanctorum Breviarii Romani inseri iussit. Die 8 Aprilis 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS

Decretum quo festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae tertiae Septembris affixum, ad ritum duplicem secundae classis elevatur pro universa Ecclesia.

Dolores Virginis Deiparae etsi duplici festo in universa Ecclesia per annum recolantur, videlicet Feria sexta post Dominicam Passionis ac Dominica tertia Septembris; utrumque tamen festum mobile Beatae Mariae Virginis, utpote secundarium, sub ritu duplici tantummodo maiori celebratur. Quo vero eiusdem Virginis Perdolentis cultus augeatur, et fidelium pietas gratique animi sensus magis magisque foveantur erga misericordem humani generis Conredemptricem; Rmus Pater Prior generalis Ordinis Servorum B. M. V., qui potissimum ipsam Matrem Dolorosam veluti suam Conditricem et praecipuam Patronam venerantur, occasionem nactus qua proxime adfuturo Septembri (mense Virginis Doloribus recolendis sa-

cro) quinquagesimus annus ab inito sacerdotio Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X feliciter completur, supplicibus votis totius Regularis Familiae eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum rogavit, ut etiam ad perennem rei memoriam, festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae tertiae Septembris affixum, ad ritum duplicem saltem secundae classis pro universa Ecclesia elevare dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, eiusmodi preces peramanter excipiens, festum Septem Dolorum B. M. V., quod enunciatae Dominicae adsignatum fuit, in posterum sub ritu duplici secundae classis ubique recolendum decrevit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Maii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

OSNABRUGEN.

Circa indulta Officiorum votivorum de SS. Sacramento et de Immaculata Conceptione B. M. V.

Postulato Rmi Dni Episcopi Osnabrugen., Provicarii Apostolici Missionum Germaniae Septemtrionalis et Administratoris Praefecturae Apostolicae Slevigis Holsatiae: « utrum Officia votiva antiqua de praecepto recitanda singulis feriis quintis non impeditis de SSmo Sacramento, et singulis Sabbatis item non impeditis de Immaculata Conceptione B. M. V., sint revocata per nova Officia votiva ad libitum recitanda et concessa cum decreto generali n. 3581 *Urbis et Orbis* (1) 5 Iulii 1883? »; Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: « Negative, nisi expresse renuntiatum fuerit antiquis indultis, iuxta ipsum citatum decretum, ubi in fine

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 16, pag. 47.

ad I legitur : *Firmis remanentibus aliis votivorum Officiorum indultis quibuscumque iam concessis* ». Atque ita rescripsit, die 5 Iunii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

ATREBATEN.

De ordine servando quoad commemorationes in secundis Vesperis, et de versu " Fidelium animae „

R. D. Onesimus Machez, magister caeremoniarum ecclesiae cathedralis Atrebaten. et extensor Kalendarii dioecesani, de licentia sui R̃mi Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum :

I. Quando celebratur festum duplex Dominica infra Octavam communem, ponitur in Laudibus commemoratio Dominicae, deinde Octavae ; debetne in secundis Vesperis idem ordo servari pro commemorationibus, si feria secunda sequenti fit Officium de die infra Octavam, vel poni primo loco commemoratio Octavae ?

II. Quando feria VI post Octavam Ascensionis recolitur festum duplex aut semiduplex quod in secundis Vesperis concurrit cum festo eiusdem ritus ob Vigiliam Pentecostes simplificando, debetne prius fieri commemoratio huius festi simplificati ac postea feriae aut inversus ordo servari ?

III. Post Horam tertiam quae praecedit Missam pontificalem, Episcopus celebrans debetne, dicto per chorum *Benedicamus Domino,* omittere versum *Fidelium animae ?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit :

Ad I et II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, iuxta decretum n. 3843 *Commemorationum in Vesperis* 5 Februarii 1895 quia habetur concursus (1), et commemoratio sumatur e primis Vesperis iuxta Rubricas.

Ad III. Affirmative in casu.

Atque ita rescripsit, die 5 Iunii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.



EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM



Indulgentia adnectitur duabus orationibus pro clericis.

ORATIO AD POSTULANDOS CLERICOS

Ant. Quid statis tota die otiosi? Ite et vos in vineam meam.

℣. Rogate Dominum messis.

℟. Ut mittat operarios in messem suam.

Oremus. Deus qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, da, quaesumus, per intercessionem B. Mariae semper Virginis et omnium Sanctorum, operarios Ecclesiae tuae, qui sint cooperatores Christi, et se impendant et superimpendant pro animabus. Per eumdem D. N. I. C.

ORATIO PRO CONSERVATIONE CLERICORUM IN MILITIA

Ant. Nemo mittens manum suam ad aratrum et suspiciens retro aptus est regno Dei.

℣. Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.

℟. Ut ei placeat cui se probavit.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 27, pag. 437.

Oremus. Deus infirmitatis humanae singulare praesidium, exaudi, quaesumus, preces quas pro fratribus in discrimine positis humiliter fundimus, ut famulos tuos ab omni eruas peccatorum nequitia et in tua protectionis securitate constituas. Per Dominum N. I. C. etc.

Utramque hanc orationem recitantibus devote, indulgentiam tercentorum dierum pro unaquaque concedimus.

Die 29 Martii 1908.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congñi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 30 Martii 1908.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

APPENDIX

VOTUM CONSULTORIS

BONONIEN. ET ALIARUM. – ITERATIONIS MISSAE

Em̃i ac Rm̃i Patres (1),

68. Praemittendum videtur nonnullos Episcopos sua ad pontificiam Commissionem *Codificationis* (ut brevius dicitur) postulata transmisisse, quae Excm̃us D. Caesareen. Archiepiscopus in unum ordinate colligi curavit. Ibi porro ne unum reperies verbulum quo, vel a longe, desiderium innuatur cuiuslibet restrictionis quantum ad licentiam iterandi

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 41, pag. 55 et 175.

Sacra; plura vero, e diametro, quae ampliorem, hoc illove sub aspectu (et sub formula non semper idonea) potestatem efflagitant.

Sic Patres Provinciae Burgensis: « Facultatem habeat Episcopus ad concedendam missae binationem *etiam in casu dubiae necessitatis* ».

Aut: « Valeat Episcopus, durante munere, concedere per se vel per alium *quotcumque sacerdotibus* facultatem binandi in *eadem ecclesia*, quum iudicat hoc esse necessarium ».

Aut: « Concedatur Episcopo ampla facultas permittendi binationem in casibus *a iure praevisis* » (!)

Aut: « Augeatur potestas quae Episcopis concedi solet quoad binationem permittendam ».

Alii Episcopi petunt ut « poenis et censuris ferendae sententiae ab Episcopo compelli possint clerici non curati, qui diebus dominicis et festis de praecepto missam celebrare renuunt ».

Itaque de restrictionibus primo, dein de ampliationibus propositis, quaedam praelibare necesse est.

69. Si nulli sacerdoti prohibita fuit olim Sacrorum iteratio (prout in prima parte huius Relationis, ea praecipue de causa, satis ostensum est) et nonnisi postea propter abusus restringi debuit; nova, quae proponeretur hodie restrictio, novos aut alios praesupponeret abusus aeque propellendos. Et heic, ut apparet, in vivum quaestionis, ut dicitur, intramus. Re quidem vera, plures iique graves, contra binationem, haud uno e loco, denuntiantur abusus, nimirum:

1°. Protractio ieiunii propter iteranda Sacra vires praemature exhaurit et, quod gravius est, sacerdotes praesertim iuniores haud parum exagitat, quorum proinde physica complexio fit nimium nervosa et inde periculosa.

2°. Episcopi sese faciliores praebent in admittenda necessitate binandi, si praesertim indulto fruantur Apostolico stipendium secundae missae sibi partim vel integre pro Seminario v. gr. retinendi.

3°. Haud semel parochi, quibus iteratio licet, sive propter avaritiam sive propter quemdam torporem, incurii permanent et cappellanum seu coadiutorem advocare praetermittunt, ita ut saepe saepius temerarie violatur regula de missa non iteranda ab eodem sacerdote si praesto sit in loco sacerdos alter. Adde quod inter recursus mihi per DD. Secretarium S. V. O. commissos, exstat denuntiatio quaedam anonyma (et proinde in iure nulla) contra Ordinarios et parochos dioecesis *Aesernien-Venafran.* et *Montis Cassini* « e di altri ancora », in quibus iterantur Sacra a parochis « alla cieca senza pensare punto nè poco che vi sono sacerdoti, che potrebbero e dovrebbero essere adibiti, e questo solo per avarizia...

E si è giunto in qualche chiesa ricca, fino a licenziare il cappellano stabilito e fare binare il parroco ».

4°. Parochi quum sint iterationis onere gravati, caeteris parochialibus officiis perfunctorie tantum, haud sine lugendo commissarum sibi animarum detrimento, incumbere valent.

5°. Tandem plebs ipsa christiana, cui praesto sunt (propter iterationem) missae sufficientes, nullatenus de vocationibus sacerdotalibus praeparandis et coadiuvandis curat.

70. Hae sunt, ni fallor, praecipuae rationes quae restringendam esse licentiam iterationis plus minusve suaderent.

His autem opponi posse videntur sequentes animadversiones:

Ad 1um. De nimia sacerdotum defatigatione propter iterationem satis superque superius dictum est (n. 59, 60). Sacerdotali militiae annumerari nequaquam merentur hi qui talibus incommodis, coeteroquin levibus, impares sunt gnaviter tolerandis. Si propter ieiunii defatigationem supprimenda sit iteratio, pari fere ratione, missae versus horas pomeridianas supprimendae forent.

Ad 2um. Transeat; quid inde? Abusus ille non ipsi iterationi, multoque minus disciplinae vigenti, sed potius humanae debilitati videtur imputandus. Episcopi semper erunt, prout semper fuerunt, qui disciplinae vincula molli manu, alii vero qui strictiori brachio retinebunt.

Sed, subsumes, abusus maxima ex parte compescere perfacile erit, si nullum Episcopo ex iteratis Sacris obveniat emolumentum. Dato reponam, quod quidam Episcopi intuitu emolumenti, facilius quam par esset, iterationem permittant, non ideo sequitur iterandi licentiam esse ex abrupto truncandam, ut patet.

Ast saltem, instabis, maxime opportunum esset ut ablata Episcopis quibuscumque facultate permittendi Sacrorum iterationem, licentia deinceps a Sede Apostolica tantum concedi posset. Respondeo: haec reservatio haud parum odiosa foret, quippe quae, praeter alia, munus et ius Episcoporum a Tridentino sancitum posthaberet, invigilandi nempe in sua quisque dioecesi super recta missarum celebratione. Insuper reservatio, si pressius attendatur, inanis evaderet in praxi et frustranea: semper enim Sedes Apostolica de necessitate vel maxima utilitate binandi in tali talive loco, iuxta informativum ipsius Episcopi libellum, ut patet diiudicaret, prout penes iam suprarelatas responsiones tum huius S. Congregationis tum S. C. de P. Fide videre est: « Remittitur prudenti arbitrio et conscientiae... ».

71. Attamen tenuitati meae liceat, quum heic prona sese praebeat occasio, quamdam sapientissimis Emorum Patrum deliberationibus, quan-

tum ad rescriptorum expeditionem, submittere mutationem minoris utique momenti sed tamen haud inopportunam.

Cuique resolutiones casuales seu rescripta de Sacris iterandis vel non iterandis perpendenti, sensum facessit quaedam in dictis rescriptis (salva reverentia dixerim) incohaerentia, inquantum scilicet iteratio, penes unam e Sacris Congregationibus, permittitur quae penes aliam, in casibus simillimis et etiam omnino identicis, denegatur; aut interdum rescripta clausulis pluribus communiuntur quae in aliis desiderantur.

Bonum ergo videtur quod, ad praecavendas huiusmodi discrepantias, uni tantum Sacrae Congregationi (praeter S. C. de P. F. pro Missionibus, ut subauditur), nempe S. C. Concilii, non solum rescripta sed etiam responsa (disciplinaria, non ritualia) casualibus dubiis committantur expedienda.

Redeamus oportet ad Episcopos, in permittenda Sacrorum iteratione faciliores. Si non expedit facultates ipsorum hac de re restringere, stricte urget econtra zelum eorumdem magis ac magis excitare, prout in plurimis responsionibus, quo accuratius perquirant de sufficientia causae necnon de comprobata in loco sacerdotum carentia priusquam iterationem permittant; item quo diligentius curent sacerdotes in tali loco superabundantes, posthabita personarum acceptione, alibi transferri et utili incumbere ministerio.

72. Ad 3um. Abusus parochorum avaritiae vel acidiae tribuendos, etsi numerosiores adhuc et graviores obiicerentur et comprobarentur, Episcoporum est praecavere, corrigere et punire. Quid Sedes Apostolica poterit contra parochos illegitime iterantes, si proprius eorum Episcopus causam, quamvis subdole allegatam, iustam agnoverit et sufficientem?

73. Ad 4um. Haud inficior parochum, qui bis diebus festis, et forte dissitis in locis, missam celebrat, non posse hic et illic suo pastoris munere perfecte defungi. Verum meliusne foret si parochus uni tantum paroeciarum vel uni portioni sese dicaret perfectius administrandae, alteramque negligeret? Coeterum parochus, cuius praecordia zelus animarum inflammat, suis officiis ob iterationem haud minor fiet; qui vero seipsum non autem gregem pascere peroptat, etiam sine iteratione munera sua parvipendit.

74. Suggerentur utique practicae quaedam, ita si dici possit, conciliationes inter necessitatem iterandi et coetera ministeria non praetermittendi, quas tamen nec bonas nec efficaces existimo.

Praeceptum audiendi missam diebus dominicis et festis posset forte, aiunt, pro parochianis, qui missae festivae interesse nequeunt, ad aliam in hebdomada transferri diem et sic parochus tum die festo cum die

feriato utramque paroeciae portionem pari sedulitate regeret? — Quis primo non videt oculo absonam esse huiusmodi solutionem, quippe quae praesupponat unam plebis partem, quae missae die festo non potuerit interesse, nihilominus consuetum laboritium, eo die festo, esse omissuram, iterumque die feriato, ut audiendi praecepto satisfaciat, interrupturam esse!

Praecepto audiendi substitui possent, addunt, alia pietatis opera, v. g. pars plebis, quae missae non interfuit, ad ecclesiam alia hora competenti convenire teneretur ibique concionem et catechesim audiret, preces effunderet et SSmi benedictionem acciperet. Opera piissima, repono, non valent, quaecumque illa sint, operi divino suffici, i. e. sacrosancto sacrificio quod est vitae christianae centrum et alimentum.

Posset saltem alternatim missa celebrari, videlicet una vice in una paroecia aut in uno paroeciae loco, altera vice in altero. — Et sic, inquam ego, propter abusum parochi praecavendum, populus ipse Sacris orbatus alterna quaque dominica, poenas luet et paulatim ecclesiam derelinquet!

75. Ad 5um. Haec obiectio de populi negligentia, (si facilius missam habeat) in adiuvandis vocationibus sacerdotalibus, contrarium evincere videtur. Nam vel populus iste, moribus vere christianis imbuitur, et ea quae sunt ecclesiae peramat: et tunc ipsi non satis erit quod sacerdotem identidem ac per transennam habeat, sed egregie contendet ut proprium sacerdotem stabiliter possideat; aut e contra populus parum curat de christianis officiis; et tunc si, nequidem diebus festis, sacris interesse poterit, magis ac magis in religiosa sordescet indifferentia, nedum de vocationibus adiuvandis recogitet.

76. Uno de verbo et quantum ad praefatos omnes abusus, laudabiles utique conatus ut hi, pro posse, tollantur aut minuantur: caveamus tamen oportet ne mala remediis longe peioribus curare pertentemus. Aiunt Galli: *Le mieux est souvent l'ennemi du bien*; et adagium istud, etiam quoad disciplinam de Sacris iterandis, verum esse potest.

77. Quodsi facultatem iterandi restringere parum opportunum foret, eamdem ampliare, nonobstantibus praememoratis Episcoporum postulatis, aeque inopportunum et periculosum videtur.

Unum e dictis postulatis eam efflagitat extendi etiam ad *casus dubiae necessitatis*. Atvero iuxta saepelaudatam Instructionem S. C. de P. F., verbum *necessitas*, in re praesenti, non stricto rigidoque sed potius temperatiori sensu sumendum est, inquantum videlicet idem sonat ac *moralis necessitas* seu *vehemens* plebis *utilitas*. Quare si missam secundam Episcopus pro sua prudentia iudicat forte necessariam et forte

non, sed certe maxime utilem, non est cur scrupulosis detineatur anxietatibus.

Nec obstat, ni fallor, quod Instructio praefata missionarios tantum spectet S. Congr. de P. F. subditos: nam praetermisso quod dictae Congregationi plurimae subdantur dioeceses proprii nominis, in quibus communis disciplina suos sortitur effectus, necessitas seu magna utilitas non e locis ipsis sed e conditionibus concretis desumitur. In locis missionum frequentior erit quam in dioecesibus numeroso clero ditibus: sed in his sicut in istis eadem semper erit necessitas seu vehemens utilitas.

78. Advertatur insuper quod iuxta communem exegesim *pars plebis* intelligitur hodie non solum, prout in Const. Benedictina *Declarasti*, de alterius paroeciae unitae populo, nec solum de alterius dissiti loci unius paroeciae fractione; sed etiam de quadam portione, plus minusve notabili, quae sine secunda missa praecepto audiendi, etiamsi non distet ab ecclesia, satisfacere nequiret.

Hinc canonistae, v. g. Gasparri *(De SS. Euchar., n. 388)*, rectissime arguunt in facultate esse Episcopi permittendi secundam missam, deficiente habitualiter alio sacerdote, pro mera plebis portione v. g. ne sanctimoniales praesertim si claustratae, carcerati, infirmi et inservientes hospitalium, missa careant. Immo non desunt qui facultatem extendunt ad puerorum puellarumve collegia, si accessus ad ecclesiam parochialem, hac illave de causa, difficilis aut noxius agnoscatur.

79. Quum igitur facultates Episcoporum pro casibus necessitatis, tum iuxta capita iuris praeallata, tum iuxta benignam eorumdem exegesim a Sede Apostolica sancitam (per Instructionem S. C. de P. F. aliasque resolutiones) satis amplae videantur; aegre percipitur qua ratione quonam modo possint magis ampliari et extendi, ne velimus eo usque pergere ut Episcopis concedatur facultas iterationem proprio iure permittendi, quacumque de causa vel levissima et umbratili: quod certe, meo iudicio, valde periculosum esset.

80. Ex adverso si, quantum ad causas sufficientes iterationis, disciplina vigens sarta tecta, ut puto, manutenenda est, libenter alteri postulato adsentio, nimirum quod Episcopis facultas elargiatur clericos sibi subditos poenis canonicis compellendi, si diebus de praecepto missam celebrare renuant, additis tamen nonnullis prudentialibus clausulis, nempe:

Quod agatur de sacerdotibus qui nullo physico, canonicove aut spirituali (v. g. scrupulis) impedimento a celebratione missae excusantur.

Quod ipsorum missa vere necessaria sit plebi loci vel plebis portioni, non vero tantum cuidam privatae familiae.

Quod proinde missa celebrari debeat in quadam ecclesia loci publica vel semi–publica, cuius ad populum aditus pateat.

Quod tandem, ad confusionem praecavendam, poenae (de quibus) in synodis dioecesanis vel provincialibus determinate praestituantur.

CONCLUSIO

His igitur perpensis, ea qua par est plenissima deferentia, Sacro Vestro Consessui, Patres EEm̃i ac RRm̃i, conclusiones submitto sequentes:

1°. Abusus in iteratione Sacrorum, disciplinae vigenti nequaquam imputandi videntur, utpote quae, sapienti circumspectione, tum nimiam rigiditatem tum faciliorem laxitatem perbelle devitet; et ideo non est locus quibuslibet circa disciplinam vigentem restrictionibus aut ampliationibus proprie dictis, sive quoad causas sive quoad conditiones praestabilitas.

2°. Potissima abusuum causa desumenda videtur partim ex benigniori condescensione Ordinariorum erga parochos, partimque, et praecipue, ex ipsorum parochorum importunis instantiis, in quibus vera necessitas allegatur ubi vix ac ne vix quidem mera commoditas agnosci potest.

3°. Hinc Ordinarios per hanc Sacram Congregationem admonere praestat, ne deinceps licentiam iterandi concedant, nisi prius, praehabitis informationibus omni exceptione maioribus, de causa vere sufficienti praesertim de sacerdotum in loco penuria, satis constet, exclusa semper et absolute iterandi licentia pro cuiuslibet familiae privatae commoditate.

4°. Item admonendos esse ne supplices libellos parochorum ad S. Sedem in casibus dubiis porrectos commendent nisi de veritate expositorum pariter constet.

5°. Episcopis facultas impertiatur qua nomine S. Sedis, deficientibus aliis sacerdotibus, clericos eiusdem loci animarum curae non addictos compellere possint, etiam poenis interminatis servatis de coetero servandis, ut diebus de praecepto missam in ecclesiis quarum populo pateat aditus, celebrent.

6°. Opportunum foret explicite declarare quod, stante necessitate comprobata, nihil obstat quominus Sacra, sive in altera sive in eadem ecclesia, remoto tamen, si quod timeatur, simplicium scandalo iterari possint et valeant.

7°. Item declarari nulli sacerdoti licere missam iterare, vel in ipsis casibus urgentibus, si tempus suppetat ad Ordinarium recurrendi.

8°. Item poenas praestatuere ipso facto incurrendas contra sacerdotes qui bis in die missam illegitime celebrare praesumpserint, aut qui

subreptitiis vel obreptitiis precibus ab Ordinario licentia mobtinere pertentarint.

9°. Item exoptandum videtur quod imposterum uni tantum Sacrae Congregationi Concilii (firmis remanentibus Sacrae Congregationis de P. F. iuribus) rescripta cuncta pro Sacris iterandis committantur expedienda.

Et in genua provolutus sacram Purpuram humillime deosculor.

E Conv. Minor. S. Fr. Capucc. ad SS. Conc., 20 Iulii 1907.

Fr. Pius a Langonio, *Consultor.*

Quantum ad petitiones ad hanc S. C. directas, pauca de singulis verba, habita ratione regularum quae superius delibatae sunt:

I. *Bononien.* — *A*) Emus Archiepiscopus exponit se quamdam instituisse Commissionem trium parochorum civitatis archiepiscopalis vere commendabilium, quibus cura demandatur examinandi causas pro licentia binandi allegatas. Haec autem Commissio perpensis quibusdam circumstantiis localibus, ut puto, censuit iterationem permitti posse sequenti de causa: « .... Dove c'è una messa sola, si pretende che il parroco la celebri in ora tarda, e da ciò necessariamente deriva che le persone non vanno a confessarsi, o debbono disperdersi nelle parrocchie che abbiano due messe, e che non si può attendere alla istruzione religiosa de' fanciulli, che non possono sempre accompagnare le altre persone di famiglia all'unica messa ». Et inde praelaudata Commissio rogat Emum Archiepiscopum, « affinchè voglia ottenere dalla S. Sede la facoltà di mettere tra le ragioni valide per conseguire la binazione, anche la utilità spirituale del popolo, per quel che riguarda la frequenza de' Sacramenti e l' istruzione religiosa ».

Petitio, prout iacet, non videtur exaudienda, quia: 1°. nullam allegat veram populi necessitatem quoad praeceptum audiendi sed tantum quamdam utilitatem quoad faciliorem accessum ad sacramenta; 2°. supponit econtra parochianis loci facilem aditum ad missam et sacramenta in paroeciis circumvicinis; 3°. nullatenus ostendit parochum tarde celebrantem non posse, ante missam, catechesi et confessionibus incumbere; 4°. incassum obiiceretur communionem esse in iis locis difficiliorem propter ieiunium usque ad horam tardiorem protractum: nam si parochus frequenter ieiunus permanet ad celebrandum, parochiani ieiunium usque ad communionem interdum servare poterunt aut etiam sacram communionem ante missam accipere.

Caeterum Emus Archiepiscopus orator sese praebet aliquatenus ancipitem, et votum Commissionis porrigit, addendo quae sequuntur:

« Se la grazia fosse concessa, con opportune cautele, *ad tempus* ed in via di esperimento, almeno per qualche volta al mese, io credo che si conseguirebbe un vantaggio certo, e si eviterebbe il pericolo di eventuali abusi ».

Utrum instantia, hisce cautionibus munita, sit acceptabilior, necne, iudicabit benigna Patrum Emorum discretio: sed advertendum videtur quod si gratia concedatur ad tempus pro prima vice, postea concedenda erit ad tempus indefinitum. Caeterum Ordinarii licentiam iterandi nequeunt prorsus impertire nisi ad tempus, i. e durante necessitate.

Item si gratia concedatur « per qualche volta al mese », quum praeceptum audiendi quater quinquiesve singulo mense urgeat, haec limitatio reapse nihil limitabit.

Bononien. — *B*) Unicus est cappellanus qui, diebus de praecepto, missam celebrare debeat in cappella tum pro carceratis tum pro corrigendis civitatis Bononiensis. Necessarium est quod dictus cappellanus, ipse et non alius, utramque celebret missam quia ipse solus carceratos et corrigendos idoneo modo alloqui probe novit: et ideo director utriusque Instituti, a Curia Bononiensi summopere commendatus, licentiam pro dicto cappellano missam iterandi enixis precibus exposcit.

Huic pariter respondendum censeo: *Non afferri causam sufficientem:* quia dicto cappellano perfacile est non unum in Bononia sed plures habere in promptu sacerdotes pro secunda missa. Ipse vero, si solus idoneus sit ad contemperatas his auditoribus allocutiones, perbelle potest alternatim hos et illos edocere. Unde suspicandum quod unica (quanquam reticita) ratio petitionis non alia sit nisi quod cappellanus stipendium pro secunda missa, alii sacerdoti erogandum, sibimetipsi retinere commodius autumat.

Haec eadem petitio iam mense Aprili 1902 dimissa fuerat hocce responso: *Non expedire.*

II. *S. Severini.* — Agitur de monialibus Cisterciensibus quae, nisi rector canonicatus S. Mariae Pacis — cui canonicatui onus adnectitur missae penes praefatas moniales celebrandae — binare queat, saepe missam habere nequeunt, et aliunde ipsae, quum sint pauperrimae, sacerdotem alium remunerare non valent. Petitio, prima vice, dimissa est inaudita, quia ratio tantum allegabatur, ut puto, e tenuitate canonicatus desumpta.

Nunc vero Episcopus ipse supplex adest et asserit perdifficile esse alium invenire sacerdotem qui praesto sit quando canonicus S. Mariae de Pace aliis detinetur officiis, adeo ut « più volte io stesso, ait Epi-

scopus, ho dovuto recarmi a celebrare nella detta chiesa perchè le monache non rimanessero prive della messa ».

Quare respondi posse censeo: *Ex noviter deductis, pro gratia,* iuxta consuetas clausulas.

III. *Minoricen.* — In civitate *Mercatal* tres tantum habentur missae: « prima ad solis ortum, secunda pro militibus praecipue ibi castramentatis, tertia circa meridiem ». Quarta missa deest pro sodalitate puerorum et puellarum S. Tarcisii nuncup.: Episcopus instanter rogat.

Non agitur in casu de necessitate proprie dicta neque de vehementi utilitate respectu praecepti, sed tantum de maiori commoditate sodalium, de quibus, qui ceterum uni e tribus missis de facili valent intervenire. Nec iuvat quod Episcopus pro una tantum vice singulo mense facultatem petat; siquidem pronum est iter de una ad aliam tertiamque vicem; et ideo pro ista *Minoricen.,* sicut et pro *Bononiensi A,* responderem: *Non expedire.*

IV. *Aprutina.* — Agitur de Seminaristis qui, propter sacerdotum penuriam in ipsa civitate episcopali, missam nonnisi in ecclesia cathedrali ad horam 10 1|2 habere queunt, haud sine gravi, ut patet, incommodo, praesertim quoad frequentiorem ad S. Synaxim accessum.

Quare Episcopus Aprutinus discretissima moderatione petit « la facoltà di poter concedere una seconda messa a qualche sacerdote della città ogni volta che non potesse trovarne uno libero ». Responderem: *Prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. oratoris.*

V. *Bisinianen.* — Quum propter ingenii tarditatem et forte propter libelli supplicis pessime redacti obscuritatem, ea non valuerim clare perspicere, quae ibi exponuntur et petuntur, a qualibet responsione abstineo.

VI. *Aurien.* — Ex responsione quam submisse proponendam existimo, satis intelligitur quid exoptet Episcopus.

Si absente uno e duobus sacerdotibus populus cum alterius sacerdotis missa unica praecepto satisfacere nequeat, *Episcopus utatur iure suo:* si populus huic missae sive in parochiali ecclesia sive in cappellis ab ea seiunctis adsistat, *non esse locum iterationi.*

VII. *Vindobonen.* — Patres Congregationis Missionis (Lazzaristi) civitatis Vindobonen. « a triginta annis et amplius in propria ecclesia, quae una ex magis frequentatis est, habent semper *septem* missas fixas », et *octo* tantum sacerdotes. Ex his vero frequenter absunt, propter sacras expeditiones, tres vel quatuor: et ideo Superior domus efflagitat ut ipse « permittere valeat duobus vel tribus confratribus, diebus dominicis et festis, missae sacrificium binare ».

Ibi nulla necessitas allegatur, imo nulla plebis ipsius vehemens uti-

litas, sed tantum ipsorum commoditas missionariorum, qui sua in ecclesia missas septem peroptant.

Curia Vindobonen., pro informatione et voto sciscitata, nedum confirmet necessitatem, sese praebet ancipitem : « Ast, cum hi missionarii hic Viennae plures habeant domus, quibus ecclesiae publicae sunt adnexae, et cum nostris in regionibus populus non sit adductus ut sacerdotes s. missam bis offerant, *petitur ut explorata facultas concedatur* ea sub conditione ut missionarii, bis in eadem die celebrantes, non in eadem ecclesia missam iterent, sed primam missam in una et secundam missam in altera ipsorum ecclesia dicant ».

His perpensis unicam in casu responsionem censeo opportunam :

Negative, nisi Patribus Emis, attenta rationum allegatarum inanitate, praeplaceat petitionem paulo duriori formula dimittere, videlicet : *Lectum.*

VIII. *Tarnovien.* — In festo titulari parochiae parochus confratres suos finitimarum paroeciarum invitat ratione concursus populi, ut in ecclesia, quo dictum festum colitur, missam celebrent.

Confratres vero quum sint et ipsi in sua propria paroecia soli i. e. sine cooperatore, primam in ecclesia sua celebrant, et deinde aliam in ecclesia memorati Titularis. Episcopus, « quia non omnino liquet esse in casu causam sufficientem binationis permittendae, benignam desuper implorat declarationem ».

Si una tantum habetur missa in loco quo populi fit numerosissimus conventus, prout Episcopus orator aperte asserit ; satis patet hanc unicam missam minime sufficere, et ideo plures alias esse omnino necessarias, quas celebrant sacerdotes invitati. Quum igitur adsit necessitas et aliunde agatur de iteratione quae iam in facto est, respondi posset ad R. P. D. oratorem : *Acquiescat,* seu cautius : *Attentis expositis, acquiescat.*

IX. *Aesernien. et Venafran.* — Mentionem feci in relatione de isto recursu sacerdotis anonymi, qui denuntiat abusus Episcopi et parochorum in genere propter iterationem illegitimam, nempe etiamsi sint in promptu sacerdotes alii qui necessariam missam libenter celebrarent.

Patet denuntiationem huiusmodi simpliciter esse *spernendam.*

Si tamen haec S. Congregatio noverit, ex aliis informationibus authenticis et fidedignis, denuntiatum abusum revera in praefata dioecesi deplorari ; operae pretium esset Episcopum graviter admonere ut sedulius invigilet et licentiam iterandi subreptitie vel obreptitie forte obtentam illico revocet, eamque non impertiatur amplius nisi praemissa di-

ligenti investigatione de carentia sacerdotum vere constiterit, prout in Relatione dictum est.

X. *Bononien.* — *C*) Henricus Comes Vittori indultum petit binandi in suo oratorio gentilitio, causasque allegat « la numerosa famiglia del petente e la grande distanza dalla parrocchia, nonchè la necessità di fare un poco di bene alla popolazione di Tintoria... ».

Em. Svampa b. m. preces enixe commendat, attentis praesertim benemerentiis egregii oratoris. Praemittit tamen haec verba attente pensanda: « Dire che la messa (i. e. secunda missa) in detto oratorio sia di assoluta necessità sarebbe contro il vero; ma però è indiscutibile la massima sua utilità » tum respectu numerosae familiae Comitis Vittori tum respectu incolarum burgi Tintoria.

Quum agatur in casu de Sacris iterandis praecipue in commoditatem cuiusdam familiae privatae, precibus exaudiendis obstat Regula VI ut supra n. 46: et ideo respondi posse censerem: *Non expedire.*

XI. *Bononien.* — *D*) Iisdem fere de causis et cum simili commendatione, Henricus advocatus Pini indultum binandi pariter petit in suo privato oratorio loci Ancognano.

Eadem igitur responsio: *Non expedire.*

XII. *Pacen.* — In relatione super statu ecclesiae suae DDñus Pacen. exponit « in populis sacerdotum numerum imparem esse quam sufficiat ut praecepto audiendi Sacrum satisfacere *commode et facile* possint fideles »; ideoque sibi postulat facultatem permittendi binationem « non solum ubi unus tantum sacerdos sit, *sed ubi plures,* cum opportunum hoc iudicaverit ad fidelium utilitatem et commoditatem ».

Huic petitioni, prout sonat, obstant regula III, 2° et V. Hinc respondendum videtur: *Negative,* vel si praeplaceat sub mitiori formula: *Prout exponitur, non expedire.*

Et iterum genuflexus.

Fr. P. L.



CONSTITUTIO APOSTOLICA

SS. D. N. Pii div. prov. Papae X, de Romana Curia.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Sapienti consilio sa. me. Pontifex Xystus V, Decessorum vestigiis inhaerens eorumque coepta perficiens, sacros Cardinalium coetus, seu Romanas Congregationes, quarum aliquot iam erant ad certa negotia institutae, augeri numero voluit, ac suis quamque finibus contineri. Quare Apostolicis Litteris, die XXII mensis Ianuarii an. MDLXXXVII, queis initium *Immensa,* eiusmodi Congregationes constituit quindecim, ut, « partita inter eos aliosque Romanae Curiae magistratus ingenti curarum negociorumque mole », quae solet ad Sanctam Sedem deferri, iam necesse non esset tam multa in Consistorio agi ac deliberari, simulque possent controversiae diligentius expendi, et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique, sive studio religionis ac pietatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetrandae, aliisve de causis ad Summum Pontificem confugerent.

Quantum vero utilitatis ex sacris his Congregationibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad iustitiam administrandam, sive ad ipsos Romanos Pontifices relevandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos, compertum ex Ecclesiae historia exploratumque omnibus est.

Verum decursu temporis ordinatio Romanae Curiae a Xysto V potissimum per memoratas Apostolicas Litteras constituta, haud integra perstitit. Nam et Sacrarum Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus, modo

auctus est, modo deminutus; atque ipsa iurisdictio unicuique Congregationi primitus attributa, modo novis Romanorum Pontificum praescriptis, mōdo usu aliquo sensim inducto ratoque habito, mutationibus obnoxia fuit. Quo factum est ut hodie singularum iurisdictio, seu *competentia*, non omnibus perspicua nec bene divisa evaserit; plures ex Sacris Congregationibus eâdem de re ius dicere valeant, et nonnullae ad pauca tantum negotia expedienda redactae sint, dum aliae negotiis obruuntur.

Quapropter haud pauci Episcopi ac sapientes viri, maxime vero S. R. E. Cardinales, tum scriptis tum voce, et apud Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII, et apud Nos ipsos saepe instĭterunt ut opportuna remedia hisce incommodis afferrentur. Quod Nos quidem pro parte praestare curavimus datis Litteris die XVII mensis Decembris an. MCMIII, *Romanis Pontificibus*; aliisque datis die XXVIII mensis Ianuarii anno MCMIV, *Quae in Ecclesiae bonum*; itemque aliis datis die XXVI mensis Maii anno MCMVI, *Sacrae Congregationi super negotiis*.

Cum vero in praesenti res quoque sit de ecclesiasticis legibus in unum colligendis, maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Ecclesiaeque operam suam praestare facilius valeat et suppetias ferre perfectius.

Quamobrem, adhibitis in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, statuimus ac decernimus, ut Congregationes, Tribunalia et Officia, quae Romanam Curiam componunt et quibus Ecclesiae universae negotia pertractanda reservantur, post ferias autumnales decurrentis anni, hoc est a die III mensis Novembris MDCCCCVIII, non alia sint, praeter consueta Sacra Consistoria, quam quae praesenti Constitutione decernuntur, eaque numero, ordine, competentia, divisa et constituta maneant his legibus, quae sequuntur.

I.

SACRAE CONGREGATIONES

1°.

CONGREGATIO SANCTI OFFICII

1. Haec Sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praeest, doctrinam fidei et morum tutatur.

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus, quae suspicionem haeresis inducunt.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

4. Quidquid ad Ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne, huic Sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur; quidquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio negotiis sodalium religiosorum praeposita.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta *de disciplina Sacramentorum,* nihilominus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis, doctrinam.

2°.

CONGREGATIO CONSISTORIALIS

1. Duas haec Sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur:

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas dioeceses et *capitula* tum *cathe-*

dralia tum *collegiata* constituere; dioeceses iam constitutas dividere; Episcopos, Administratores apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actosque diligenter expendere; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis negotiis, vulgo *Secretariae Status,* ipsi documenta excipient et *Positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiiciendam.

3. Altera pars ea omnia comprehendit, quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de Propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus, quibus Ordinarii tenentur; cognitio eorum quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent.

4. Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum.

5. Huius Sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Praefectus. Eique Cardinales *a secretis* S. Officii et *Secretarius Status* semper ex officio accensentur, praeter alios, quos Summus Pontifex eidem adscribendos censuerit.

6. A secretis semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus; alter ab ipso erit Praelatus, cui *Adsessoris* nomen, qui idem fungetur munere a secretis Sacri Collegii Patrum Cardinalium, et sub ipso sufficiens administrorum numerus.

7. Consultores huius Congregationis erunt *Adsessor* Sancti Officii, et *a secretis* Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, durante munere: quibus accedent alii, quos Summus Pontifex elegerit.

3°.

CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

1. Est huic Sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa caeremonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorumdem ordinationem; dispensationes respicientes locum, tempus, conditiones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, adservandi Augustissimi Sacramenti; aliaque id genus.

3. Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat.

4. Congregationi huic, quemadmodum ceteris omnibus quae sequuntur, erit Cardinalis Praefectus, qui praeerit sa-

cro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum *Secretario* aliisque necessariis administris et consultoribus.

4°.

CONGREGATIO CONCILII

1. Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa, quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populique christiani refertur.

2. Quamobrem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles; moderari quae Parochos et Canonicos spectant; item quae pias Sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus, quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a conditionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quoties ad Ordinarios eorum collatio spectet.

3. Ad eamdem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandas iudicaverit; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt deferenda.

5. Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur.

5°.

CONGREGATIO NEGOTIIS RELIGIOSORUM SODALIUM PRAEPOSITA

1. Haec Sacra Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum, quae ad Sodales religiosos utriusque sexus tum solemnibus, tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore; ceterae ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

6°.

CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

1. Sacrae huius Congregationis iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones nonnullae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid praeseferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subiectas esse volumus.

2. Itaque a iurisdictione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad ius commune deductas decernimus - in *Europa* - ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae, et Hollandiae, ac dioecesim Luxemburgensem; - in *America* - provincias ecclesiasticas dominii Canadensis, Terrae Novae

et Foederatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum.* Negotia proinde quae ad haec loca referuntur, tractanda in posterum non erunt penes Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorumdem natura, penes Congregationes ceteras.

3. Reliquae ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subiectae, in eius iure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus Vicariatus omnes Apostolicos, Praefecturas seu missiones quaslibet, eas quoque quae Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis modo subsunt.

4. Nihilominus, ut unitati regiminis consulatur, volumus ut Congregatio de Propaganda Fide ad peculiares alias Congregationes deferat quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive uti singulos, sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Congregationem Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

6. Unitam habet Congregationem pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra manent quae huc usque servata sunt.

7. Praefectura specialis pro re oeconomica esse desinit; omnium vero bonorum administratio, etiam *Reverendae Camerae Spoliorum,* ipsi Congregationi de Propaganda Fide committitur.

8. Cum hac Congregatione coniungitur Coetus pro *unione Ecclesiarum dissidentium.*

7°.

CONGREGATIO INDICIS

1. Huius Sacrae Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos si oportuerit,

prohibere, et exemptiones concedere; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis, damnanda; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa scripta animadvertere, eaque Sanctae Sedi denunciare, ad normam Const. *Officiorum* XXV Ian. MDCCCXCVII.

2. Cum vero librorum prohibitio persaepe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, Administri secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto adstringantur.

8°.

CONGREGATIO SACRORUM RITUUM

1. Haec Sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caeremonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentiae iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

2. Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caeremonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exequi debet, quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

4. Huic Congregationi adiunguntur Coetus *liturgicus*, Coetus *historico-liturgicus* et Coetus *pro Sacro Concentu*.

9°.

CONGREGATIO CAERAEMONIALIS

Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caeremoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum, quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

10°.

CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

In ea tantum negotia Sacra haec Congregatio incumbit, quae eius examini subiiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

11°.

CONGREGATIO STUDIORUM

Est huic Sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant maiora athenaea, seu quas vocant Universitates, seu Facultates, quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

II.

TRIBUNALIA

1°.

SACRA POENITENTIARIA

Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit.

2°.

SACRA ROMANA ROTA

Quum Sacrae Romanae Rotae tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut Sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum iubemus « per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes » (Litt. Secretariae Status, XVII Apr. MDCCXXVIII); sed praeterea decernimus, ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad Sacrae Romanae Rotae tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam* quam in appendice praesentis Constitutionis ponimus, salvo tamen iure Sacrarum Congregationum, prout superius praescriptum est.

3°.

SIGNATURA APOSTOLICA

Item supremum Signaturae Apostolicae tribunal restituendum censemus, et praesentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, iuxta modum qui in memorata *Lege* determinatur, antiqua ordinatione tribunalium *Signaturae papalis gratiae et iustitiae* suppressa.

III.

OFFICIA

1°.

CANCELLARIA APOSTOLICA

1. Huic officio praesidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice-Cancellarii nomen assumet. Ipse iuxta pervetustam consuetudinem in sacris Consistoriis ex officio, notarii munere fungitur.

2. Ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa novarum dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

3. Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariae*, iuxta normam seorsim dandam, sublatis iis modis qui dicuntur per *viam secretam*, *de Camera* et *de Curia*.

4. Expedientur memoratae litterae seu *bullae* de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

5. Suppresso collegio Praelatorum, qui dicuntur *Abbreviatores maioris vel minoris residentiae,* seu *de parco maiori vel minori;* quae ipsius erant munia in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum, qui vocantur *participantes de numero.*

2°.

DATARIA APOSTOLICA

1. Huic officio praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui in posterum Datarii, non vero Pro-Datarii nomen obtinebit.

2. Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata; conficere et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione; eximere in conferendo beneficio a conditionibus requisitis; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

3. In his omnibus agendis normas peculiares sibi proprias, aliasque seorsim dandas servabit.

3°.

CAMERA APOSTOLICA

Huic officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. *Vacante Sede Apostolica* XXV Dec. MDCCCCIV.

4°.

SECRETARIA STATUS

Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a *Secretis Status,* hoc est a publicis negotiis, triplici parte

constabit. Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae Congregationi iisdem praepositae examinanda subiici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui praeposito sunt reservata; tertia expeditioni Apostolicorum Brevium, quae a variis Congregationibus ei committuntur, vacabit. — Primae praeerit *Secretarius* Congregationis pro negotiis extraordinariis; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis; tertiae *Cancellarius* Brevium Apostolicorum. Inter harum partium praesides primus est *Secretarius* Sacrae Congregationis negotiis extraordinariis praepositae, alter *Substitutus* pro ordinariis negotiis.

5°.

SECRETARIAE BREVIUM AD PRINCIPES ET EPISTOLARUM LATINARUM

Duplex hoc officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

In posterum vero in omnibus Apostolicis Litteris, sive a *Cancellaria* sive a *Dataria* expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die xxv mensis Martii, sed a Kalendis Ianuariis.

Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quae diximus, posthac Romanam Curiam constituent, servata eorum quae ante Nostras has litteras exstabant, propria constitutione, nisi immutata fuerit secundum superius praescripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quae Constitutioni huic adiiciuntur.

Congregatio quae dicitur *Reverendae fabricae S. Petri,* in posterum unam sibi curandam habebit rem familiarem

Basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis Const. *Quanta curarum* die XV mensis Novembris MDCCLI data.

Coetus *studiis provehendis* sive *Sacrae Scripturae*, sive *historiae; Obulo S. Petri administrando; Fidei in Urbe praeservandae*, permanent in statu quo ante.

Sublata Congregatione *Visitationis Apostolicae Urbis*, quae ipsius erant iura et munia, ad peculiarem Patrum Cardinalium coetum, penes urbis Vicariatum constituendum, deferimus.

In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis hoc in primis solemne sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus eorumdem Nobis Nostrisque pro tempore successoribus fuerit ante significatum.

Praeterea, sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae, pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorumdem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae de ipsarum competentia latis.

Huic Constitutioni accedunt leges propriae, ac normae tum generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congregationibus, Tribunalibus, Officiis praestituitur; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus.

Atque haec valere quidem debent Apostolica Sede plena; vacuâ enim standum legibus et regulis in memorata Constitutione *Vacante Sede Apostolica* statutis.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, atque irritum esse et inane si secus

super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, III Kal. Iulias, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. Card. Di Pietro
Pro-Datarius

R. Card. Merry del Val
a Secretis Status

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

V. Cugnonius

LEX PROPRIA
SACRAE ROMANAE ROTAE ET SIGNATURAE APOSTOLICAE

TITULUS I.

SACRA ROMANA ROTA

Cap. I.

De constitutione Sacrae Romanae Rotae.

Can. I.

§ 1. Sacra Romana Rota decem Praelatis constat a Romano Pontifice electis, qui Auditores vocantur.

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, maturae aetatis, laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praediti, honestate vitae, prudentia, et iuris peritia praeclari.

§ 3. Cum aetatem septuaginta quinque annorum attigerint emeriti evadunt, et a munere iudicis cessant.

Can. 2.

§ 1. Sacra Rota Collegium constituit, cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.

§ 2. Auditores post Decanum ordine sedent ratione antiquioris nominationis, et in pari nominatione ratione antiquioris ordinationis ad sacerdotium, et in pari nominatione et ordinatione presbyterali, ratione aetatis.

§ 3. Vacante decanatu, in officium Decani ipso iure succedit qui primam sedem post Decanum obtinet.

Can. 3.

§ 1. Singuli Auditores, probante Rotali Collegio et accedente consensu Summi Pontificis, eligant sibi unum studii adiutorem, qui laurea doctorali iuris saltem canonici in publica universitate studiorum, vel facultate a Sancta Sede recognitis donatus sit, et religione vitaeque honestate praestet.

§ 2. Adiutor in suo munere explendo de mandato sui Auditoris agere debet, et manet in officio ad eiusdem nutum.

Can. 4.

§ 1. Erunt insuper in Sacra Rota promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, et defensor sacri vinculi matrimonii, professionis religiosae et sacrae ordinationis.

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, laurea doctorali in theologia et in iure saltem canonico insigniti, maturae aetatis, et prudentia ac iuris peritia praestantes.

§ 3. Eligentur a Summo Pontifice, proponente Rotali Auditorum Collegio.

Can. 5.

§ 1. Constituentur etiam notarii, quot necessarii sunt pro actibus Sacrae Rotae rogandis, qui praeterea actuarii et cancellarii munere in sacro tribunali fungentur.

§ 2. Duo saltem ex his erunt sacerdotes: et in causis criminalibus clericorum vel religiosorum his dumtaxat reservatur notarii et actuarii munus.

§ 3. Omnes eligentur a Collegio Rotali ex concursu iuxta regulam pro ceteris Sanctae Sedis officiis datam: eorumque electio confirmanda erit a Summo Pontifice.

Can. 6.

§ 1. Unus vel duo laici maturae aetatis et probatae vitae constituentur pro custodia sedis et aulae Sacrae Rotae, qui, quoties necesse sit, cursorum et apparitorum officia praestabunt.

§ 2. Eligentur a Rotali Collegio cum suffragiorum numero absolute maiore.

Can. 7.

§ 1. Singuli Sacrae Rotae Auditores, post nominationem, ante quam iudicis officium suscipiant, coram universo Collegio, adstante uno ex notariis sacri tribunalis, qui actum rogabit, iusiurandum dabunt de officio rite et fideliter implendo.

§ 2. Idem iusiurandum dabunt singuli adiutores Auditorum, et tribunalis administri coram Sacrae Rotae Decano, adstante pariter uno ex notariis.

Can. 8.

In re criminali, in causis spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus obvenire potest, vel ab ipso tribunali secretum impositum fuit, Auditores, adiutores Auditorum et tribunalis administri tenentur ad secretum officii.

Can. 9.

§ 1. Auditores qui secretum violaverint, aut ex culpabili negligentia vel dolo grave litigantibus detrimentúm attulerint, tenentur de damnis: et ad instantiam partis laesae, vel etiam ex officio, Signaturae Apostolicae iudicio a SSmo confirmato, puniri possunt.

§ 2. Tribunalis administri et adiutores Auditorum, qui similia egerint, pariter tenentur de damnis; et ad instantiam partis laesae, aut etiam ex officio, Rotalis Collegii iudicio, pro modo damni et culpae puniri possunt.

Can. 10.

§ 1. Declaratio fidelitatis exemplarium cum autographo a notariis fieri potest ad instantiam cuiuslibet petentis.

§ 2. Extrahere vero documenta ex archivio, illaque petentibus communicare, notarii non possunt nisi de mandato Praesidis turni, coram quo causa agitur, si ad effectum causae documentum postuletur: de mandato Decani, si aliquod documentum ob alium finem requiratur.

Can. 11.

Sacra Rota, duabus formis ius dicit, aut per *turnos* trium Auditorum, aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua particulari causa Summus Pontifex statuerit sive ex se, sive ex consulto sacrae alicuius Congregationis.

Can. 12.

§ 1. Turni hoc ordine procedent. Primus turnus constituitur ex tribus ultimis Auditoribus; secundus et tertius ex sex praecedentibus; quartus ex decano et duobus ultimis Auditoribus, qui denuo in turni seriem redeunt; quintus et sextus turnus ex Auditoribus sex qui praecedunt; septimus ex Subdecano et Decano rotali una cum ultimo Auditore, qui

rursus in seriem venit; denique octavus, nonus et decimus turnus ex novem reliquis Auditoribus; et sic deinceps, servata ea vice perpetuo.

§ 2. Turni in iudicando sibi invicem succedunt iuxta ordinem temporis, quo causae delatae sunt ad Sacrae Rotae tribunal.

§ 3. Si, iudicata iam ab uno turno aliqua causa, opus sit secunda sententia, causam videt turnus qui proxime subsequitur, etsi hic aliam causam iuxta superiorem paragraphum iudicandam assumpserit. Et si opus sit tertia sententia, eodem modo turnus, qui duos praecedentes proxime subsequitur, causam videndam suscipit.

§ 4. In unoquoque turno, seu Auditorum coetu, praeses est semper Auditor cui prior locus competit.

§ 5. Si quis infirmitate aut alia iusta causa impeditus partem in iudicando in suo turno habere non possit, praevio Decani decreto, eum supplet primus Auditor liber, non proximi quidem turni, sed alterius subsequentis.

Quod si opus sit tertia rotali sententia, impeditum Auditorem supplet decimus rotalis, vel alius qui partem in tribus turnis non habet.

§ 6. Auditor ob impedimentum alterius rotalis suffectus, etsi senior, praeses turni esse non potest, quoties causa iam coepta sit, et Praeses alius constitutus.

Can. 13.

Circa vacationes Rotale tribunal eiusque administri eadem utentur regula ac cetera Sanctae Sedis officia.

Cap. II.

De competentia Sacrae Romanae Rotae.

Can. 14.

§ 1. Sacra Rota iudicat in prima instantia causas, quas sive motu proprio, sive ad instantiam partium Romanus Pon-

tifex ad suum tribunal avocaverit, et Sacrae Rotae commiserit; easque, si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium iuxta praescripta *can. 12*.

§ 2. Iudicat in secunda instantia, causas quae a tribunali Emi Urbis Vicarii et ab aliis Ordinariorum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint, et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferuntur. Itemque eas iudicat, si opus sit, etiam in tertia iuxta modum in *can. 12* praescriptum.

§ 3. Iudicat denique in ultima instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriori gradu iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint, et per legitimam appellationem ad Sanctam Sedem deferuntur.

§ 4. Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum a sententiis quibusvis, quae transierint in rem iudicatam et remedium invenire non possunt apud iudicem secundae instantiae iuxta titulum *De rest. in integr.*; dummodo tamen non agatur de re iudicata ex sententia Sacrae Romanae Rotae: et in his iudicat tum de forma, tum de merito.

Can. 15.

Causae maiores, sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum, excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

Can. 16.

Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed eorum cognitio Sacris Congregationibus reservatur.

Can. 17.

Defectus auctoritatis Sacrae Rotae in videndis causis, de quibus in duobus canonibus praecedentibus, est absolutus,

ita ut ne obiter quidem de his cognoscere queat, et si tamen sententiam proferat, haec ipso iure sit nulla.

Cap. III.

De modo iudicandi Sacrae Romanae Rotae.

Can. 18.

§ 1. Partes per se ipsae possunt se sistere et iura sua dicere coram Sacra Rota.

§ 2. Si quem tamen sibi assumant advocatum, hunc eligere debent inter approbatos iuxta tit. III huius legis.

§ 3. Advocatus, aut qua consultor et adsistens, aut qua patronus, cui causa defendenda ex integro commissa maneat, a parte eligi potest: in utroque casu tradi ei debet mandatum in scriptis, quod exhibendum est tribunali, et servandum in actis.

§ 4. Advocatus ad adsistendum assumptus tenetur clientem instruere, prout et quatenus opus sit, de regulis et usu sacri tribunalis, opportuna consilia de modo agendi eidem praebere, et defensionem ac responsionem cum eo subsignare.

§ 5. Si partes per se ipsae etiam cum adsistente advocato ut in § 3, defensionem suam suscipiant, uti possunt in defensionis et responsionis scriptura vernacula lingua a sacro tribunali admissa.

§ 6. In quolibet tamen casu unica semper esse debet defensionis et responsionis scriptura, hoc est aut partis aut eius patroni: numquam vero duplex, id est utriusque.

Can. 19.

§ 1. Cum ad Sacrae Rotae protocollum pervenerit appellatio aliqua, aut commissio iudicandi aliquam causam in forma ordinaria, appellationis libellus aut litterae commisso-

riae ex Decani mandato transmittuntur Auditorum turno ad quem spectat iudicium in ordine et vice sua iuxta praecedentem canonem 12; turnus autem, assumpta causa, procedit ad eius examen iuxta ordinarias iuris normas.

§ 2. Quod si commissio iudicandi facta sit, non in forma ordinaria, sed speciali, idest videntibus quinque, vel septem, vel omnibus Auditoribus, aut dumtaxat pro voto; Sacra Rota servare in primis debet commissionis formam iuxta tenorem rescripti, et in reliquis iuxta regulas iuris communis et sibi proprias procedere.

Can. 20.

Quoties quaestio in Sacra Rota fiat circa executionem provisoriam alicuius sententiae aut circa inhibitionem executionis, res inappellabili sententia a solo Praeside turni, ad quem iudicium causae in merito spectaret, est definienda.

Can. 21.

Praeses turni, seu Auditorum coetus qui tribunal constituit, per se est etiam Ponens seu Relator causae. Quod si iustam habeat rationem declinandi hoc officium, auditis ceteris turni seu coetus Auditoribus, suo decreto statuet qui vice sua Ponentis munus suscipiat.

Can. 22.

§ 1. Si in aliqua causa opus sit instructione processus, instructio fiat iuxta receptas canonicas regulas.

§ 2. Ponens autem seu Relator non potest simul esse causae instructor, sed hoc officium a Decano debet demandari alicui Auditori alterius turni.

Can. 23.

§ 1. Causa coram Sacra Rota introducta et instructa, actor, vel etiam conventus, si ipsius intersit, Ponentem rogabit ut

diem dicat alteri parti pro contestatione litis, seu concordatione dubiorum.

§ 2. Ponens, vel eius studii adiutor, in calce libelli diem constituet. Quod in exemplari authentico alteri parti communicari statim debet.

Can. 24.

§ 1. Si die assignata pro concordatione dubiorum pars in ius vocata non compareat, et legitimam excusationem absentiae dare negligat, contumax declarabitur, et dubiorum formula ac dies propositionis causae ad postulationem partis praesentis et diligentis ex officio statuetur: idque statim ex officio notum fiet alteri parti, ut, si velit, excipere possit contra dubiorum formulam, et a contumacia se purgare, constituto ad hoc a Ponente vel eius studii adiutore congruo temporis termino.

§ 2. Si partes praesentes sint, et conveniant in formula dubii atque in die propositionis causae, et Ponens vel eius adiutor ex parte sua nil excipiendum habeant, dabitur opportunum decretum quo id constabiliatur.

§ 3. Si vero partes non conveniant in formula dubii, aut in die propositionis causae: itemque si Ponens vel eius adiutor censeant acceptari non posse partium conclusiones, definitio controversiae reservatur iudicio totius turni; qui quaestione incidentali discussa decretum ad rem feret.

§ 4. Dubiorum formula utcumque statuta mutari non potest nisi ad instantiam alicuius partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita altera parte, novo Ponentis vel turni decreto, prout fuerit vel a Ponente vel a turno statuta.

§ 5. Dies eodem modo mutari potest; sed haec mutatio fieri potest etiam ex officio, si Ponens vel turnus necessarium ducant.

Can. 25.

§ 1. Sententiae, decreta et acta quaelibet contra quae expostulatio facta sit, exhibenda sunt Sacrae Rotae saltem decem dies ante litis contestationem.

§ 2. Documenta quae partes in propriae thesis suffragium producenda habent, triginta saltem dies ante causae discussionem deponenda sunt in protocollo Sacrae Rotae, ut a iudicibus et tribunalis administris atque ab altera parte examinari possint in ipso loco protocolli, unde ea asportari non licet.

§ 3. Debent autem esse legitima forma confecta, et exhibenda sunt in forma authentica, colligata in fasciculo, cum adiecto eorum indice, ne subtrahi aut deperdi possint.

Can. 26.

§ 1. Defensio typis est imprimenda: et triginta dies ante causae discussionem *(eodem nempe tempore ac documenta de quibus in can. praec. deponenda sunt in protocollo rotali)* distribuenda est duplici exemplari singulis iudicibus, notariis protocolli et archivii, itemque promotori iustitiae et vinculi defensori, si iudicio intersint. Commutari praeterea debet cum altera parte, aut partibus, ut responsioni locus hinc inde fiat.

§ 2. Defensioni adiungendum est Summarium, typis pariter impressum, in quo documenta potiora contineantur.

Can. 27.

§ 1. Responsiones decem dies ante causae discussionem, idest viginti dies post distributionem defensionis, exhibendae sunt una cum novis documentis, si quae adiungenda partes habeant, servatis etiam hoc in casu regulis can. 24 et can. 25.

§ 2. Quo facto conclusum in causa reputabitur: et partibus earumque patronis seu procuratoribus iam non licebit quidpiam adiungere aut scribere.

§ 3. Si tamen agatur de repertis novis documentis, fas semper est ea producere. Sed in eo casu pars exhibens probare tenetur se ea documenta nonnisi ad ultimum reperisse. Admissis vero his novis documentis, Ponens debet congruum tempus alteri parti concedere ut super iisdem respondere possit. Aliter nullum erit iudicium.

§ 4. In potestate autem et officio Ponentis est documenta futilia ad moras nectendas exhibita respuere.

Can. 28.

Spatia temporum superioribus canonibus constituta prorogari possunt a iudice ad instantiam unius partis, altera prius audita, vel etiam coarctari, si ipse iudex necessarium duxerit, consentientibus tamen partibus.

Can. 29.

§ 1. Defensionis scriptura excedere non debet viginti paginas formae typographicae ordinariae folii romani. Responsiones decem paginas.

§ 2. Si ob gravitatem, difficultatem, aut grande volumen documentorum parti vel patrono necesse sit hos limites excedere, a Ponente supplici libello id ipsi impetrabunt. Ponens autem decreto suo statuet numerum ulteriorem paginarum quem concedit, quemque praetergredi nefas est.

§ 3. Exemplar tum defensionis tum responsionis antequam edatur exhibendum est Ponenti vel eius studii adiutori, ut imprimendi atque evulgandi facultas impetretur.

§ 4. Nulla scriptura Sacrae Rotae destinata typis edi potest, nisi in typographia a Collegio Sacrae Rotae approbata.

Can. 30.

Quae dicuntur *informationes orales ad iudicem,* in Sacra Rota prohibentur: admittitur tamen moderata disputatio ad elucidationem dubiorum coram turno pro tribunali sedente,

si alterutra vel utraque pars eam postulet, aut tribunal statuat ut eadem habeatur. In ea vero hae regulae serventur:

1. Disputatio fiat die et hora a tribunali opportune assignanda tempore intermedio inter exhibitionem responsionis et assignatam iudicio diem.

2. Partes regulariter non admittuntur ut per se ipsae causam suam dicant coram iudicibus; sed ad id deputare debent unum ex advocatis, quem sibi ad adsistendum, aut qua patronum vel procuratorem adsciverint. In potestate tamen tribunalis est eas rationabili de causa admittere, aut advocare et iubere ut intersint.

3. Biduo ante disputationem partes exhibere debent adiutori Ponentis quaestionis capita cum altera parte discutienda paucis verbis, una vel altera periodo, contenta. Eaque adiutor partibus hinc inde communicabit, una simul cum quaesitis a turni Auditoribus praeparatis, si quae ipsi habeant, super quibus partes rogare velint.

4. Disputatio non assumet oratoriam formam; sed sub Ponentis ductu ac moderatione circumscripta erit limitibus illustrandorum dubiorum.

5. Adsistet unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si aliqua pars postulet et tribunal consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, adnotationem ad tramitem iuris ex continenti assumere.

6. Qui in disputatione iniurias proferat, aut reverentiam et obedientiam tribunali debitam non servet, ius ad ulterius loquendum amittit, et si agatur de procuratore vel advocato, puniri pro casus gravitate potest etiam suspensione aut privatione officii.

Can. 31.

§ 1. Adsignata iudicio die Auditores in consilium ad secretam causae discussionem convenire debent.

§ 2. Unusquisque scripto afferet conclusiones suas seu

votum cum brevibus probationibus tam in facto quam in iure. Attamen in discussione fas semper est Auditoribus a conclusionibus suis recedere, si iustum et necessarium ducant. Conclusiones autem suas singuli Auditores in actis causae deponere tenentur ad rei memoriam: secretae tamen ibi servabuntur.

§ 3. Ea demum sit sententia in qua firmiter conveniant duo saltem ex Auditoribus, aut pars absolute maior praesentium, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur.

§ 4. Si ad sententiam in prima discussione devenire iudices nolint aut nequeant, differre poterunt iudicium ad primum proximum eiusdem turni conventum, quem protrahi non licet ultra hebdomadam, nisi forte vacationes tribunalis intercedant.

Can. 32.

§ 1. Re conclusa in Auditorum consilio, Ponens super actorum fasciculo signabit partem dispositivam sententiae, idest responsiones ad dubia: quae a notario tribunalis partibus significari poterunt, nisi tribunal censuerit solutionem suam secreto servare usque ad formalis sententiae promulgationem.

§ 2. Haec intra decem dies, aut ad summum intra triginta in causis implicatioribus est peragenda: exaranda vero vel a causae Ponente vel ab alio ex Auditoribus, cui hoc munus in secreta causae discussione commissum sit.

§ 3. Eadem lingua latina est conscribenda; et rationes tam in facto quam in iure sub poena nullitatis continere debet.

§ 4. Subsignabitur a Praeside turni et ab aliis Auditoribus una cum aliquo ex notariis Sacrae Rotae.

Can. 33.

§ 1. Si sententia rotalis confirmatoria sit alterius sententiae sive rotalis sive alius tribunalis, habetur res iudicata, contra quam nullum datur remedium nisi per querelam nul-

litatis, vel per petitionem restitutionis in integrum coram supremo Apostolicae Signaturae tribunali.

§ 2. Si duplex sententia conformis non habeatur, a sententia rotali ab uno turno lata datur appellatio ad turnum proxime sequentem iuxta canonem 12, intra tempus utile dierum decem ab intimatione sententiae, ad tramitem iuris communis.

Can. 34.

§ 1. Si, introducta causa, actor renunciare velit instantiae, aut liti, aut causae actibus, id ei semper licebit. Sed renunciatio debet esse absoluta nullique conditioni subiecta, subsignata cum loco et die a renunciante, vel ab eius procuratore speciali tamen mandato munito, ab altera parte acceptata aut saltem non oppugnata, et a iudice deinde admissa.

§ 2. Renuncians tamen tenetur hisce in casibus ad omnia consectaria, quae ex his renunciationibus profluunt ad tramitem iuris communis.

TITULUS II.

SIGNATURA APOSTOLICA

Cap. I.

De constitutione et competentia Signaturae Apostolicae.

Can. 35.

§ 1. Supremum Apostolicae Signaturae tribunal constat sex S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice electis, quorum unus, ab eodem Pontifice designatus, Praefecti munere fungetur.

§ 2. Eique dabitur a Romano Pontifice adiutor, seu a Secretis, qui iuxta regulas eiusdem Signaturae proprias, sub

ductu Cardinalis Praefecti, omnia praestabit quae ad propositae causae instructionem eiusque expeditionem necessaria sunt.

Can. 36.

§ 1. Praeter Secretarium erit etiam in Apostolica Signatura unus saltem notarius conficiendis actibus, conservando archivio, et adiuvando Secretario in iis quae ab eo ipsi committuntur: habebitur quoque custos conclavium eiusdem Signaturae: prior sacerdos, alter laicus.

§ 2. Erunt etiam aliquot Consultores, a Summo Pontifice eligendi, quibus poterit examen alicuius quaestionis pro voto ferendo committi.

§ 3. Quae ad nominationem, iusiurandum, obligationem secreti ac disciplinam pertinent, et pro administris Sacrae Rotae constituta sunt, serventur quoque, cum proportione, pro Apostolicae Signaturae administris.

Can. 37.

Supremum Apostolicae Signaturae tribunal videt tamquam sibi propria ac praecipua,

1. de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, ob quam ipse recusetur;

2. de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint, iuxta can. 9;

3. de querela nullitatis contra sententiam rotalem;

4. de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit.

Cap. II.

De modo iudicandi Apostolicae Signaturae.

Can. 38.

Ad postulandam restitutionem in integrum et ad introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem dan-

tur tres menses utiles a reperto documento aut a cognita causa, ob quam ad haec remedia recursus fieri potest.

Can. 39.

§ 1. Expostulatio ad Signaturam pro restitutione in integrum non suspendit rei iudicatae executionem.

§ 2. Nihilominus ad instantiam partis recurrentis Signatura potest, incidentali sententia, inhibitionem executionis iubere, aut obligare partem victricem ad congruam cautionem praestandam pro restitutione in integrum.

Can. 40.

§ 1. Libellus, quo causa introducitur, exhibendus est Secretario Signaturae Apostolicae.

§ 2. Cardinalis autem Praefectus, una cum Secretario, accepta instantia, examinare debet, utrum fundamentum aliquod boni iuris habeat: quod si desit, instantiam ipsam quamprimum reiicere; sin vero habeatur, tenetur admittere.

Can. 41.

§ 1. In causa criminali, de qua sub num. 2 canonis 37, regulae processuales serventur, quae pro causis criminalibus a iure canonico statuuntur.

§ 2. In aliis iudiciis, de quibus in num. 1, 3 et 4 canonis 37, Signatura procedere potest sola rei veritate inspecta, citata tamen semper parte adversa, vel conventa, vel cuius intersit, et praefixo partibus congruo peremptorio termino ad iura sua deducenda.

§ 3. Et in primo ex memorati iudicii casibus Apostolica Signatura inappellabili sententia definit utrum, an non, sit locus recusationi Auditoris. Quo facto, iudicium ad Sacram Rotam remittit, ut iuxta suas regulas ordinarias procedat, admisso in suo turno, vel non, Auditore contra quem exceptio sublevata fuit, iuxta Signaturae sententiam.

In tertio casu de hoc tantum iudicat, sitne nulla rotalis sententia, et sitne locus eius circumscriptioni.

In quarto casu Apostolica Signatura, inappellabili sententia definit utrum, necne, locus sit restitutioni in integrum. Qua concessa, rem remittit ad Sacram Rotam, ut, videntibus omnibus, de merito iudicet.

Can. 42.

Cardinalis Praefectus, itemque Signaturae tribunal, si expedire reputent, convocare possunt Promotorem iustitiae et Defensorem vinculi penes Sacram Rotam, et ab eis votum exigere, vel etiam petere ut de actibus rotalibus, quae impugnantur, rationes explicent.

Can. 43.

In reliquis, quae necessaria sunt ad iudicii expeditionem, et non sunt in praecedentibus canonibus cauta, servari in primis debent, congrua congruis referendo, regulae pro Sacra Rota statutae, et deinde normae iuris communis.

TITULUS III.

DE ADVOCATIS PENES S. ROTAM ET APOSTOLICAM SIGNATURAM

Can. 44.

§ 1. Advocati proprii ac nativi Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae sunt Advocati consistoriales.

§ 2. Admittuntur tamen et alii sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in canonico iure instructi, post triennale tyrocinium vel qua adiutores penes aliquem ex Auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram Rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint, a Sacrae Rotae Decano et ab uno ex notariis subsignatum, ac iusiurandum

coram Rotali Collegio dederint de munere ex conscientia implendo.

Can. 45.

§ 1. Advocati in causis coram Sacra Rota et Signatura Apostolica agendis tenentur servare tum communes leges canonicas tum regulas horum tribunalium proprias; et in scripturis pro defensione exarandis lingua latina uti debent.

§ 2. Tenentur insuper de mandato Decani Sacrae Rotae aut Cardinalis Praefecti Signaturae Apostolicae gratuitum patrocinium aut gratuitam adsistentiam praebere iis, quibus Sacra Rota aut Signatura Apostolica hoc beneficium concesserit.

§ 3. Nefas eisdem est emere litem, aut de extraordinario emolumento vel immodica rei litigiosae parte sibi vindicanda pacisci. Quae si fecerint, praeter nullitatem pactionis, a Sacra Rota congrua poena multari possunt, iuxta sequentem canonem.

Can. 46.

Collegium advocatorum consistorialium fungetur munere collegii disciplinae pro continendis in officio advocatis: qui, ex voto eiusdem Collegii, a Sacra Rota reprehensionis nota inuri, poena pecuniaria multari, suspendi, vel etiam ex albo advocatorum expungi poterunt.

APPENDIX

DE TAXATIONE EXPENSARUM IUDICIALIUM

Cap. I.

De proventibus qui ad aerarium Sanctae Sedis spectant.

1. Acta quaelibet iudicialia in causis tum contentiosis tum criminalibus exarari debent in foliis sigillum Sedis Apo-

stolicae referentibus, excepta prima instantia, et exceptis quoque foliis typis edendis, de quibus in can. 25 et 26. Folia quatuor paginis constant et paginae triginta lineis.

Pretium uniuscuiusque folii coram Sacra Rota adhibendi est, lib. 1; coram Signatura Apostolica, lib. 2.

2. In eodem folio cumulari nequeunt acta diversa, quamvis ad eamdem causam spectantia.

3. Quoties documenta in protocollo Sacrae Rotae exhibentur sive plura sint, sive pauciora, singulis vicibus pendenda est lib. 1.

4. Pro actu quo declaratur concordare exemplar alicuius documenti cum autographo, ad singula folia, lib. 0,50.

5. Pro peritiis, si requirantur, et pro examine testium, si habendum sit, a requirente peritiam vel probationem per testes deponenda est penes officialem rotalem, pecuniae custodem, summa ab adiutore Praesidis tribunalis taxanda, quae ab eo censeatur sufficiens ad expensas peritiae vel examinis testium solvendas.

6. In taxanda hac summa adiutor aestimare debet, iuxta civilem Urbis usum, quid requiratur ad retribuendam peritorum operam, si de ipsa agatur, vel ad indemnitatem testibus praestandam, tum ob itineris expensas, tum ob cessatum lucrum ex interruptione laboris, si de examine testium res sit. Praeterea tribunalis iura iuxta communes normas ei prae oculis habenda sunt.

7. Ad occurrendum expensis iudicialibus universe sumptis deponenda est in arca nummaria Sacrae Rotae pro prudenti Ponentis arbitrio pecuniae summa a 100 ad 500 libellas.

8. Proventus universi huc usque recensiti ad aerarium Sanctae Sedis spectant, et ad illud singulis mensibus transmitti debent iuxta regulam pro aliis Sanctae Sedis officiis assignatam.

Cap. II.

De proventibus qui cedunt in retributionem operis a singulis praestiti.

1. Pro versione alicuius actus a lingua non in usu penes Romanam Curiam in aliam usu receptam, retributio pro singulis foliis, lib. 1,50.

2. Pro examinanda versione, et pro declaratione facienda a perito de eius fidelitate, ad singula folia, lib. 0,50.

3. Pro simplici transcriptione, ad singulas paginas, lib. 0,25.

4. Pro extrahendis ex archivio documentis vel fasciculo (*posizione*) alicuius causae, tabularius ministerium suum gratuito debet praestare, si agatur de re ultimis decem annis acta; si de antiquiori, ius habet ad lib. 5.

Cap. III.

De advocatorum et procuratorum proventibus.

1. Pro qualibet instantia exarata, lib. 5.

2. Pro concordatione dubiorum, ad singula dubia, lib. 5.

3. Pro interventu in examine testium in qualibet sessione, lib. 5.

4. Pro adsistentia examini, vel iuramento parti delato, lib. 5.

5. Pro congressibus cum cliente et cum aliis personis ad effectum causae, iuxta numerum et simul sumptis, a lib. 10 ad 100.

6. Pro accessibus ad tribunal, a lib. 5 ad 50.

7. Pro disputatione coram tribunali ad normam can. 30, a lib. 10 ad 25.

8. Pro examine omnium documentorum, a lib. 50 ad 300.

9. Pro eorum ordinatione et summarii compositione, a lib. 50 ad 100.

10. Pro exaranda defensione, a lib. 200 ad 1000.

11. Pro responsione, a lib. 100 ad 200.

12. Pro simplici adsistentia ad normam can. 18, a lib. 100 ad 200.

13. Harum omnium taxarum motio, seu *liquatio,* facienda est ad tramitem communis iuris a Praeside tribunalis.

Cap. IV.

De exemptione a iudicialibus expensis et gratuito patrocinio.

1. Pauperibus ius est exemptionis ab expensis iudicialibus, et gratuiti patrocinii, iuxta praescripta superius can. 45, § 2.

2. Qui pauperes absolute dici non possunt, sed ob arctam suam conditionem ordinariis expensis ferendis pares non sunt, ad earum reductionem ius habent.

3. Qui exemptionem ab expensis vel earum reductionem assequi velit, eam postulare debet, dato supplici libello Praesidi turni vel Auditorum coetus, qui causam iudicandam habet, adductisque documentis quibus conditionem suam comprobet. Praeterea, nisi agatur de iudicio a SSmo commisso, demonstrare debet se non futilem neque temerariam causam agere.

4. Praeses turni postulationem ne admittat, nisi auditis, praeter partem postulantem, parte adversa, promotore iustitiae ac decano advocatorum consistorialium, requisitisque, si opus sit, notitiis etiam secretis super statu oeconomico postulantis.

5. Contra decretum Praesidis negantis exemptionem ab expensis vel earum reductionem potest, intra utile tempus decem dierum, expostulatio fieri pro recognitione iudicii ad turnum, vel Auditorum coetum, cui causa iudicanda est.

6. Qui exemptionem ab expensis et gratuitum patrocinium concedit, simul debet unum ex advocatis designare, qui pauperis patrocinium vel adsistentiam suscipiat ad normam can. 45, § 2.

7. Si vero decreta tantum fuerit expensarum reductio, qui huiusmodi decretum tulit, debet simul normas saltem generales statuere intra quas reductio sit circumscribenda.

Cap. V.

De expensis in iudiciis coram Signatura Apostolica.

Eadem regula, congrua congruis referendo, servetur ac pro iudiciis coram S. Rota.

Datum Romae, die 29 Iunii 1908.

De mandato speciali SSmi D. N. Pii Papae X

R. Card. Merry del Val



ORDO SERVANDUS
IN SACRIS CONGREGATIONIBUS TRIBUNALIBUS OFFICIIS ROMANAE CURIAE [1]

NORMAE COMMUNES

CAP. I.

DE ORDINE AC DIRECTIONE GENERATIM

1. In omnibus superius memoratis S. Sedis Officiis *(dicasteri)* duplex erit Administrorum coetus, maiorum et minorum.

2. In singulis moderatio proxima *secretariae,* protocolli, tabularii, ad Praelatum pertinet qui alter est a Cardinali Praeside. A Praelato tamen erunt ad Cardinalem deferendae maioris momenti res, quibus peculiari aliquo modo sit consulendum.

---

[1] *(Traduzione)*

REGOLAMENTO
PER LE SACRE CONGREGAZIONI TRIBUNALI OFFICI
DELLA CURIA ROMANA

NORME GENERALI

CAPO I. — ORGANICO E DIREZIONE IN GENERALE

1. In ogni dicastero gli Officiali saranno distinti in maggiori e minori.

2. La direzione immediata della segreteria, protocollo ed archivio di ogni dicastero dipende dal Prelato che viene primo dopo il Cardinale superiore. Il Prelato però dovrà riferirsi al Cardinale per tutto ciò che accada d'importante, e che richieda un provvedimento speciale.

In S. Rotae tribunali *secretaria,* protocollum, tabularium, obnoxia sunt Auditori Decano, eoque impedito, Auditori qui primam sedem post Decanum obtinet: hi tamen, ubi agatur de extraordinario aliquo consilio capiendo, rem deferent ad Collegium Auditorum universum.

3. Excepta S. Rota, cui propriis erit agendum normis, in ceteris Officiis omnibus, Administri maiores, praeside Cardinali suo, Congressum constituunt.

4. Ad Congressum spectat minora negotia expendere atque expedire; de ceteris disponere et ordinare ut agantur in pleno sui cuiusque officii conventu.

5. Singula officia sibi librum habebunt *Rerum Notabilium* in quo rite indicentur nominationes, initique muneris dies Patrum Cardinalium, Consultorum, maioris et minoris ordinis Administrorum; datum iusiurandum, cessatio ab officio, et si qua forte pontificia rescripta immutationem aliquam circa cuiusque Officii competentias induxerint.

Nella S. Rota però la segreteria, protocollo ed archivio dipendono dall' Uditore Decano, e questo impedito, dal Sottodecano; i quali tuttavia per ogni provvedimento straordinario dovranno riferirsi all' intero Collegio degli Uditori.

3. Eccettuata la S. Rota che deve procedere secondo le norme sue proprie, in tutti gli altri dicasteri gli Officiali maggiori sotto la presidenza del Cardinale Superiore costituiscono il Congresso.

4. Al Congresso spetta esaminare e risolvere gli affari di minore rilievo, e disporre per la risoluzione degli altri secondo le leggi proprie di ciascun dicastero.

5. In ogni dicastero vi sarà un libro *Rerum notabilium* in cui saranno regolarmente segnate con la loro data le nomine dei Cardinali, dei Consultori e degli Officiali maggiori e minori, la prestazione del giuramento, e la cessazione dall'officio dei medesimi, nonchè le disposizioni pontificie che portassero una qualche innovazione nelle competenze del dicastero.

Cap. II.

DE PROVISIONE OFFICIORUM

1. Maiores Administri cuiusque Sacrae Congregationis, Tribunalis, Officii, a Summo Pontifice libere eligentur.

2. Minoribus eligendis administris titulorum doctrinaeque certamen proponetur.

Gratiosae suffragationes non admittuntur, earumque, si intercedant, ratio habebitur nulla.

3. Certamen indicetur intra mensem a vacuo officio, acceptis ante mandatis a Summo Pontifice. Assignabitur vero spatium utile unius mensis ad exhibendam petitionem ac titulos necessarios.

4. Periculum de doctrina erit scripto faciendum certo die, quo propositae ex tempore quaestiones evolventur circa disciplinas ad petitum officium pertinentes. De proposita materia candidati in communi aula conscribent, designatis horis, advigilante Consultore aut aliquo ex minoribus eiusdem Officii administris, quem Praelatus moderator adlegerit.

5. Scripta, numeris distincta, non expresso candidati

Capo II. — Provvista degli offici

1. Gli Officiali maggiori di ciascuna Congregazione, Tribunale ed Officio della S. Sede saranno scelti liberamente dal Sommo Pontefice.

2. Per la provvista degli Officiali minori si aprirà un concorso per titoli e per esame di scienza.

Le raccomandazioni di favore sono interdette; e se avvengano, non si prenderanno in considerazione.

3. Il concorso sarà intimato entro un mese dalla vacanza del posto dal Capo del rispettivo dicastero, dopo presi gli ordini del Sommo Pontefice: e si assegnerà un mese utile di tempo per la presentazione della domanda e dei titoli necessari per l'ammissione.

4. L'esame di scienza si farà in iscritto nel giorno fissato, con lo svolgimento di temi proposti al momento, su discipline proprie del dicastero a cui si concorre. Il componimento si farà in una sala comune, nel tempo

nomine, duo Consultores ordine excutient, a Congressu eligendi, et, si agatur de S. Rota, a Decano. Horum nomina Censorum occulta manebunt; iidemque quamprimum suum expriment scripto iudicium super exarata a candidatis, declarantes, quaenam ex iis, sive doctrinae laude, sive dicendi forma probentur; quaenam idonea tantum, quaenam omnino improbanda censeantur.

6. Si Consultorum iudicia de idoneitate scripti secum pugnent, candidatus non idoneus habebitur deficientis causa doctrinae. Verum facultas erit Congressui, et apud S. Rotam Decano, in ea iudiciorum discrepantia, exquirendi, si necessarium aut aequum duxerint, Consultoris tertii suffragium, ad quem proinde remittentur priorum duorum iudicia, ut ipse proferat de summa lite sententiam.

7. Ut quis possit ad eligendorum scrutinium admitti, requiritur tamquam necessaria conditio ut probatus discesserit experimento doctrinae.

8. Scrutinium fiet a Congressu, et apud S. Rotam a Collegio Auditorum. Idem erit duplex, et in utroque suffragia erunt secreta.

---

stabilito, sotto la sorveglianza di un Consultore o di un Officiale del dicastero medesimo, scelto dal Prelato superiore.

5. I componimenti segnati per numeri, senza il nome del candidato, saranno esaminati successivamente da due Consultori, i quali saranno scelti dal Congresso e nella S. Rota dal Decano. Il loro nome rimarrà segreto: ed essi nel più breve termine possibile dovranno esprimere in iscritto il loro parere, dichiarando quali composizioni e per la parte scientifica e per la parte letteraria siano da ritenersi degne di lode, quali soltanto sufficienti, quali insufficienti.

6. Se uno dei Consultori dichiarasse il lavoro insufficiente, e l'altro no, il candidato si avrà per non approvato quanto a capacità scientifica. Sarà però in facoltà del Congresso, e nella S. Rota del Decano, stante questa difformità di giudizio, di richiedere (se lo si reputa necessario od equo) il voto di un terzo Consultore, a cui saranno rimessi i pareri dei due precedenti, onde emetta un definitivo giudizio.

In primo, suffragia ferentur de singulis candidatis, ut decernatur, quinam aetate, moribus, indole censeantur idonei. Qui paria suffragia retulerint iudicandi sunt non idonei.

In altero suffragia ferentur de singulis in primo scrutinio approbatis, ut decernatur quinam virtute, meritis, scientia, habilitate sit praeferendus. Paribus inter duos pluresve candidatos suffragiis, Cardinalis, qui Congressui praeerit, et apud S. Rotam Decanus, paritatem diriment.

9. De scrutinii exitu ad Summum Pontificem integre referetur, ut, Eo probante, ad candidati nominationem deveniri possit.

10. Rationes et modi, quibus lata sint suffragia, sunt prorsus reticendi.

11. Litteras nominationis ad maiores Administros mittet Cardinalis a Secretis Status; ad minores mittent, in S. Rota Decanus, subscripto nomine alicuius Notarii; in ceteris Officiis suus cuiusque Praeses Cardinalis, contra posita subscriptione more rescriptorum.

12. Deservientium nominatio, apud S. Rotam spectat ad Collegium Auditorum; apud Officia reliqua ad suum cu-

---

7. Condizione indispensabile per essere ammesso allo scrutinio di elezione è, che il candidato sia stato approvato quanto a scienza.

8. Lo scrutinio si farà dal Congresso, e nella S. Rota dal Collegio degli Uditori, e sarà duplice, ed in ambi i casi per voti segreti.

Nel primo scrutinio si voterà sui singoli nomi per stabilire quali per età, condotta morale e carattere si ritengono idonei. Quelli che otterranno voti pari si debbono ritenere come giudicati non idonei.

Nel secondo si voterà sui singoli nomi per stabilire quello che per virtù, meriti, scienza ed idoneità sia da preferirsi. E, data parità di voti fra due o più candidati, il Cardinale superiore del Congresso, e nella S. Rota il Decano, potranno dirimere la parità.

9. Dell'esito dello scrutinio si farà piena relazione al Sommo Pontefice per l'approvazione del soggetto da nominarsi.

10. Le ragioni e le modalità della votazione nei concorsi saranno da tutti tenute assolutamente segrete.

iusque Praesidem Cardinalem, proponentibus maioribus Administris.

13. In uno eodemque viro cumulare munia non licet; ideoque qui ad novum adspiret munus, ad id semel assumptus, pristino cessit.

14. Ad unum idemque Officium prohibetur aditus duobus consanguineis in primo et secundo gradu, et affinibus in primo.

15. Minoribus Administris, ubi inter ipsos vacaverit locus ius est adscensus titulo ministerii provectioris; non ita ceteris.

Cap. III.

Cuiusvis ordinis Administri, ante quam adsciscantur, iusiurandum dabunt, coram suo Prelato, « de officio fideliter implendo, de non recipiendis muneribus etiam sponte oblatis, et de secreto servando », secundum formulam heic adiectam, servata lege iis Officiis quibus peculiare et gravius iusiurandum imponitur, ut communi formae particularem addant.

---

11. Il biglietto di nomina per gli Officiali superiori sarà spedito dal Cardinale Segretario di Stato: per gl'inferiori, nella S. Rota, dal Decano con la firma di un notaio; negli altri dicasteri dal Cardinale che ne è superiore, con la controfirma consueta pei rescritti.

12. Per gl' inservienti la nomina spetta, nella S. Rota, al Collegio degli Uditori; negli altri dicasteri, al Cardinale che ne è Capo su proposta degli Ufficiali maggiori.

13. È vietata la pluralità degl'impieghi nella stessa persona. E chi otta ad un nuovo officio, nell'assumerlo rimane dimesso dall'antico.

14. È vietata nello stesso dicastero l'ammissione di due consanguinei in primo e secondo grado, e di affini in primo grado.

15. Fra gli Officiali minori, avvenendo una vacanza, si dà luogo al diritto di ascenso per anzianità d'officio: non così fra gli altri.

Capo III. — Giuramento

Ogni Officiale prima di essere ammesso dovrà prestare giuramento innanzi al Superiore *de officio fideliter implendo, de non recipiendis*

IURISIURANDI FORMA

In nomine Domini.

Ego N. N. spondeo, voveo ac iuro, fidelem et obedientem me semper futurum B. Petro et Domino Nostro Papae eiusque legitimis Successoribus; ministeria mihi commissa in hac S. Congregatione (Tribunali, aut Officio) sedulo ac diligenter impleturum; munera mihi in remunerationem, etiam sub specie doni oblata, non recepturum: et secretum officii religiose servaturum in iis omnibus, quae sacri Canones aut Superiores secreta servari iusserint, itemque, quoties ab Ordinariis id postulatum fuerit, et quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus aut Ecclesiae obvenire potest. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango.

CAP. IV.

DE HORIS AC DISCIPLINA OFFICIORUM

1. Spatium temporis officio assignatum est matutinum, ab hora nona cum dimidio usque ad meridiem cum semi-

---

muneribus etiam sponte oblatis et de secreto servando, secondo la seguente formola, salvo per quegli offici che hànno uno speciale e più rigoroso giuramento, di aggiungere alla formola comune, anche la speciale.

FORMOLA DEL GIURAMENTO

(come sopra).

CAPO IV. — ORARIO E DISCIPLINA DI OFFICIO

1. L'orario ordinario di officio è dalle 9 ½ precise alle 12 ½ in tutti i giorni non feriati; e durante queste ore tutti gli impiegati dovranno trovarsi al loro posto, senza tardare, od allontanarsi da esso avanti tempo, salvo il privilegio di coloro, cui nel regolamento di ufficio fosse concesso di disimpegnare a casa il lavoro assegnato.

hora, singulis diebus non fériatis. Per has horas Administri omnes tenentur in officio esse, non remorari, nec ab ipso ante constitutum tempus discedere, incolumi eorum privilegio, quibus officii sui lex concesserit ut commissum opus possint exequi domi.

2. Est tamen Moderatoribus facultas concedendi singulis Administris diem unum vel duos vacationis in mense, modo talis concessio cum Officii necessitatibus componi queat. Eadem conditione quotannis aut unoquoque biennio dies aliquot, non ultra hebdomadam, singulis concedere debebunt, ut piis exercitationibus vacent.

3. Morbo aut alia causa impediti quominus Officium adeant, rem Praelato significent.

4. Exceptis maioribus Administris, itemque scriba protocolli, diribitore atque aliis, qui sui muneris gratia debent se adeuntes excipere, ceteris non licet per horas officii visitantem quemquam admittere.

5. In sua quisque munia religiose et quam optime explenda incumbet; nec fas erit cuiquam alienam occupare pro-

---

2. È però in potere dei Superiori del dicastero il concedere a ciascuno degl' impiegati uno o due giorni feriali di vacanza al mese, in quanto ciò sia compatibile con le esigenze dell'Officio. E compatibilmente pure colle esigenze dell'Officio, ogni anno o biennio i Superiori dovranno concedere ad ogni impiegato alcuni giorni, non però oltre una settimana, per ritirarsi in spirituali esercizi.

3. Nel caso di malattia o di altro impedimento ogni Officiale dovrà avvertire il suo Superiore della causa che lo trattiene dall'intervenire in officio.

4. Eccettuati gli Officiali maggiori, il protocollista, il distributore, ed altri, che per dovere del loro officio sono obbligati a ricevere chi a loro s'indirizza; per tutti gli altri rimane vietato ricevere visite e persone durante le ore di officio.

5. Ognuno deve attendere a disimpegnare coscienziosamente e nel miglior modo possibile i lavori che gli sono assegnati. E nessuno di

vinciam, aut in sui locum substituere quempiam, aut ipse alium sufficere.

6. Verum, si Praelatus id committat, quilibet Administer se promptum exhibebit ad subrogandos collegas, atque ad alia non communia pensa quae forte sint expedienda.

7. Erit curae omnibus, maxime iis qui praesunt, ne diu negotia iaceant. Danda igitur opera ut necessaria studia, ut actorum perscriptio, ut expeditio negotiorum ea sollicitudine procedant, quae naturae rerum tractandarum et normis Officii respondeant.

8. Quoties igitur designatae horae muneri explendo satis non sint, Administri reliquum operis aut domi conficient, aut morabuntur in Officio diutius, aut revertentur post meridiem prout visum fuerit Moderatori opportunius.

9. Quod si productus hic labor fere quotidianus evadat Moderatorum erit eum ex aequo remunerari.

10. Iidem Administrorum nomina, qui doctrina, diligentia, rerum agendarum peritia, vitaeque honestate praecellant, Summo Pontifici significanda curabunt.

---

propria autorità potrà immischiarsi negli altrui, o farsi sostituire in essi da altri, o sostituire altri, sia pure dello stesso dicastero.

6. Qualora però ne venga incaricato dai Superiori, ogni Officiale deve prestarsi e per sostituire i compagni e per altri lavori straordinari del proprio dicastero, cui si debba dare evasione.

7. Sarà cura di tutti, e in primo luogo dei Superiori del dicastero, che gli affari non rimangano arretrati. La registrazione, lo studio e l'evasione dei medesimi dovranno procedere con tutta quella sollecitudine che è compatibile colla natura della cosa da trattarsi e le norme del rispettivo dicastero.

8. Quante volte quindi le ore di officio non siano sufficienti per gli effetti sopra indicati, dovranno gli Officiali compiere il resto del lavoro in casa, o allungare l'orario mattutino, o ritornare in officio per qualche tempo nelle ore pomeridiane, secondo il discreto giudizio del Prelato Superiore del dicastero.

11. Administro nemini licet *agentis*, procuratoris, advocati partes assumere, neque in suo, neque in alieno Officio.

Unum eximitur procuratoris vel advocati munus in Sanctorum causis, quo munere fungi poterunt Administri minores ad SS. Rituum Congregationem non pertinentes.

12. Si quis administer negligentia culpave suo officio defuerit, erit admonendus, aut aliqua poena multandus, aut loco movendus ad tempus, aut etiam omnino dimittendus, pro admissi gravitate aut recidendi frequentia.

13. Si autem a sacerdotis aut christiani viri aut civis officiis ita declinaverit, ut in ius rapi debuerit, aut publicae existimationis iacturam fecerit, suo loco movebitur ad tempus aut omnino dimittetur.

14. Aere alieno ita gravari ut aditus fiat sequestris iudicialibus, esse causa potest quamobrem quis ad certum tempus exuatur munere, aut etiam abdicare cogatur.

15. Publica inquisitione instituta de crimine adversus aliquem administrum, qui Officio praeest, officii ipsius honori tutando, simulque non gravando reo, providebit. Ad eum

---

9. Se però questo prolungamento di occupazione si rendesse abituale, sarà cura dei Superiori del dicastero che il maggior lavoro venga compensato secondo equità.

10. Sarà poi cura dei medesimi segnalare al Sommo Pontefice coloro che per scienza, diligenza, capacità e condotta si distinguano sopra i loro compagni.

11. Niuno impiegato può esercitare l'officio di agente, procuratore od avvocato, sia nel suo dicastero sia in altri.

Si eccettua soltanto l'officio di procuratore ed avvocato nelle cause dei Santi, il quale potrà essere disimpegnato da Officiali minori che non appartengono alla Congregazione dei Riti.

12. Qualora un impiegato per negligenza o colpa venisse meno ai suoi doveri di officio, dev'essere ammonito, sottoposto ad ammenda, sospeso od anche dimesso dall'officio, secondo la gravità della mancanza o la recidività.

finem curare poterit ut accusatus ab officio recedat, et partem stipendii retinere in remunerationem suffecti in eius locum.

16. Remotio ad tempus, expulsio aut officii amissio, multae poenaeque ceterae contra administrum decernentur, nullo provocationis iure relicto, apud S. Rotam a Collegio Auditorum; in aliis vero Officiis a Cardinali Praeside, suffragante Corgressu; et in utroque casu audita parte per scriptum.

De temporaria remotione aut dimissione referendum est ad SSmum Dominum, ut has poenas ratas habeat.

Cap. V.

DE FERIIS

1. Singulis diebus festis cum praecepto Officia vacabunt.

His adduntur:

Anniversarius dies creationis et coronationis Summi Pontificis.

Item obitus Decessoris.

Stati dies Consistoriis habendis sive publicis sive semipublicis.

---

13. Che se disgraziatamente venisse meno ai suoi doveri di sacerdote o di cristiano e cittadino, così da essere coinvolto in procedimenti penali, o da decadere dalla pubblica buona fama, sarà o sospeso o dimesso.

14. Il gravarsi colpevolmente di debiti, così da dar causa a sequestri giudiziari, può offrire motivo di sospensione od anche di privazione dell'officio.

15. Aperta un'inchiesta pubblica in materia criminale a carico di un Officiale, il Superiore del dicastero prenderà gli opportuni provvedimenti, sia per tutelare l'onore del dicastero medesimo, sia per non gravare l'imputato. A tale effetto potrà disporre, che l'Officiale si allontani dall'officio, e potrà anche ritenergli la metà dell'assegno in pro di chi lo sostituisca.

16. La sospensione, espulsione o perdita dell'officio, le ammende ed altre pene contro gli Officiali, saranno decretate inappellabilmente, nella

Feria secunda et tertia Quinquagesimae, et quarta Cinerum.

Postremi dies quatuor maioris hebdomadae, et Feria secunda et tertia Paschatis.

Pervigilium Pentecostes et succedentes huic Festo dies, Feria secunda ac tertia.

Pervigilium Deiparae in caelum receptae.

Secundus dies mensis Novembris, in commemoratione Fidelium defunctorum.

Pervigilium Nativitatis Domini et consequentes tres dies.

Ultimus anni dies.

2. Feriatis diebus, Moderatores Officii curare poterunt ut aliquis ex administris Officium frequentet, expediturus negotia si quae forte occurrerint. Huic autem administro licebit vacationis dies alios petere.

3. A die decimo mensis Septembris ad trigesimum primum Octobris decurrent Feriae autumnales.

Hoc spatio temporis Officium nullum erit intermissum; sed in unoquoque tot aderunt tum maioris tum minoris ordinis administri, quot satis esse existimentur urgentioribus

---

Rota, dal Collegio degli Uditori; e negli altri dicasteri, dal Cardinale Superiore col voto del Congresso; in ambi i casi dopo sentita in iscritto la parte.

La sospensione o dimissione debbono essere riferite e ratificate dal Santo Padre.

Capo V. — Vacanze

1. Gli Offici resteranno chiusi tutti i giorni festivi di precetto.

Saranno anche giorni di vacanza:

L'anniversario della creazione e coronazione del Sommo Pontefice.

L'anniversario della morte del suo Predecessore.

I giorni di Concistoro pubblico o semipubblico.

Il Lunedì e Martedì di quinquagesima, il Mercoledì delle Ceneri.

I quattro ultimi giorni della Settimana Santa e le due feste successive alla Pasqua.

expediendis negotiis ordinariae administrationis; maiorum enim tractationes, ac de gravioribus et implicatioribus rebus deliberationes in mensem Novembrem differentur. Quod si urgens rei gravitas postulet ut cito occurratur, intra merae necessitatis fines providebitur.

4. Qui feriarum tempore in officio versari debebunt, iis conceduntur vacationis dies quinque et quadraginta, sive intermissi, sive continui pro lubitu petentium, alio anni tempore ab iisdem eligendo, habita tamen ratione necessitatum Officii, atque approbante Moderatore.

Cap. VI.

DE STIPENDIIS

1. De medio sublatis emolumentis, quae *incerta* vocari solent, administri omnes certo stipendio, eoque menstruo et ad honestam substentationem sufficienti, fruentur ex aerario Sanctae Sedis. Stipendii ratio pro variis administris proponetur in apposita tabula; incipietque vim habere pro iis qui in officia adsciscentur post praesentem ordinationem,

---

La Vigilia e le due feste successive alla Pentecoste.

La Vigilia dell'Assunzione di Maria Santissima.

Il 2 Novembre, Commemorazione dei Fedeli defunti.

La Vigilia e le tre feste successive al Natale.

L'ultimo dell'anno.

2. Nei giorni di vacanza, se siavi necessità, i Superiori del dicastero potranno disporre che alcuno degli impiegati intervenga pel disbrigo di qualche affare. Ed in tal caso potranno concedergli vacanza in qualche altro giorno successivo.

3. Dal 10 Settembre al 31 Ottobre correranno le ferie autunnali. Durante questo tempo nessun dicastero sarà chiuso; ma in ciascuno rimarrà un limitato numero di Officiali superiori ed inferiori, quanti cioè si reputino sufficienti per la spedizione degli affari urgenti di ordinaria amministrazione, mentre la trattazione e risoluzione di affari gravi o complicati sarà rimandata dopo le ferie: che se l'urgenza del caso richiedesse un pronto provvedimento, questo si limiterà alla stretta necessità.

ac pro veteribus administris qui ad officia diversi gradus et conditionis advocentur.

2. Emolumentorum, seu *incertorum*, genus unicum derivari poterit minoribus administris ex opere in extrahendis ab archivio documentis impenso, ac transcriptione documentorum et processuum, si non ex officio fiant, sed instantibus partibus quarum intersit; dummodo tamen his rebus non detur opera horis officio destinatis, et praescripta serventur *Appendicis Legis propriae S. Rotae* c. 2 de exigenda compensatione.

3. Qui in praesens cuiusvis gradus ac naturae officio funguntur, sua stipendia retinebunt tum ordinaria tum extraordinaria, quae tamen stabilitatis rationem habeant, *(incerta certa)*, et ad officium ipsum referantur; non quae speciem remunerationis praeseferant ob collocatam peculiarem operam aut extraordinarios ob titulos.

Eadem stipendia non aliunde solventur in posterum nisi ab aerario Sanctae Sedis.

4. Ut autem recti iustique servetur lex, intra mensem ab edita praesenti ordinatione, singuli qui variis Officiis prae-

---

4. Coloro che durante le ferie dovranno essere presenti in Officio, potranno prendersi 45 giorni di vacanza, o interpolati o continui, in altro tempo dell'anno a loro grado, compatibilmente però alle esigenze dell'Officio e dipendentemente dal Superiore del dicastero.

Capo VI. — Degli stipendi

1. Aboliti affatto gl'incerti, tutti gl'impiegati avranno uno stipendio fisso mensile dalla cassa della Santa Sede, il quale sarà stabilito da apposita tabella, ed andrà in vigore dopo il presente ordinamento per gli officiali che entrano nuovi, e per gli antichi che passino ad offici di grado e di attribuzione diversa.

2. Le sole riassunzioni di archivio fatte ad istanza delle parti interessate e non ordinate d'officio, e le copie di documenti e processi, richiesti dalle parti interessate e non ordinate d'officio, potranno costituire un incerto degli Officiali minori; a condizione però che tali lavori non si com-

sunt ad Cardinalem *Secretarium Status* administrorum omnium deferent nomina, adiecto suo cuiusque stipendio, ad normam superiori numero descriptam.

Iidem Praesules, intra memoratum tempus, recensebunt onera sive perpetua sive temporaria, quibus Officia sua gravantur, et impensas Officii ordinarias.

5. Gradus et stipendia ad normam n. 3 sarta tectaque manebunt administris eorum etiam Officiorum, quae ob novam Romanae Curiae ordinationem aut prorsus desierint, aut sint natura penitus immutata.

Huiusmodi autem administri a Sanctae Sedis nutu pendebunt, et, ubi eorum postuletur opera, ad eam praestandam debebunt sese promptos ac paratos exhibere.

6. Salvis iuribus a praesentibus administris acquisitis in quibusdam Officiis ad emeritum percipiendum, ceteris omnibus in posterum, qui sive aetatis ingravescentis, sive diutini morbi causa, sustinendis rite muneribus impares fiant, Apostolica Sedes, quantum poterit, ex aequo providebit, curando

---

piano in ore di officio, e sia osservato il prescritto del *cap. II* dell'*Append. leg. prop. S. Rotae* circa il compenso da esigere.

3. Gli attuali investiti di un officio di qualsiasi grado e natura, conserveranno il loro stipendio sia ordinario che straordinario, qualora questo abbia ragione di stabilità *(incerti certi)*, sia doveroso in rapporto all'officio, e non abbia natura di rimunerazione per lavori speciali o per titoli eccezionali.

E questo stipendio sarà pure quindi innanzi soddisfatto unicamente dalla cassa della Santa Sede.

4. Onde poi sia salva la giustizia, entro un mese dalla data del presente regolamento, i Superiori dei singoli dicasteri con lettera diretta al Cardinale Segretario di Stato dovranno denunciare i nomi dei singoli impiegati, con il loro onorario, secondo la norma data nel numero precedente. Dovranno anche gli stessi Superiori, entro lo stesso tempo, denunciare gli oneri perpetui e temporanei, che gravano sul loro dicastero, e le spese ordinarie d'officio.

5. Sarà salvo il grado e fermo lo stipendio secondo le norme del numero 3° anche per gl'impiegati di quegli offici che per il nuovo ordi-

ut sufficiantur ab aliis, et cavendo ne ipsis necessaria desint ad honestam sustentationem.

Cap. VII.

DE ADVOCATIS

1. Firmo illorum iure qui modo legitimi habentur advocati, in posterum, ad ineundum hoc munus, servandae erunt normae tit. III *Legis propriae S. Rotae* constitutae.

2. Exinde leges disciplinae vigebunt in memorato titulo contentae, quibus aeque omnes erunt obnoxii.

3. Qui vero cupiat advocati munus exercere apud S. Rituum Congregationem in Sanctorum causis, is legitimum sibi titulum comparet Advocati rotalis, ceterisque satisfaciat consuetudinis formis, quae ab eo Sacro Consilio praescripta sunt.

Cap. VIII.

DE MINISTRIS EXPEDITIONUM

1. Privilegium *exclusivae,* quo Apostolici Ministri expeditionum in Datariae Officio fruuntur, ubi primum habere vim coeperit Constitutio *Sapienti consilio,* cessabit.

---

namento della Curia Romana venissero a cessare o ad essere sostanzialmente trasformati.

E tali impiegati rimarranno a disposizione della Santa Sede, e qualora vengano richiesti, dovranno prestarsi al disimpegno di altri offici.

6. Salvi i diritti acquisiti dagli attuali impiegati in taluni dicasteri per la giubilazione, in avvenire per tutti quegli Officiali che a causa dell'età inoltrata o di cronica infermità si rendessero incapaci di prestare convenevole servizio, la Santa Sede provvederà nei limiti del possibile secondo equità, onde siano sostituiti nell'officio, e non manchi loro il mezzo di una onesta sostentazione.

Capo VII. — Degli avvocati

1. Fermo il diritto degli avvocati attualmente riconosciuti, nell'avvenire per l'ammissione di chicchessia all'officio di avvocato, si osserveranno le norme stabilite nel tit. III della *Lex propria S. Rotae.*

2. Est autem Sanctae Sedis propositum de ministrorum expeditionum, qui modo sunt, conditione ac statu cognoscere, ut in peculiaribus casibus ea possit inire consilia, quae magis aequa et opportuna iudicaverit.

Cap. IX.

DE PROCURATORIBUS SEU AGENTIBUS

Sectio I. — *De procuratoribus particularibus et privatis.*

1. Qui ad Sanctam Sedem recurrens sui particularis ac privati negotii causa uti opera velit procuratoris, potest ad id munus deputare quemlibet suae fiduciae virum, dummodo catholicum, integra fama, et ad Officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem. Praeterea oportet eumdem legitimo mandato munire, quod in Actis, ad ipsius Officii cautionem, servabitur; aut sin minus apud Moderatores eiusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas conditiones.

2. Si exhibitum virum Moderatores iudicaverint admitti non posse, certiorem facient mandantem, ut aliter consulat.

---

2. E per tutti quindi innanzi andranno in vigore le disposizioni disciplinari stabilite nello stesso titolo.

3. Chi poi aspira ad esercitare l'officio di avvocato innanzi alla Sacra Congregazione dei Riti nelle cause dei Santi, dovrà esser fornito del titolo regolare di avvocato rotale e sottostare poi alle altre formalità che sono prescritte da quella Sacra Congregazione.

Capo VIII. — Degli spedizionieri

1. Il privilegio di esclusiva che hanno gli Spedizionieri Apostolici della Dataria, coll'entrare in vigore delle disposizioni della Costituzione *Sapienti consilio,* viene a cessare.

2. Però la Santa Sede è disposta ad esaminare la situazione di ciascuno degli spedizionieri oggi esistenti, per prendere nei casi particolari quei provvedimenti che crederà equi ed opportuni.

Capo IX. — Degli agenti o procuratori

Sezione I. — *Degli agenti particolari e privati.*

1. Il fedele che ricorrendo alla Santa Sede per un suo particolare e privato interesse voglia servirsi dell'opera di un procuratore od agente,

Sectio II. — *De Procuratoribus publicis ac legitimis.*

3. Ad procuratoris munus legitime et constanter obeundum pro Episcopo eiusque dioecesi, oportet inscriptum habere nomen in Procuratorum albo, quod patebit in Officio a Secretis Sacrae Congregationis Consistorialis.

4. Salvis iuribus acquisitis ab exercentibus hodie munus *Agentium* seu ministrorum expeditionis, qui, ubi postulaverint, in memoratum album referentur, posthac quicumque volet inscribi debebit petitionem, cum titulis quibus illa nititur, exhibere Adsessori S. C. Consistorialis.

5. Ad iustam admissionem requiritur ut orator catholicam fidem profiteatur, sit integra fama, calleatque satis latinum sermonem et ius canonicum. Si agatur de sacri ordinis viro, oportet ab Officio Urbis Vicarii adsensum impetret Romae residendi; religiosus autem sodalis id a Praeposito generali impetrabit.

6. Iudicium de petitione, utrum ea admitti possit necne,

---

può deputare a tale officio qualsiasi persona di sua fiducia, purchè cattolica, di integra fama ed estranea al dicastero presso cui si tratta la cosa. Dovrà inoltre fornirla di regolare mandato da conservarsi in atti per garanzia del dicastero stesso, o quanto meno assicurare i Superiori in modo certo della scelta fatta.

2. Qualora i Superiori stimassero non accettabile la persona proposta, avvertiranno il mandante, affinchè provveda altrimenti.

Sezione II. — *Degli agenti pubblici e formalmente riconosciuti.*

3. Per essere agente o procuratore abituale e riconosciuto di un Vescovo e della sua diocesi, è necessario in primo luogo essere iscritto nell'albo dagli agenti, il quale quindi innanzi sarà aperto nella Segreteria della Concistoriale.

4. Salvi i diritti acquisiti da coloro che oggi esercitano l' officio di agenti o di spedizionieri, i quali a loro richiesta senz'altro saranno iscritti nel detto Albo, per l'avvenire chi vuole esservi iscritto dovrà presentare all'Assessore della Concistoriale la domanda relativa coi titoli che l'appoggiano.

edetur a Cardinali a Secretis S. C. Consistorialis, audito *Congressu;* qui, ut magis explorata sit candidati doctrina, poterit ipsum experimento subiicere, prout melius iudicaverit.

7. Nihil obstat quominus Ordinarius procuratorem eligat virum nondum in album relatum; qui tamen, ante quam exerceat mandatum, inscriptionem postulabit.

Hoc autem in casu Ordinariorum prudentiae relinquitur ante videre, num cui forte obstaculo propositus procurator esse possit obnoxius, ne sese repulsae periculo obiiciant.

8. Praeter inscriptionem in album, ut quis publicus habeatur et stabilis procurator dioecesanus, necessario requiritur iustum Ordinarii mandatum ab adlecto exhibendum, cuius mandati authenticum exemplar apud Officium a Secretis Consistorialis Congregationis deponetur.

9. Munerum a procuratore dioecesano explendorum haec summa est: curare ut epistolarum commercium inter Apostolicam Sedem et Episcopum, de omnibus dioecesis negotiis, rite et cum fide procedat; ea referre, de quibus Officio

---

5. Per l'ammissione si richiede oltre che d'essere cattolico di integra fama, avere una sufficiente cognizione della lingua latina e del diritto canonico. E se si tratta di un ecclesiastico, avere anche il beneplacito del Vicariato per risiedere in Roma: e per un religioso quello del suo Superiore Generale.

6. Il giudizio sull'ammissibilità o meno della petizione sarà dato dal Card. Segretario della Concistoriale, udito il Congresso, il quale ad assicurarsi dell'idoneità del candidato quanto alla scienza, potrà sottoporlo ad un esame in quel modo che meglio crederà.

7. Nulla osta che un Ordinario si scelga per agente della sua diocesi una persona non per anco iscritta nell'Albo. Questa però dovrà richiedere l'iscrizione prima di esercitare il mandato.

Starà alla prudenza degli Ordinari in tale ipotesi informarsi preventivamente, se la persona prescelta possa trovare ostacolo per l'approvazione, onde, non esporsi al pericolo di vedersela poi esclusa.

8. Oltrechè essere iscritto nell'Albo, per venire riconosciuto come agente diocesano abituale, altra condizione necessaria è l'esibizione di

alicui praepositi, in rebus ad ipsum pertinentibus, eum sint percontati; in cognitione versari negotiorum, quae apud varia Sanctae Sedis Officia evolvuntur spectantque dioecesim, cuius habet ipse procurationem.

10. Quae scripta data sint obsignata, inviolata transmittenda sunt; neve procurator unquam ullave de causa sibi fas esse ducat ea resignare. Qua in re cuiusvis generis culpa censebitur gravis.

11. Circa res omnes dioecesis, quarum, ratione sui muneris, notitiam acceperit, nisi agatur de re publica et notoria, procurator secreto officii tenetur. Huius legis violatio culpae gravis instar habebitur.

12. Procuratoribus interdicitur ne litteras passim dimittant ad clientum aucupium, exhibentes faciliores conditiones aut similia.

13. Nemini procuratori licet pro sua opera maiorem pecuniae summam exigere quam quae pro rescriptis, brevibus, bullis Officiorum Sanctae Sedis constituta sit atque de-

---

regolare mandato dell'Ordinario, da depositarsi in copia autentica nella Segreteria della Concistoriale.

9. Doveri in generale dell'agente diocesano sono, di curare la fedele trasmissione della corrispondenza fra la Santa Sede ed il Vescovo per tutti gli affari della diocesi; fornire quelle notizie di cui fosse richiesto dai Superiori di un qualche dicastero per le cose di sua competenza; e tenersi al corrente degli affari che si svolgono nei dicasteri della Santa Sede, relativi alla diocesi rappresentata.

10. La corrispondenza ricevuta chiusa, dev'essere trasmessa inviolata; e l'agente non si permetterà mai di aprirla sotto qualsiasi pretesto. Qualunque mancanza al riguardo sarà considerata come cosa grave.

11. Per tutte le cose della diocesi, di cui l'agente pel suo compito venga a cognizione, meno che si tratti di cosa pubblica e notoria, è tenuto al segreto d'officio. L'infrazione a questa regola sarà considerata come mancanza grave.

12. È vietato agli agenti di mandare circolari per accaparrarsi clienti, offrendo facilitazioni o simile.

scripta: quam qui fregerit legem, restitutionis obligatione tenebitur, etiam poenis aliis non irrogatis.

14. Qui christiano plane more non agat, quae conditio ad exercendum procuratoris munus est omnino necessaria, aut in memoratis officii sui partibus grave aliquid admittat, potest ad tempus removeri, aut etiam perpetuo dimitti.

15. Advocatorum Consistorialium Collegium erit *agentibus* seu procuratoribus omnibus instar Consilii disciplinae. Ex eius Collegii sententia, Cardinalis a Secretis S. C. Consistorialis (si agatur de prave acta vita sociali vel de alia publice nota culpa); aut praepositi Officio, cuius intersit, (si de culpa Officium spectante), poterunt ad admonitionem rei, aut ad eius remotionem sive temporariam sive perpetuam procedere.

16. Procurator, sive remotus ad tempus sive perpetuo dimissus ab uno officio, hoc ipso remotus censetur, aut omnino exclusus ab omnibus. Quare praepositi Officio, a quo eiusmodi sit prolata sententia, ceteris Officiis rem significandam curabunt.

---

13. Nessun agente potrà esigere per l'opera sua una maggior retribuzione di quella fissata sui rescritti, brevi o bolle dei dicasteri della Santa Sede, sotto obbligo di restituzione qualora contravvenisse a questa regola, anche nel caso che non fosse colpito da altre pene.

14. Essendo condizione indispensabile per l'esercizio dell'officio di agente avere una condotta cristiana specchiata, chi venga meno ad essa, e parimenti chi manchi gravemente ai doveri di agente sopra indicati, può essere sospeso e dimesso dall'officio.

15. Il Collegio degli *Avvocati Concistoriali* fungerà da collegio di disciplina per tutti gli agenti. E col voto del detto Collegio il Card. Segretario della Concistoriale (quando si tratti di cattiva condotta sociale, o di altra pubblica mancanza) o i Superiori del dicastero interessato (quando si tratti di mancanza nel trattamento degli affari del medesimo) potranno procedere all'ammonizione, alla sospensione ed anche alla perpetua interdizione dell'officio di agente.

16. L'agente sospeso e dimesso in un dicastero, lo è anche negli altri. Avvenendo quindi tale disposizione, i Superiori del dicastero che

Cap. X.

DE RATIONE ADEUNDI SANCTAE SEDIS OFFICIA CUM IISQUE AGENDI GENERATIM

Sectio I. — *Pro privatis.*

1. Christi fideli cuique patet aditus ad Sanctae Sedis Officia, servata rite forma quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis.

2. Advocati operâ uti volenti, in quaestionibus quae illum admittant, fas non erit patronum proponere quemlibet; sed optio ei dabitur inter approbatos, de quibus cap. VII.

3. Si vero Procuratoris desideret operam, eius eligendi arbitrium ipsi relinquitur, servatis tamen normis cap. IX sect. I constitutis.

Sectio II. — *Pro Ordinariis.*

4. Ordinarius unusquisque potest ipse per se in variis Apostolicae Sedis Officiis negotia libere tractare, non solum

---

hanno emesso il relativo decreto dovranno darne, nei debiti modi, partecipazione a tutti gli altri dicasteri.

Capo X. — Del modo di ricorrere e trattare coi dicasteri della Santa Sede in generale

Sezione I. — *Pei privati.*

1. Ogni fedele può ricorrere liberamente e trattare da per sè, osservati i debiti modi, quanto l'interessa presso i dicasteri della Santa Sede.

2. Volendo valersi dell'opera di un avvocato, per le questioni che l'ammettono, non potrà proporne uno a suo arbitrio, ma dovrà sceglierne uno tra quelli approvati, come al Capo VII.

3. Che se voglia servirsi dell' opera di un procuratore od agente, potrà sceglierne uno a suo arbitrio, osservate però le norme stabilite nel Capo IX, Sez. 1.

Sezione 2. — *Per gli Ordinari.*

4. Ogni Ordinario può trattare liberamente da per sè nei vari dicasteri della Santa Sede non solo le cose che lo riguardano personalmente,

quae se ipsum spectent, sed etiam quae dioecesim ac sibi subditos fideles ad ipsum confugientes.

5. Quoties Ordinarius velit ipse per se de negotio aliquo agere, sive praesens in Curia, sive per litteras a sua sede mittendas, Officium praemonebit quocum ei erit agendum. Tunc vero in Positione adnotabitur: *Personalis pro Ordinario;* resque nullis interpositis procuratoribus agetur.

6. Ordinarius, qui petit directo agere cum Officio aliquo, sibi assumit solvendas impensas, non modo pro acceptis redditisque litteris et scriptis, aut pro aliis rebus necessariis, sed etiam pro taxationibus praescriptis in singulis actis.

7. Si advocato fuerit opus, etiam Ordinariis cohibetur optio, ita ut nequeant ipsum deligere nisi ex approbatis.

8. Si procuratore uti velint, normis inhaerebunt cap. IX sect. II declaratis.

9. Mandatum, quo ab Ordinario procurator eligitur, potest usque rescindi ad formam iuris communis; in eamque

---

ma sì anche quelle della sua diocesi, e di quei suoi diocesani che a lui si rimettono.

5. Quante volte un Ordinario voglia da per sè trattare un affare, sia personalmente, trovandosi in Curia, sia con diretta corrispondenza postale, trovandosi in residenza, dovrà avvertirne il dicastero interessato. E in tal caso sulla ponenza relativa sarà segnato: « personale per l'Ordinario ». E la cosa sarà trattata senza interposizione di procuratori ed agenti.

6. L'Ordinario che chiede la trattazione diretta, assume l'obbligo di rimborsare al dicastero non solo le spese postali ed altre che fossero necessarie, ma anche le tasse prescritte pei singoli atti.

7. Richiedendosi l'opera di un avvocato, anche gli Ordinari dovranno circoscrivere la loro scelta fra uno degli approvati.

8. Volendosi poi avvalere dell'opera di un agente, dovranno attenersi alle norme fissate nel Capo IX, Sez. 2.

9. Il mandato con cui si fa da un Ordinario la scelta di un agente è sempre revocabile a forma del diritto comune: e, come cosa di fiducia, la revoca del medesimo non è sindacabile, nè ammette ricorso.

rescissionem, utpote rem ad fiduciam pertinentem, nulla datur inquirendi aut expostulandi facultas.

10. Vicario Capitulari non licet, electum ab Episcopo procuratorem cum alio mutare; at poterit cum Sanctae Sedis Officiis directo agere, ad normam art. 4, 5, 6 huius Sectionis.

Cap. XI.

DE TAXATIONIBUS ET PROCURATIONIBUS

1. In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur, non modo taxatio Sanctae Sedi solvenda et remuneratio Agenti debita, sed etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro exsequutione rescriptorum, si haec necessaria sit; quae quidem summa pontificia taxatione erit inferior.

2. Taxatio pauperibus, sive cives privati sint, sive Instituti piaeve causae, si petita gratia moraliter necessaria sit,

---

10. Il Vicario capitolare non potrà mutare l'agente scelto dal Vescovo; potrà però trattare direttamente coi dicasteri della Santa Sede a norma degli art. 4, 5, 6, di questa Sezione.

Capo XI. — Tasse ed agenzie

1. In ogni rescritto, indulto o dispensa sarà dal rispettivo dicastero indicata non solo la tassa per la Santa Sede e l'*agenzia,* cioè l'onorario per l'agente, ma anche il quantitativo della somma che per l'esecuzione (qualora questa sia necessaria) potrà legittimamente percepirsi dalla rispettiva Curia diocesana, e che sarà inferiore alla tassa della Santa Sede.

2. Per i poveri, siano persone private, siano Istituti o pie cause, se la grazia è moralmente necessaria e non lucrativa, cioè non arrechi lucro temporale all'oratore, la tassa sarà ridotta a metà ed anche del tutto condonata, se ne sia il caso, salve le spese postali ed altre necessarie, come per trascrizione ecc.

E in tal caso anche l'agenzia, sarà ridotta a metà, o del tutto condonata, salve parimenti le spese postali.

non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quaestum facere, ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris tamen oratori manentibus impensis pro tabellariis, pro exscriptione, aliisque id genus necessariis.

His in casibus, etiam Agentis procuratio ad partem dimidiam redigetur aut omnino condonabitur, salvis impensis pro tabellariis.

3. Ordinarii, secreto percontati parochos, quae vera sit oratorum conditio, significabunt in singulis casibus, agaturne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competat ne ipsis ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata utriusque partis conscientia super expositorum veritate; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio sarciendi quidquid iniuria sublatum sit.

Si qui autem iniqua voluntate renuant satisfacere taxationem ad aliquam consequendam dispensationem praescriptam, cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad offen-

---

3. Gli Ordinari, presa secreta informazione dai parrochi dei rispettivi oratori, dovranno nei casi particolari specificare, se trattasi di povero, o quasi povero, e quindi se possa aver esso diritto al condono o totale o parziale della tassa, rimanendo gravata la coscienza degli uni e degli altri sulla verità dell'esposto, e fermo l'obbligo di rifondere l'indebitamente sottratto.

Che se per cattiva volontà, taluni si rifiutassero al pagamento delle tasse prescritte per l'esecuzione di qualche dispensa; e d'altronde la concessione della medesima fosse moralmente necessaria per evitare scandali e peccati, gli Ordinari indicheranno ciò nella loro informazione. E, concessa la grazia, nel comunicarla agl'interessati faranno ad essi conoscere (qualora la prudenza lo consenta) che essi hanno un dovere di giustizia da compiere verso la Santa Sede.

In ogni caso la validità della grazia non verrà mai meno per errore o frode circa lo stato economico del petente.

4. In ogni dicastero, firmati che siano i rescritti, uno degl'impiegati a ciò destinato segnerà su di essi con apposito bollo la tassa per la Santa

dicula et peccata vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Iidem, impetratae gratiae notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri prudenterque licebit ab ipsis) ex iustitia, aliquid Sanctae Sedi deberi.

Utcumque tamen gratiae validitati nihil umquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis conditionem.

4. In omnibus Officiis, subsignatis rescriptis, destinatus administer, peculiari super ipsis impresso sigillo, taxationem notabit Sanctae Sedi debitam, impensas procurationis et pecuniae summam pro exequutione: quae omnia in menstruo libello recensebit, ad rationum computationem suique cautionem adservando.

In variis taxationibus designandis administer prae oculis habebit superius expositas normas, *Positionem*, seu fasciculum actorum expendens; in dubiis vero rem ad Officii moderatores deferet.

5. Singula Officia alterum habebunt a priore distinctum

Sede, l'agenzia e la tassa per l'esecuzione; e ne terrà nota in un foglio mensile da conservarsi per controllo e garanzia.

Nel fissare le varie tasse l'Officiale terrà calcolo dei criteri sopra enunciati, esaminando la relativa posizione, e nei casi dubbi riferendosi ai Superiori del proprio dicastero.

5. In ogni dicastero parimenti vi sarà un impiegato distinto dal primo per la distribuzione delle lettere e rescritti e la riscossione delle tasse segnate in pro della Santa Sede.

6. Quando si tratti di cose che debbono rimanere segrete il rescritto si consegnerà in busta chiusa; e la tassa sarà segnata in foglio separato che riporti il numero del rescritto chiuso; sarà ripetuta internamente nel rescritto per norma di chi lo riceve.

7. In fine di ogni mese il Prelato superiore del dicastero controllerà il foglio (di cui nel n. 4) e gl' incassi: e passerà l' uno e gli altri alla cassa della Santa Sede col suo visto.

administrum diribendis litteris, rescriptis, et exigendae pecuniae taxationum ad Sanctam Sedem pertinentium.

6. In rebus secreto tegendis rescripta obserata tradentur: taxatio vero in alio notabitur folio eumdem numerum referente qui in obserato rescripto. Eadem taxationis notatio in interiore rescripti pagina iterabitur, ad securitatem recipientis.

7. Extremo quoque mense, Praelatus Officii moderator libellum inspiciet, de quo num. 4, acceptique rationem expendet; deinde utrumque ad Sanctae Sedis arcam nummariam deferet, suae auctoritatis testimonio munitum.

DISPOSITIONES TEMPORARIAE

8. Officiorum administrationem totam illico retexere quum minime detur, Sancta Sedes sibi reservat peculiares normas constituere servandas in posterum.

9. Interim nulla fiet immutatio taxationum quae legitime in usu sunt pro expeditione *Bullarum* et *Brevium* Apostolicorum.

10. Pariter in usu esse non desinunt eae taxationes, quae in causis Beatificationis aut Canonizationis descriptae

---

Disposizioni transitorie

8. Non essendo possibile rimaneggiare d'un tratto tutta l'amministrazione dei vari dicasteri, si riserva la Santa Sede di prendere gli opportuni provvedimenti in dettaglio in un prossimo avvenire.

9. Frattanto rimangono invariate le tasse legittimamente in uso per la spedizione delle Bolle e dei Brevi Apostolici.

10. Rimangono egualmente in vigore per ora le tasse che per le cause di Beatificazione e Canonizzazione si trovano nel *Regolamento di tasse e spese per le cause dei Servi di Dio* nella Sacra Congr. dei Riti.

11. Per le cause dinanzi alla Sacra Rota ed alla Segnatura Apostolica la disciplina quanto ad onorari, tasse e spese viene retta dal proprio regolamento.

habentur in lege SS. Rituum Congregationis: *de taxis et impensis pro causis Servorum Dei.*

11. Sua etiam disciplina est moderandarum taxationum, mercedium, impensarum apud S. Rotam et Signaturam Apostolicam in causis quae ad ea tribunalia deferantur.

12. Pro dispensationibus matrimonii vigere quoque pergent in praesens taxationes pendi solitae penes *Datariam* Apostolicam et *S. Poenitentiariam.* In causis vero matrimonialibus dispensationis *super rato,* et in aliis quae a S. Congregatione *de Sacramentis* iudicantur, standum normis a Sacra Congregatione Concilii huc usque servatis.

13. Pro ceteris gratiarum, indultorum, dispensationum rescriptis, in Officiis omnibus, taxatio Sanctae Sedi solvenda erit libellarum decem, si de maioribus rescriptis agatur; si de minoribus, quinque.

Remuneratio *Agenti* debita erit libellarum sex pro rescriptis maioribus; pro minoribus, trium.

Si rescriptum unum plures gratias contineat, augebitur pro portione taxatio; non ita tamen Agentis procuratio.

14. In omnibus autem et singulis casibus superius, n. 9, 10, 11, 12 et 13, recensitis, incolumes semper sint disposi-

---

12. Per le dispense dagl' impedimenti matrimoniali rimarranno pure per ora in vigore le tasse in uso presso la Dataria Apostolica e la Sacra Penitenzieria. E per le cause matrimoniali di dispense *super rato* ed altre che vengono giudicate dalla Sacra Congregazione *de Sacramentis,* si osserveranno le norme che erano in uso presso la Sacra Congregazione del Concilio.

13. Per tutti gli altri rescritti di grazie, indulti e dispense di tutti i dicasteri la tassa per la S. Sede sarà di L. 10 pei rescritti maggiori, di L. 5 pei minori.

L'*agenzia* sarà di L. 6 per i rescritti maggiori, di L. 3 per i minori.

Se un rescritto contiene più grazie, la tassa crescerà in proporzione; ma non così l'agenzia.

14. Per tutti però i casi superiormente annunziati nei numeri 9, 10, 11, 12 e 13 s'intende che debba essere sempre salvo il disposto del

tiones capitis VI praecedentis, *de stipendiis,* et dispositiones num. 4, 5, 6 et 7 huius capitis, de solutione pecuniae singulis mensibus arcae nummariae S. Sedis facienda.

15. Usus S. Congregationis de Propaganda Fide exemptionis e qualibet taxatione in suae iurisdictionis locis incolumis servetur.

Datum Romae, die 29 Iunii 1908.

De mandato speciali SSmi D. N. Pii Papae X

R. Card. MERRY DEL VAL

---

capo VI precedente circa gli *stipendi,* ed il disposto dei num. 4, 5, 6 e 7 del presente capo relativamente al versamento da farsi ogni mese alla cassa della S. Sede.

15. Rimane inalterato l'uso della S. Congregazione di Propaganda di esenzione da ogni tassa pei luoghi di sua giurisdizione.

Dato in Roma, il 29 Giugno 1908.

Per mandato speciale di S. S. Pio Papa X

R. Card. MERRY DEL VAL



ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pius PP. X bene ominatur de saecularibus solemniis religiosis et civilibus a natione Canadensi celebrandis.

VENERABILIBUS FRATRIBUS LUDOVICO NAZARIO
ARCHIEPISCOPO QUEBECENSI
CETERISQUE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
FOEDERATARUM CIVITATUM CANADENSIUM.

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Immortalia promerita aut praeclare facta maiorum certis destinatisque intervallis celebrari publice, aequum est valde atque opportunum: suadet id enim pietas quaedam et officium grati memorisque animi; et praeterea magnarum recordatio virtutum non parum habet admonitionis et hortamenti ad communem salutem. Id ipsum apud vos factum iri intelligimus in proximum mensem Iunium, exeunte saeculo simul tertio post urbem Quebecum conditam, et altero postquam Franciscus de Montmorency Laval excessit e vivis.

Profecto si magnitudo viri spectetur, si urbis auctoritas, apparet satis esse causae, cur nobilis Canadensium natio duplicis rei memoriam singularibus solemnibus honestare velit: quin imo non est mirum, etiam ultra vestros fines tantam commotam esse conspirationem animorum ad haec apparanda solemnia, ut iam nunc liceat prospicere celeberrima ea fore ac splendidissima. Iamvero in isto quasi concentu gratulantium filiorum, vocem desiderari Nostram non patitur peculiaris illa caritas et necessitudo, qua vobiscum coniuncti sumus. Is enim rerum vestrarum est cursus ut, quum in omni genere civilis cultus cum politissima quaque gente contenditis, tum, quod ad custodiam avitae religionis attinet, nulli concedere videamini. Nempe florere istic ac vigere scimus

divino munere christiana instituta; neque solum in moribus privatorum spirare professionem catholici nominis, sed etiam in actione communis vitae, uti par est, atque in ipsa disciplina ac temperatione civitatis.

Accedit, quod Ecclesiam istic tanta frui libertatis copia cernimus, quanta fortasse nusquam alibi: in quo praeter virtutem et constantiam catholicorum civium, aequitatem etiam regiminis Britannici libenter agnoscimus. Praecipuum autem quemdam gaudii fructum capimus ex pietate erga Nos vestra. Nam si exploratissimam vos habetis Romani Pontificis in vos benevolentiam, non minus compertum Nobis est plenum amoris et obsequii studium, quo Vicarium Iesu Christi vos colitis: quod quidem luculenter apparuit recenti memoria, quum, tentato perduellium armis principatu civili, frequens ante alios Pontifici Canadensis pubes adfuit, parata certaque pro iuribus Apostolicae Sedis vitam profundere.

At enim, quum Canadensem populum ita laudamus ob merita, hae laudes magnam partem ad vos, Venerabiles Fratres, clerumque vestrum pertinent, atque etiam ad eos omnes de numero laicorum, qui vobis in religiosa tuenda promovendaque re operam navant: vestra quippe potissimum vigilantia et cura, horum autem sedulitate industriaque fit, ut ista Ecclesia et parta retineat decora et in meliora nitatur. Quare intelligitis, quam libenti Nos animo in partem veniamus communis laetitiae vestrae: quod praeterea multo libentius facimus ob eam causam, quia ex occasione horum solemnium proclive erit recordari, quantum gens Canadensis a suis primordiis ad hodiernum diem catholicae religioni Ecclesiaeque debeat. Iam in ultima originum vestrarum memoria eminet atque extat Samuel de Champlain, natione Gallus, vir ingenio generosaque virtute egregius, maxime autem studio christianae sapientiae: qui a Rege Galliarum istuc deducendae coloniae causa missus, nihil antiquius habuit, quam ut catholicum nomen per istas regiones propagaret; recte enim cen-

suit non se suo regi servire melius posse, quam si Iesu Christi gloriae serviret. Itaque primum omnium, fundato dedicatoque templo, initia consecrat Quebecensis urbis, quae centrum quoddam futura esset, unde in immensas septentrionalis Americae plagas beneficia christianae humanitatis influerent. Mox uberrimae spe segetis proposita, suffragante nimirum Apostolica Sede, alias ex aliis elicit ex Gallia virorum apostolicorum manus; quae nimium quantum elaborarunt, ut multitudinem indigenam ex agresti immanique vita erudirent ad Evangelium et mitigarent. Cognitum ex eo numero sodales e Societate Iesu praecipue nobilitatos esse, quorum complures acerbissimam in sancto fungendo munere mortem obierunt. Ille autem, quum ita incolarum saluti consulit, tum prudentissime curat, ne quid succrescentibus bene rebus licentia noceat advenarum. Ergo non omnibus promiscue permissum transmigrare in Americam, sed iis tantum, quos constiterit congruenter christiano nomini vivere; si qui male morati in coloniam irrepserint, cautum ut deprehensi, sine cunctatione domum remittantur. Optimum sane institutum; quod quum etiam qui eum consequuti sunt Gallici administratores coloniae, tenuerint, multum valuisse arbitramur ad hanc conservandam in Canadensibus christianae et professionis et vitae integritatem. Coeptis tam felicibus mirifice perficiendis amplificandis ille divinitus datus est primus Quebecensium Episcopus: qui diuturnum pontificatus sui spatium tot tantisque benefactis illustravit, ut quibus laudibus Canadensis vel Ecclesia vel civitas hodieque ornatur, earum fere omnium procreator et quasi parens ipse exstiterit. Is igitur mandatam sibi a Romano Pontifice provinciam magno animo aggressus, quaecumque in commune bonum feliciter instituta reperit, provehere in maius; quidquid autem novi opportunum fore videt, studiosissime effectum dare ista sacris expeditionibus multo auctis, per omnem superiorem Americam usque ad Mexicanum sinum quantum scilicet patebat *Nova Gallia*, prae-

cones Evangelii dimittit: his, adiutrices optimas ad omne officium munusque christianae caritatis, addit sanctimoniales feminas; prohibet diligenter a colonis corruptelarum illecebras, diligentius etiam pericula fidei; et quo tempore nimis multi Gallicanis erroribus capti ab obsequio Sedis Apostolicae deficiebant, ipse ad Romanos ritus perfunctionem sacrorum exigit, clerum maxime suo Romani Pontificatus amore observantiaque imbuit, omni denique solertia fovet et in perpetuum firmat eam Canadensium intimam cum Romano Pontifice coniunctionem qua Nos tantopere delectari diximus. Magna sunt haec in rem vestram communem merita: illud arbitramur esse maximum quod ipse Seminarium Quebecense condidit sapientissime constituit. Coepit enim inde Canadensis ecclesia sacerdotibus affluere, qui, virtute doctrinaque probe instructi, deditissimi Romano Pontifici et suo quisque Antistiti, colligati inter se caritate fraterna, divinum munus sanctissime administrarent. Ex eadem disciplina nullo non tempore exstitere optimi et civilium rerum peritissimi viri; quorum opere, adnitentibus Episcopis, ea est Canadensi nationi iurium et libertatum quaesita possessio, quam hodie obtinet. Manet autem nobile illud pastoralis providentiae monumentum, integramque conservat impressam ab auctore suo formam nativosque spiritus: caput idem et exemplar omnium fere, quae istic sunt Instituta sacrae praesertim excolendae iuventuti. Nec vero debet hoc praetermitti, quod imo est in praecipua commendatione ponendum Seminarii Quebecensis, ex ipso magnum Lycaeum Lavallianum, domicilium doctrinarum et propugnaculum catholicae veritatis insigne, auspice Apostolica Sede et Episcoporum Canadensium ordine, effloruisse.

Postremo ad istam conciliandam concordiam, quae potestati ecclesiasticae cum politica auspicato intercedit, Franciscum de Laval exstitisse principem, nullus ignorat: quod quidem etiam causae est, cur in habendis eidem honoribus mi-

rifice qui praesunt civitati vobiscum consentiant. Tantarum commemoratione rerum, quam proximarum feriarum celebritas afferet, sane quotquot istic sunt christifideles, omnes excitari decet ad agendas primum Deo publice gratias, cuius beneficio res est Canadensis in hanc amplitudinem provecta, tum ad colendam maiori pietatis affectu Ecclesiam, quae per filios clarissimos divinae eis benignitatis se ministram praebuit. Communibus hisce studiis vestra praeibit auctoritas, Venerabiles Fratres: quos quidem consentaneum est, quum dignitatis et gloriae haereditatem ceperitis a sanctissimo Episcopo, vel acrius quotidie in exempla eius intueri. Nos, ut saecularia solemnia universae nationi vestrae per quam salutaria eveniant, iam nunc caelestium munerum vobis ubertatem praecamur: quorum pignus, itemque testimonium paternae benevolentiae Nostrae, Apostolica sit benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque vestro peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X

EPISTOLA

Pii X ob saecularia solemnia archidioecesis Neo-Eboracensis.

VENERABILI FRATRI
IOANNI M. FARLEY ARCHIEPISCOPO NEO-EBORACENSIUM
NEO-EBORACUM

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Si vota semper, faustiore quavis ecclesiarum redeunte memoria, placet concipere, multo ea libentius pro fecundiore

Neo-Eboracensis archidioecesis bono adhibemus, quae illud constanti progressione fructuum comprobavit, oblata pro eius incrementis omina abunde compleri. Esse ideo perspicimus quare per occasionem solemnium saecularium eiusdem ecclesiae, nova ex animo omina nuncupemus ut maiora Deus munera uberioremque ad illustriora assequenda commoda opem velit illi largiri. At etiam, honoris nomine, gratulationes iucundum est addere, quum tibi tum gregi. Multa namque patrastis in Ecclesiae civilisque humanitatis emolumentum, Nobisque est spes stimulos vobis verba haec Nostra iniectura ut quam antea probastis alacritatem, in posterum etiam adhibeatis, laudem Americae exemplumque orbi praebituri. Auspicem gratiae caelestis, Nostraeque voluntatis testem Apostolicam benedictionem tibi ac fidelibus tuis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IX Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X



EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SIGNINA

IUBILATIONIS

Conceditur indultum iubilationis post quadragenarium servitium chorale in duabus ecclesiis successive expletum.

Supplex libellus. Sac. Antonius Gizzi, fere septuagenarius, exponit se per 38 annos, nempe a die 1 Ian. 1865 usque ad diem 25 Oct. 1903, in Collegiata ecclesia S. Crucis loci *Artena* Signinae dioecesis canonicum et parochum continue et laudabiliter servitium chori praestitisse, ab eademque ecclesia deinde in Cathedralem translatum, ibidem pariter per quatuor annos uti canonicum chorale pensum diligenter persolvisse. Cum itaque quadragenarium expleverit chori servitium cumque infirmitate laboret, iubilationis indultum ut sibi concedatur exorat.

Haec petitio de more ab hac S. C. remissa fuit ad Episcopum Signinum pro informatione et voto, ut audito Capitulo inspectisque fallentiarum libris referret de continuò et laudabili chori servitio per 40 annos ab oratore praestito in memoratis ecclesiis. Episcopus vero in literis responsivis diei 29 Ian. currentis anni adhaeret voto Capituli pro denegatione gratiae sequentes ob rationes, nempe: 1°. quia servitium chorale a can. Gizzi praestitum fuit in diversis ecclesiis contra resolutionem S. C. C. in causa *Dubia-Iubilationum* diei 17 Dec. 1718; 2°. quia ex concessione petiti indulti choro damnum immineret; nam ex 16 canonicis et beneficiatis, quibus constat Capitulum, tres absunt a choro ratione infirmitatis, unus canonicus iam gaudet gratia iubilationis, alter servitium militare explet, tres vero docent in Seminario; 3°. quia in Collegiata servitium chori erat reductum, nempe tantum

festivum; 4°. demum quia adducta ratio infirmitatis nondum impedit chori servitium in oratore.

Verum in meritum factae petitionis adnotatur quod quamvis nullus adsit expressus textus in iure canonico quo dicta iubilatio concedatur, tamen sensim sine sensu haec concessio induci coepit ex quadam aequitate et benignitate Ecclesiae. Huius indulti originem perbelle describit Benedictus XIV in suo opere *de syn. dioec., lib. 13, cap. 9, n. 15.*

Iamvero, nonobstantibus momentis ab Episcopo et a Capitulo in contrarium adductis, preces oratoris videntur posse exaudiri. Siquidem quoad primam rationem in causa *Dubia-Iubilationum* diei 17 Dec. 1718 ad II dubium: « An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, sed partim in una ecclesia partim in alia, aut tamquam canonici in ambabus aut tamquam beneficiati in una et canonici in alia: nec non illis qui in una eademque ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tamquam clerici beneficiati partim tamquam beneficiati, et aliquando partim tamqam beneficiati, partim tamquam canonici, vel partim tamquam coadiutores et partim tamquam principales et titulares »; ab hac S. C. responsum fuit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Verum hic rigor in posterum emollitus fuit, et praxis inolevit ut indultum iubilationis concederetur etiam illis, qui quadragenarium chorale servitium persolverunt in diversis ecclesiis sive eiusdem civitatis sive eiusdem dioecesis (1). De hac re consuli possunt resolutiones editae in *Perusina* 8 April. 1784, *Recanaten.* 23 Nov. 1805, *Verulana* 17 Sept. 1842 aliaeque, nec non ephemerides *Acta S. Sedis, vol. 6, pag. 430,* et fert etiam praxis quotidiana huius S. C.; quin imo aliquando coniungitur ad effectum iubilationis servitium chorale quadragenarium praestitum in diversis dioecesibus, sed id ex gravibus et extraordinariis causis.

(1) Huiusmodi enim indulta directe conceduntur in favorem personarum, et nonnisi indirecte in utilitatem ecclesiarum *(N. R.).*

Quoad secundam adductam causam, nempe de parvo numero canonicorum qui remanent ad chori servitium, et hinc de consequenti detrimento choralis servitii ex concessione indulti iubilationis, notatur quod haec quaestio pertractata fuit in supra citata causa *Dubia-Iubilationum* sub tertio dubio: « An indulgenda sit iubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum 40, non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti servitio ecclesiae: et quis sit parvus numerus inservientium in casu et ad effectum de quo agitur »: sed S. C. hanc quaestionem dirimere noluit, cum eius solutio pendeat a diversis statibus ecclesiarum et hinc tantum respondit: « Dabitur resolutio in casibus particularibus ». Attamen non desunt exempla concessae iubilationis, non obstante residuo parvo numero canonicorum habilium ad chori servitium: in hoc casu in indulto iubilationis addi solet clausula: « Salvo iure Episcopi revocandi ad servitium in casibus urgentis necessitatis ». Super hac re consuli possunt resolutiones editae in *Praenestina* 27 Maii 1784 et praesertim in *Civitatis Castellanae* 15 Iulii 1820, quae referuntur etiam ab ephemeride *Acta S. Sedis, loc. cit.* In praesenti autem casu, concesso oratori petito indulto, ex 12 canonicis in Cathedrali Signina existentibus iuxta Episcopi informationem, tantum remanerent 7 qui ad chorale pensum praestandum sunt habiles inclusis tribus docentibus in Seminario. In *Ripana-Iubilationis* 29 Nov. 1710, relata in citata *Civitatis Castellanae,* iubilatio concessa fuit canonico Concetti, licet tantum tres remanerent canonici qui choro possent interesse.

Neque tertio valet argumentum de servitio tantum festivo seu reducto praestito a canonico oratore in Collegiata ecclesia: hoc enim servitium ita reductum legitima auctoritate, ut in pluribus praesertim nunc Italiae Collegiatis videre est, impedire nequit iubilationis indultum, et tales absentiae utpote iure permissae subduci non solent; id ex pluribus constat huius S. C. resolutionibus uti in *Montisfalisci* 6 Dec. 1794,

in *Praenestina* 17 Dec. 1808, in *Narnien.* 27 Iunii 1857 et aliis sexcentis. Confer etiam ephemeridem *Acta S. Sedis, loc. cit.;* De Herdt, *Praxis Capit., cap. II, § 3.*

Tandem quarto neque suffragatur alia in contrarium adducta ratio, scilicet quod infirmitas qua laborat canonicus orator non eum impedire valeat ad servitium chorale frequentandum. Nam iubilationis indultum non conceditur ratione infirmitatis aut inhabilitatis ad interveniendum choro sed ex causa quadragenarii assidui et laudabilis praestiti choralis servitii tamquam munus et remuneratio ob emerita stipendia.

Tandem opponi posset, quod in casu non fuit habitus consensus et votum Capituli Collegiatae loci *Artena,* cui orator inservivit per an. 38 uti canonicus. Sed hoc fortasse omissum fuit, quia cum agatur de Capitulo suppresso, illud iam in actu amplius non extat. Aliunde de diligenti servitio chorali expleto in ea Collegiata nedum fidem facit cancellarius Curiae episcopalis, sed etiam firmatur a testimonio Vicarii foranei dicti oppidi.

Responsum. Sacra Congr. Concilii, omnibus perpensis, die 27 Iunii 1908 respondere rata est:

Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis (1).

---

(1) Huiusmodi clausulae seu cautelae fere omnes continentur in hodierna formula rescripti, quae aliquantisper differt ab antiqua relata in *Acta S. Sedis,* vol. 6, pag. 422, quaeque ita sonat: « Cum N. N. retulerit se chorali servitio quadraginta annos vacavisse, et idcirco iubilationis indultum expetierit, Sacra Congregatio, attenta *(Ordinarii)* attestatione, arbitrio et conscientiae eiusdem *(Ordinarii)* committit, ut dummodo orator coadiutorem non habeat, et, examinatis punctaturarum libris, de continuo ac laudabili quadraginta annorum servitio legitime constet, gratiam eidem indulgeat iuxta petita; ita ut in posterum fructus omnes et distributiones sui beneficii, quamvis choro non intersit, percipere possit, perinde ac si praesens adesset, exceptis tantummodo distributionibus extraordinariis, quarum assecutioni capitularia statuta, aut consuetudo legitime praescripta, aut fundatorum vel dantium voluntas obstiterint ». Iamvero in casu ex Episcopi ac Capituli attestatione iam constat de continuo ac laudabili quadragenario servitio chori a canonico Gizzi praestito. Altera clausula est quod *orator coadiutorem non habeat;* secus enim indultum iubilationis minime conceditur, uti decisum

VICEN.

PRAEBENDAE THEOLOGALIS

Decernitur canonicum theologum in casu haberi praesentem in choro pro horis tantum quibus docet in Seminario.

Postulata. Episcopus Vicensis exponit quod cum actualis canonicus theologus ecclesiae Cathedralis, praevio concursu (1), theologalem praebendam obtinuit, in edicto convocationis ab Episcopo, de Capituli consensu, dictae praebendae adnexum fuit onus legendi sacram theologiam et exegesim biblicam in Seminario, loco 40 conciones infra annum ha-

etiam fuit in una *Calaguritana–Iubilationis* diei 2 Maii 1733, ubi proposito dubio: « An Iosepho de Abiranda ad obtinendam iubilationem obstet quod iam habet coadiutorem cum futura successione », haec S. C. Concilii respondit: *Affirmative.* Item si canonicus iubilatus coadiutorem postea sibi dari impetret, obtentum iubilationis indultum non amplius eidem suffragatur, sed punctaturis obnoxius fit, quotiescumque nec ipse nec eius coadiutor inservit, ut dudum firmavit Rota *dec. 790, n. 14* coram Penia, et saepius respondit haec S. Congregatio uti in *Oveten.* 16 Ian. 1740, *Praeterea.* Tertia clausula est quod iubilatus fictione iuris ita praesens in choro censetur ut percipere valeat nedum fructus sui beneficii et distributiones ordinarias seu quotidianas sed etiam distributiones *inter praesentes* vocatas seu extraordinarias sive fixas sive etiam adventitias, nisi absolute requiratur personalis praesentia in choro. Et in hoc quoque differt canonicus iubilatus a canonico infirmo, qui indultum abessendi a choro obtinuerit, quod nempe hic nullas distributiones extraordinarias lucratur. Quarta demum clausula, quamvis in relata rescripti formula desideretur, tamen eruitur ex praxi huius S. C., quae, praesertim quum parvus in choro reliquus sit choralium numerus, in rescripto iubilationis addere solet clausulam: *Cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenus divinus cultus detrimentum patiatur.* Quae quidem clausula, licet non exprimatur, semper subintelligitur, quia in potestate Episcopi est curare ne servitium divinum grave detrimentum patiatur *(N. R.)*.

(1) Electio canonici theologi de iure communi non fit per concursum, cum haec forma nulla generali lege praescribatur. Secus vero dicendum est quoad Italiam et insulas adiacentes ex Constitutione Benedicti XIII *Pastoralis officii* an. 1725; nec non quoad Hispaniam ex Concordato diei 16 Martii 1851, ubi art. 18 praescribitur quod « canonicatuum *de officio* provisio ad Praelatos et Capitula, praevio concursu, pertinebit »; inter quatuor vero canonicos sic dictos *de officio* recensetur theologus seu lectoralis *(N. R.)*.

bendi de sacra Scriptura in Cathedrali, uti in statutis capitularibus an. 1878 erat dispositum. Id ex eo inductum est, quod cum penultimus canonicus theologus antecessor, licet esset vir ingenio et sanctitate conspicuus, tamen paucissimi ad eius conciones audiendas in Cathedrali accedebant. Quapropter Episcopus, existimans utilius fore tum Ecclesiae Dei tum institutioni ecclesiasticae atque conformius fini praebendae theologalis, consentiente Capitulo, rem aliquantulum immutavit, et decrevit ut in posterum in provisione praebendae canonico theologo imponeretur onus docendi potius in Seminario theologiam quam in ecclesia Cathedrali habendi lectiones scripturales, quo facilius haberetur optimus sacrae theologiae professor pro candidatis ad statum sacerdotalem.

Revera actualis canonicus theologus, iuxta edictum convocationis concursus, singulis hebdomadae diebus lectionem theologiae dogmaticae habet in Seminario, uno excepto die, quo debet tradere lectionem exegeseos biblicae. Ratus autem praesentiam choralem computari debere pro diebus integris, non tantum pro horis quibus docet, cum mane tantum lectionem habeat, petiit a Capitulo ut tamquam praesens haberetur pro integris diebus, quibus legit in Seminario. Rem ex officio examinavit canonicus doctoralis, qui eius fuit sententiae, ut canonicus theologus uti praesens haberetur tantum pro horis quibus docet, non pro diebus integris: cui sententiae omnes canonici, uno tantum excepto, adhaeserunt.

De hoc canonicus theologus conquestus est apud Episcopum, qui proinde huic S. C. duo sequentia postulata pro solutione proposuit: 1°. *An facta commutatio in canonico theologo oneris habendi, infra annum, 40 lectiones scripturales in onus docendi theologiam dogmaticam in Seminario singulis diebus, uno die excepto in quo ibidem s. Scripturae exegesim tradere debet, sustineatur in casu;* 2°. *An uti choro praesens idem canonicus haberi debeat pro horis tantum quibus in Seminario docet vel potius pro integra die in casu.*

Animadversiones. Concilium Trid. *(sess. 5, cap. 1 de Reform.)* inhaerendo Constitutionibus veterum Conciliorum et signanter Lateranensis III et IV statuit, ut in qualibet ecclesia cathedrali vel collegiata existenti in aliquo loco insigni, etsi nullius dioecesis, sacrae Scripturae lectio non deesset, « ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat ». Iussit insuper ut in quolibet Capitulo uni ex praebendis canonicalibus onus legendi sacram Scripturam imponeretur: « In illis ecclesiis, in quibus praebenda aut praestimonium seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii eos, qui praebendam aut praestimonium seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacrae Scripturae expositionem et interpretationem..... cogant et compellant ». Quare ne sacrae Scripturae lectio praetermittatur, iussu adstringit omnes locorum Ordinarios, ut ubi nulla praebenda ad hunc finem deputata reperitur, designetur « praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura ». Et demum addit quod « ubi nulla, vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii,.... vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacrae Scripturae lectio habeatur ».

Hinc officium canonici theologi aliud non est quam legere sacram Scripturam, ut clerus et populus in divinis eloquiis publice instruatur: etenim ille coelestis thesaurus hominibus omnibus, non tantum clericis datus est a Spiritu Sancto. Unde canonicus theologus suo muneri non videtur satisfacere per lectiones, quae privatim traduntur Seminarii alumnis. Quin imo idem Concilium Trid. non solum respexit ad cleri et populi instructionem, sed etiam locum pro s. Scripturae le

ctione designavit ecclesiam, nempe ubi canonicus theologus beneficium obtinet. Quod ab hac S. C. etiam fuit firmatum in resolutione diei 15 Martii 1710 in *Amerina*, in qua ad tertium dubium: « An lectio sacrae Scripturae sit facienda publice in ecclesia an vero in sacristia »; responsum est: « Affirmative quoad primam, negative quoad secundam partem ».

Referre insuper hic iuvat Encyclicas literas Gregorii XVI *Inter praecipuas* an. 1842, ubi inter alia haec de sacrae Scripturae lectione populo fideli habenda disponuntur: « Quo in primis pertinent decreta Tridentinae synodi, quibus nedum Episcopis mandatum est ut sacras Scripturas divinamque legem frequentius per dioecesim annuntiandam curarent, sed ampliata insuper Lateranensis Concilii institutione, provisum, ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegiatis urbium insigniorumque oppidorum non deesset theologalis praebenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacrae Scripturae exponendae et interpretandae. De ipsa postmodum theologali praebenda ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus a canonico theologo ad clerum atque etiam ad populum publice habendis actum est in plurimis Synodis provincialibus nec non in Romano Concilio a. 1725, in quo Benedictus XIII f. r. praedecessor nostér nedum sacros Antistites Romanae Provinciae, sed plures etiam ex Archiepiscopis, Episcopis ceterisque locorum Ordinariis huic S. Sedi nullo medio subditis convocaverat ». Haec Constitutio edita fuit ad profligandos neotericorum biblicorum errores, qui populum fidelem a sacrarum Scripturarum cognitione arcebant; in eaque Pontifex ita locorum Ordinarios hortatur: « Ex responsis per nostram Congregationem Concilii ad decessores vestros aut ad vos ipsos iterum iterumque datis, perspectum est, quemadmodum S. Sedes et gratulari Episcopis soleat, si praebendatos theologos habeant in publicis sacrarum literarum lectionibus munere suo bene fungentes, et numquam intermittat excitare atque

adiuvare pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non successerit ». Ex hac itaque Constitutione liquet quam valde intersit, ut canonicus theologus Scripturae lectiones publice seu in ecclesia cathedrali habeat.

Sed insuper haec doctrina firmatur et roboratur ex resolutionibus huius S. C. uti in *Derthonen.* 27 Iulii 1844, in qua ad dubium: « An et quomodo sit annuendum postulato super commutatione lectionis sacrae Scripturae in casuum conscientiae explanationem in casu »; responsum fuit: « Non expedire, et Episcopus curet executionem nuperrimae Encyclicae SSmi D. N. Gregorii XVI ». Ita in una *Civitatis Castelli* diei 2 Septemb. 1876 cuidam canonico theologo petenti ab eadem S. C.: « An gratis sibi docere opus esset theologiam dogmaticam ut ab onere sacrae Scripturae explanandae eximeretur »; responsum est: « Canonicum theologum teneri ad lectiones scripturales ». Idem responsum est in *Casalen.* 26 Iunii 1847. Et Card. Petra *(Comm. ad Const. Apost., tom. 4, n. 52)* quamvis putet locum Cathedralis ab Episcopo mutari posse, maxima urgente necessitate, tamen sese referens ad *sess. 5, cap. 1 de Reform.* Conc. Trid., suam conclusionem limitat, dicens: « dummodo..... huiusmodi lectio fiat omnino publice in loco publico: et nedum ecclesiastici, sed omnes de populo in lege divina instruantur ». Unde ex locis hucusque allatis concludendum videtur theologum Cathedralis Vicensis minime suo muneri satisfacere legendo in Seminario sive theologiam dogmaticam sive ipsam exegesim biblicam, et consequenter factam commutationem non sustineri.

Verum ex altera parte non desunt argumenta, quae contrarium suadent et ex quibus facta commutatio sustineri possit. Re quidem vera in mox adducto *cap. 1, sess. 5* Conc. Trid., postquam sermo habitus fuit de constituendo canonico theologo cum onere explanandi sacram Scripturam, haec leguntur: « Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est populi multitudo ut theologiae

lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui clericos scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacrae Scripturae studia, annuente Deo, transire possint ». Ex quo factum est ut saepe canonico theologo committeretur munus docendi theologiam scholasticam vel moralem in Seminario, loco legendi in cathedrali sacram Scripturam, reputantibus Episcopis hoc magis prodesse, quia facilius reperitur qui doceat populum, quam qui clericos instruat in sacris disciplinis.

Benedictus XIV *(De syn. dioeces. lib. 13, cap. 9, n. 17)* referens quemdam sermonem, quem dum huius S. C. Secretarii munere fungeretur, habuit pro causa quadam discussa die 5 Iunii 1723, ita scribit: « In eo (discursu) probavimus, decretum illud Tridentini Concilii *(sess. 5, cap. 1 de ref.)* sive eius verba considerentur, sive ratio habeatur praxis et consuetudinis sequentium temporum, aeque comprehendere Scripturarum sacrarum expositionem ac theologiae scholasticae disciplinam, et a canonico theologo non magis suo muneri satisfieri, si sacrae Scripturae libros explicet et declaret, quam si in theologia scholastica clerum erudiat: dummodo haec talis sit..... quae circa quaestiones gravis momenti et utilitatis versetur, easque pertractet, allatis divinae Scripturae testimoniis, Conciliorum decretis et Patrum auctoritate ». Eamdem doctrinam tenet Fagnanus in *cap. Quia nonnulli, n. 29 et seq., de Magistris;* Garcia *De benef, part. 5, cap. 4, n. 156,* et Card. De Luca in *Adnot. ad Conc. Trid., disc. 2, n. 5.*

Neque desunt pariter hac de re plures responsiones huius S. C. Ita profecto decisum fuit in *Maceraten.* 23 Nov. 1850; in *Hispalen.* 5 April. 1576 et in *Fulginaten.* 3 Iulii 1784, ubi ad dubium: « An canonicus theologus loco explicationis sacrae Scripturae possit explicare catechesim et docere lectiones theologiae moralis » ; responsum fuit: « Canonicum theologum suas lectiones peragere debere iuxta tradita

a Benedicto XIV De Synodo dioecesano, *lib. XIII, cap. 9, n. 17* ». Ergo concludere licet, quod canonicus theologus implet munus suum sive legendo sacram Scripturam in sua ecclesia, sive docendo in Seminario sacram theologiam.

Quoad secundam quaestionem videretur posse asseri quod canonicus theologus haberi debeat praesens in choro tantum horis quibus in Seminario docet. Nam primo hoc privilegium praesentiae pro tota die, iuxta supra citata statuta, conceditur canonico theologo taxative pro 40 lectionibus scripturalibus habendis in Cathedrali. Hinc non videretur illud esse extendendum ad casum quo ipse s. theologiam ex facta commutatione in Seminario docet, sicuti eam interpretatus est ultimus canonicus theologus antecessor, qui mane s. theologiam tradebat in Seminario, et vespere choro inserviebat.

Secundo in Hispania canonicis de *gratia* assignata est annua pensio libell. 3000, dum pro canonicis *de officio* inter quos est lectoralis seu canonicus theologus, retributio est in libellis 3500. Et haec discrepantia ex eo derivat, quod, post regium decretum an. 1852 ab Hispaniae Gubernio editum et a Nuntio Apostolico approbatum, facta est Episcopis facultas imponendi canonicatibus *de officio* onus huiusmodi docendi in Seminario. Si itaque est pinguior assignatio pro canonico theologo ob praedictum onus, non videtur in reliquis horis diei, quibus non docet, admittenda eius ficta praesentia in choro ad lucrandas distributiones. Secus idem privilegium invocari etiam posset pro aliis canonicis *de officio* onere gravatis docendi in Seminario. Hinc est quod haec S. C. in *Pampilonen.* 16 Dec. 1882 ad similem quaestionem respondit: *In casu de quo agitur canonicum theologum choro abesse ac distributiones lucrari posse pro iis tantum diei horis, quibus legit in Seminario, onerata conscientia* (1).

At ex adverso si statuta capitularia Vicensis ecclesiae

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 15, pag. 463.

concedunt canonico theologo praesentiam moralem pro viginti quatuor horis, diebus quibus in ecclesia legit sacram Scripturam, a fortiori talis praesentia concedenda esse videtur singulis hebdomadae diebus, quibus docet in Seminario. Labor enim, quem in hoc fert magisterio est valde gravior, illo exantlando in habendis intra annum quadraginta sacrae Scripturae concionibus; nam quotidie debet sese parare ad lectionem utiliter discipulis habendam. Aequitas itaque naturalis exigit ut ipse pro tota die qua legit, a choro sit exemptus. Quare De Herdt *(Praxis capit., cap. 9, § 13)* haec habet: « Theologus semper dispensatus est a servitio chori, non tantum tempore lectionis, sed ea etiam die, qua lectionem habet: et lucratur integras distributiones quotidianas omnium horarum, licet iisdem non interfuerit: etsi mane tantum vel vespere legat, iisdem equidem gaudet pro integra die qua lectionem habet ».

Praeterea huic sententiae seu doctrinae adstipulantur plures decisiones editae ab hac S. C.; ita in *Caurien.* 26 Aug. 1848 rescriptum fuit: « Canonico theologo integrae tradantur quotidianae distributiones pro diebus quibus legit, perinde ac si choro personaliter adesset, non obstante capitulari statuto ». Et in *Barchinonen.* 2 Iunii 1860 ad quaesitum: « Utrum lectoralis (seu canonicus theologus) gaudeat privilegio exemptionis a choro pro tota die..... cum acquisitione distributionum, licet semel tantum mane vel sero doceat »; responsum est: « Gaudere pro integra die, qua habetur lectio ». Congruunt etiam aliae decisiones datae in *Oriolen.* 12 Aug. 1628, in *Mediolanen.* 11 Maii 1630 et in *Hispalen.* 26 Dec. 1645.

Demum advertendum est quod canonicus theologus Cathedralis Vicensis nihil extraordinarii emolumenti pro scholasticis lectionibus tradendis percipit seu nullam a Seminario assignatam mercedem habet. Aequum proinde est ut ipse in reliquis diei horis, quibus non docet, choro consideretur praesens ad effectum quotidianas distributiones lucrandi.

Decisio. Emi Patres S. Congr. Concilii in plenario conventu diei 27 Iunii 1908 responderunt:

Praevia sanatione quoad commutationem oneris (1), *detur responsum uti in* Pampilonen. *16 Decembris 1882* (2).

---

(1) In casu sanatur commutatio ab Episcopo Vicensi facta in canonico theologo, oneris nempe legendi sacram Scripturam in Cathedrali in onus docendi theologiam dogmaticam et exegesim biblicam in Seminario, quia Episcopus proprio iure id facere nequit, sed indiget beneplacito Apostolico, quod legitimis de causis a S. Congregatione Concilii concedi solet. Porro Concilium Tridentinum *sess. 5, cap. 1 de reform.* statuit, ut in qualibet Cathedrali vel Collegiata insigni lectio sacrae Scripturae per canonicum theologum haberetur, neque unquam praetermitteretur; sed dein sensim sine sensu, praesertim vero tempore Benedicti XIV, opinio invaluit, canonicum theologum suo munere aeque satisfacere si sacram Scripturam legat in ecclesia, vel e contra theologiam scholasticam, dogmaticam aut etiam moralem doceat in Seminario. Haec sententia, quae a compluribus canonistis illius aetatis admissa est, atque a quibusdam SS. Congregationum resolutionibus firmata, in causa fuit cur nonnulli Ordinarii autumaverint sibi licere dictam oneris commutationem suo marte peragere. Verum post litteras Encyclicas *Inter praecipuas* a Gregorio XVI editas anno 1842, quibus Pontifex praescriptionem Concilii Tridentini quoad lectionem sacrae Scripturae a canonico tbeologo in Cathedrali vel Collegiata insigni habendam in pristinum vigorem revocavit, atque observari mandavit; contraria sententia obtinuit, et quoties deinde S. Congr. Concilii rogata fuit, an canonicus theologus fungeretur munere proprio, si sacram Scripturam explanaret in ecclesia, vel theologiam aut etiam exegesim biblicam doceret in Seminario, toties respondit, illum teneri ad explanandam sacram Scripturam in ecclesia ad tramitem Concilii Tridentini et citatae Bullae Gregorii XVI. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 8, pag. 336; vol. 9, pag. 505 et 510, et vol. 10, pag. 509. Haec doctrina congruit hodiernis praesertim temporibus, quum multi perversi homines etiam e clero inveniantur, qui omni nisu sacras Scripturas subvertere et in reprobum sensum detorquere conantur, ut, si fieri possit, etiam viros prudentes decipiant. Quo factum est ut, ad sacrae Scripturae studium magis magisque in clero promovendum, Leo XIII prius die 18 Nov. 1893 edidit Encyclicam *Providentissimus Deus,* dein vero die 30 Oct. 1902 Litteras Apostolicas *Vigilantiae,* quibus instituit Commissionem Pontificiam de re biblica pro studiis biblicis provehendis; et tandem Pius PP. X Litteris Apostolicis *Scripurae sanctae* diei 23 Febr. 1904 dictam Commissionem confirmavit eique fecit facultatem conferendi academicos gradus in s. Scriptura. Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 36, pag. 530 *(N. R.)*.

(2) In citata resolutione in *Pampilonen.* ita decernitur: « *In casu de quo agitur canonicum theologum choro abesse ac distributiones lucrari posse pro iis tantum diei horis, quibus legit in Seminario, onerata conscientia* ». Quae

ROMANA ET ALIARUM
DUBIORUM

Circa decretum de sponsalibus et matrimonio.

Ex pluribus dubiis, quae ad hanc S. C. postremis hisce temporibus pervenerunt, nonnisi infrascripta (1) hodie proponuntur in plenariis comitiis, quum coetera vel facili negotio solvi possint, vel potius inter cavillationes sint accensenda. Praeterea heic adnexa exhibentur vota, quae, propter rei gravitatem, a duobus Consultoribus exarata fuerunt.

Dubia. I. *Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.*

II. *An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu adscriptio diei, mensis et anni.*

III. *An vi decreti* Ne temere, *etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.*

IV. *Utrum ad valide et licite matrimoniis adsistendum,*

---

particularis decisio edita est ob speciales circumstantias in casu occurrentes, sive quia hanc praxim secutus est canonicus theologus antecessor, sive praesertim quia in Hispania canonico theologo caeterisque canonicis *de officio* pinguior retributio assignatur ob onus ipsis impositum docendi in Seminario. Secus enim S. Sedes canonico theologo, qui iam speciali facultate polleat commutandi lectiones scripturales in onus docendi theologiam in Seminario, regulariter aliud concedit indultum abessendi a choro pro diebus et horis quibus docent in Seminario, licet quandoque eum adstringat ad nonnullas lectiones in anno sacrae Scripturae in Cathedrali tradendas. Quod si theologus pro scholasticis lectionibus novum emolumentum percipiat, tunc amittere iubetur etiam distributiones quotidianas vel tertiam partem omnium fructuum beneficii, quae aliis canonicis inservientibus accrescunt *(N. R.)*.

(1) Haec dubia ex officio concinnata unice attendenda sunt, quum nonnulla dubia Consultorum inferius relata in quibusdam discrepent *(N. R.)*.

ad tramitem art. VI decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.

V. *An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit - in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi - matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida.*

VI. *Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in art. VIII decreti.*

VII. *An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium qui ob peculiares illius regionis conditiones postularunt: 1°. exemptionem a praescriptionibus decreti in sponsalibus ineundis; 2° dispensationem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contraendis a baptizatis cum non baptizatis, sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti.*

VIII. *Utrum subditi dioecesis Damaensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damaensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali vel possint etiam coram parocho territorii.*

IX. *An et quomodo providere expediat casui, quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quominus matrimoniis fidelium adsistant nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio.*

Resolutiones. Et Emi Patres S. C. Concilii in plenariis comitiis diei 27 Iulii 1908 (1) respondendum censuerunt:

(1) Hanc Congregationem generalem, quae statuta erat die 25 eiusdem mensis, ob funus pro Emo Nocella persolvendum transferri necesse fuit *(N. R.)*.

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative, servatis ad liceitatem quoad reliqua praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.*

Ad IV. *Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo, ac restrictam ad territorium delegantis.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Quoad primum negative. Quoad secundum, concedendam esse iisdem Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus; facto verbo cum SSmo.*

Ad VIII. *Dilata.*

Ad IX. *Non esse interloquendum.*

Eâdem autem die SSmus Dñus Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Secretarii, supra recensitas resolutiones ratas habere et approbare dignatus est, contrariis non obstantibus quibuscumque.

† VINCENTIUS Card. Episc. Praenest., *Praefectus.*

B. Pompili, *Secretarius*

VOTUM I.

Emi Patres,

1. Ut assolet cum leges promulgantur, quibus consuetudines et mores populi innovantur, praecipue si lex una, eodem more modoque, diversos attingit populos, ut scilicet non mediocria et dubia et obstacula parentur, id sat abundanter contigit edito decreto *Ne temere.* Etenim bis iam EE. VV. ad dubia exolvenda et ad remedia danda devenerunt in comitiis praeteritis; et nunc tertio ad idem (nec forsan ultimo) vocamini. Cito in argumentum.

Dubium I. — *Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario*

aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem, quae vicissim cum parocho vel duobus testibus subscribat.

2. Verba decreti, prouti sonant, nihil nobis innuere videntur, ex quibus potius uno modo quam altero solvatur difficultas, cum requirant tantum scripturam subsignatam, abstrahendo a circumstantiis *quomodo, quando.* Verumtamen, si male haud opinor, puto magis congruum esse spiritui legis requirere subsignationem *unico contextu*, hoc est sponsis insimul consistentibus coram parocho aut testibus, ibique scripturam subsignantibus, unus post alium. Revera legislator voluit e medio tollere sponsalia quae oretenus agebantur, et valida non cognoscere nisi ea, quae, scripto pacta, si daretur necessitas, probari possent per fidem instrumenti. Scriptura sponsalium igitur, cui vis inest publici documenti, eo modo facienda est quo conficiuntur omnia instrumenta publica; instrumenta autem publica conficiuntur, aut saltem leguntur et subscribuntur unico contextu a partibus (sive per se, sive per personam delegatam) et ab iis, qui requiruntur ad fidem faciendam: ut notarius, testis. Accedit quod, si admitteretur validitas sponsalium per scripturam subsignatam diverso tempore, sponsis non compraesentibus, via facillima aperiretur fraudibus et deceptionibus, praecipue in secunda forma sponsalium, et signanter si aliquis ex contrahentibus scribere nequeat.

Dubium II. — *An ad sponsalium validitatem in scriptura apponenda sit data, seu adscriptio diei, mensis et anni.*

3. Quamvis veteri iure nihil de *data* cautum sit, tamen totalis eiusdem omissio in scripturis instrumentalibus actum inficit; tum quia « *maxima posset contingere incertitudo cuiuslibet negotii, seu iuris per instrumentum probandi* », tum quia « *omissio solemnitatis consuetudine tantum inductae sufficit ad invalidandum instrumentum* » *(Reiffenstuel in lib. II Decret., tit. 22).* Consonat recentiorum legumlatorum usus, qui in scripturis, ut instrumentis valituris, datam ad validitatem exigunt, e. g. in testamentis olographis (C. C. 775); et ideo ad dubium responderem affirmative.

Dubium III. — *An vi eiusdem decreti, etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.*

4. Cum paragraphus tertia art. IV requisitionem et exceptionem consensus adponat tamquam conditionem ad validitatem, et cum paragraphus secunda art. XI subiecta velit matrimonia mixta omnibus *superius*

statutis legibus, clarum est vi decreti *Ne temere* etiam in mixtis matrimoniis exquirendum et excipiendum esse consensum, firma tamen manente lege de ritu religioso denegando, cum de ritu nihil cautum sit.

5. Quoniam vero res gravis est, et aliqua ex parte immutat veterem disciplinam, fas sit demonstrare novam hanc mutationem, et veterum legum gradualem evolutionem, et novae logicam consequentiam esse. Consuevit antiquius Ecclesia mixta coniugia ita prohibere, ut nullo pacto dispensationem elargiretur. Qui contra praeceptum agebat, veluti ethnicus habebatur. Serius Ecclesia dispensationem elargiri coepit, si tamen coniuges cautiones ad pericula praecavenda proli et parti catholicae dare non detrectaverint.

6. Hoc in casu, quamvis non ritu sacro coniuges coniungerentur a parocho, non video tamen qua lege, saltem scripta, prohibebatur parochus exquirere et recipere consensum. Nam, ante Benedictum XIV, nullum Pontificium documentum editum erat, quod ritum adsistendi moderaretur; doctissimus enim hic Pontifex docet in opere *De synod. dioeces.* prudentiae Episcopi commissum esse negotium praefiniendi quibus ceremoniis mixtis matrimoniis adsistendum erit. Pius VI *in litt. ad Episc. Mechlin. 13 Iulii 1783* primus decrevit « ut (parochus) non assistat tali matrimonio in loco sacro, nec aliqua veste ritum sacrum praeferente indutus; neque recitabit super contrahentes *preces aliquas ecclesiasticas, et nullo modo ipsis benedicet* ». Haec, iisdem fere verbis, confirmata fuerunt posterioribus Pontificum responsionibus et demum celebri *Instructione Antonelliana* die 15 Nov. 1858, in qua dicitur quod Episcopi postquam « a S. Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur *conditiones de mixtis hisce coniugiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis* ».

7. Atvero exquirere et recipere contrahentium consensum, iuxta formulam statutam in Rituali, usque ad illa verba exclusive: *Ego vos coniungo.... in nomine* etc., procul dubio non est neque preces ecclesiasticas recitare, neque benedicere, neque ritum ecclesiasticum proprie exercere; sed potius civilem et connaturalem usum sequi, quo utuntur omnes publici notarii, contractum quemque exaraturi; quippe cum pacta consensu perficiantur, sciat necesse est, et hinc exquirat et excipiat, qui de pacto constare publica adnotatione testificari debet. Parochus enim, vel qui pro eo matrimoniis celebrandis assistit, duplicem personam veluti induit: publici officialis et sacerdotis. Qua publicus officialis, personas contrahentium et eorum nomina cognoscere debet, simulque ius habet, quo

accuratius munere suo fungatur, propria voce consensum exquirere: qua sacerdos, ritu ecclesiastico nupturientes honorat, et pro eis preces et benedictiones effundit. Si autem Ecclesia concedit imo precipit nupturientes mixtae religionis non aliter contrahere matrimonia nisi adhibita praesentia parochi tanquam publici Ecclesiae officialis, huic certe non est putanda denegasse potestatem, qua omnes fruuntur notarii exquirendi et recipiendi consensum, nisi expresse id decreverit. Atqui nihil consimile statuto sanxit determinate; sed tantummodo ea prohibuit quae parochus praestat contrehentibus ut sacerdos, scilicet praeces et benedictionem « ut in catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo sancta mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac deterrere a mixtis coniugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis ». *(Instr. Anton.)*.

8. Dixi nulla lege scripta cautum fuisse, ut abstineret se sacerdos ab exquirendo consensu in matrimoniis mixtis, quae celebrantur impetrata dispensatione; at usus late invaluit, nulla facta distinctione inter mixta coniugia quae celebrantur licite, dispensatione elargita, et quae illicite celebrantur defectu dispensationis super impedimentum mixtae religionis, omnibus hisce coniugiis assistendi assistentia mere materiali et passiva. Nam, praeter quam quod Emus Venetiarum Praesul hunc Venetiis esse morem asserat, auctores non pauci inter quos Rosset *(De matrim., tom., 3, n. 1763)* tradunt ordinarie parocho fieri licentiam assistendi mixto coniugio *mere passive, perinde ac si partes unice agat mere testis, ut aiunt, qualificati*. Verum usus non videtur ubique terrarum unicus; clarissimus enim Gasparri ait: « In nonnullis regionibus, ut in Gallia et America Septemtrionali, parochus interrogat partes de consensu, recipit, caetera omnia omittens » *(De matrim., n. 458)*. Doctissimus Cardinalis usum, sicubi viget, non reprobat. Et merito, imo, meo sensu, hic usus magis rationalis est, et magis respondens sive verbis sive spiritui legum a SS. PP. latarum; dum e contra alius usus exaggerationem sapit, aut melius confusionem cum statutis pro celebratione matrimoniorum, dispensatione non impetrata, ut nunc dicturi sumus.

9. Quoad matrimonia inter catholicos et acatholicos, si dispensatio non intercesserit, vel agitur de contrahendo inter partem catholicam et alteram non baptizatam, et tunc quaestio acta est. Neque veteres neque novae leges sinunt parochum assistere huiusmodi coniugiis, quae nullitatis vitio tabescunt. Si autem agitur de contrahendo inter catholicam partem et acatholicam valide baptizatam, vetus disciplina erat, re-

gulariter denegare assistentiam parochi. Id cautum fuit a Pio VIII in litteris ad *Arch. Colon.* 26 Mart. 1830 et a Gregorio XVI in Encicl. *Summo iugiter* 27 Maii 1832, in qua ait « At vero si nonnunquam contigerit..... ut catholicus aliquis vir mulierve recedere nolit a perverso suo consilio ineundi mixtas nuptias, non petita seu non impetrata Ecclesiae dispensatione, vel debitis cautionibus, seu earum aliqua praetermissa, *tunc sacri pastoris officium erit abstinere, non solum a matrimonio ipsa sua praesentia honestando,* sed etiam a praemittendis eidem proclamationibus atque a dimissorialibus litteris concedendis ».

10. Quoniam tamen haec disciplina durior visa est aliquibus in locis et plurimorum causa malorum, praesertim iis in regionibus ubi catholica pars civilibus legibus detinebatur ne solitas et necessarias cautiones daret (quemadmodum impedimento erat decretum Iosephi II) per Pontifices pro loco et tempore temperata est. Quapropter Pius VIII in citatis litteris ad tumultum evitandum contra Ecclesiae intollerantiam, et Gregorius XVI ut impediret catholicos menestellum protestanticum adire, permittunt ut coniugium « illud quamtunvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potiusquam coram ministro acatholico, ad quem partes confugerent, contrahatur; idem catholicus porochus aliusve sacerdos eius vices gerens, matrimonio ipsi materiali tantum praesentia, nullo adhibito ecclesiastico ritu intersit, perinde ac si partes unice agat meri testis, ut aiunt, qualificati seu autorizabilis; ita scilicet ut, utriusque coniugis audito consensu, deinde pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum valeat referre ». Greg. XVI *Memores* 30 Apr. 1841.

11. Ut patet igitur assistentia parochorum passiva non erat generatim praescripta in matrimoniis mixtis celebrandis sed tantum in casu exceptionali huiusmodi matrimoniorum, quae celebrabantur sine legitima dispensatione et quibus parochi assistere debebant ad mala graviora evitanda. Si autem huius praecepti vim et rationem intimius pensamus, suasum nobis fiet passivam assistentiam non ideo praeceptam fuisse, ut in animis catholicorum imprimeretur Ecclesiae detestatio in mixta coniugia, cum huic sat provisum erat per denegationem precum et benedictionum sacerdotalium; non ideo cautam, ut par est, ne sacerdos cooperaretur patrationi rei illicitae, quippe, etiamsi consensum exquireret, non cooperaretur nisi materialiter, id quod ultro fieri potest ad evitandum maius malum, prout in casu; neque denique invectam ne parochus probare videretur, atque suo facto quodammodo ratum habere sacrilegum connubium, cum magis opportune et maiori vi id obtinebatur per praevias admonitiones, instructiones et protestationes, quas, ex prae-

cepto Pii VIII et Gregorii XVI in litteris de quibus supra, Episcopus vel parochus deferre debebat parti catholicae, ad hoc insani propositi perventae, ut illicitum coniugium per fas et nefas coniungere parata fuerit. Hinc vero ratio huius passivae assistentiae, ni fallor, in illo reponenda est, quod Ecclesia cogebatur propriis legibus detrahere, et veluti maiori vi adacta permittere parochorum assistentiam, quam generatim denegabat. Propterea et aequum et par erat parochum gerere morem omnibus invitis: videre, audire, tacere, gravitatem prae se ferre, tamquam qui nollét quod agit ex gravi causa. Talem fuisse rationem assistentiae passivae demonstratur, praeterquamquod constanti studio SS. Pontificum in deneganda quacumque assistentia ubi damnum clero, Ecclesiae et populo imminens non erat, etiam ipsis nominibus quibus regulam huiusmodi designabant; nam passim appellant *praxim tolerantiae: normam non voluntate sed necessitate statutam: consilium prudentiae: rationem evitandi graviora: modus conciliationis,* et alia huiusmodi.

12. Atvero per decretum *Ne temere* prorsus immutata est, quoad parochi assistentiam in coniugiis celebrandis sine Apostolica dispensatione, vetus disciplina. Hodiedum enim parochi praesentia in iis, quamvis illicitis matrimoniis, non amplius habetur ad instar concessionis ex causa tolerantiae et incommoda graviora evitanda, sed est absolute praecepta ne his temporibus infirmae fidei multiplicentur coniugia civilia tantum vel haeretico more celebrata. Unde et parochi vi novae legis assistere tenentur, et nupturientes ubique terrarum, Germania excepta, iubentur parochum adire sub poena nullitatis. Clare id evincitur art. XI, § 2° novi decreti, qui ait: « Vigent (statutae leges) quoque pro iisdem, de quibus supra, catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, *etiam post obtentam dispensationem* ab impedimento mixtae religionis ». Et in schemate decreti proposito H. S. O. die 26 Ian. 1907 dicebatur patenter latas leges valere pro matrimoniis mixtis, *quae contrahuntur sive cum dispensatione ab impedimento..... mixtae religionis, sive non.* Si autem per novum decretum praecipitur huiusmodi matrimonia celebranda esse semper coram parocho, quasi publico Ecclesiae officiali, non video cur denegandum sit parocho id quod est proprium cuiusque officialis publici, exquirere et recipere consensum eorum, qui actum contractualem coram ipso perficiunt. Assistentia passiva quae optime congruebat cum veteri disciplina, cum nova parum videtur cohaerere. Nam, iuxta illam, Ecclesia contrahentes sine dispensatione super impedimentum mixtae religionis, veluti ethnicos et publicanos putabat, in quos animadvertebat illud Apostoli: *quid mihi de iis qui foris sunt?* dum nova disciplina eosdem, qua rite sibi subditos, communi

lege agere vult, ne ex proprio crimine emolumentum capiant; vetus disciplina per modum casus excepti aliquandiu parochum in iis illicitis connubiis concedebat: nova autem praecepit semper; illa in parocho, pro necessitate concesso, personam tribuebat, quae praeseferret quandam speciem historiographi referentis rem inter alios actam: haec vero in parocho magistratum designat. Tunc igitur congruum erat parochum passive se habere, nunc legum cohaerentia expostulat eundem partem agentis suscipere quoad ea quae substantialia sunt in stipulatione contractus, et hinc exquirere et recipere consensum.

13. Quodsi obiiciatur parochum decere ut pandat aliquo modo reprobationem rei illicitae quam contrahentes sunt acturi, responderem non deesse modos opportuniores et potentiores id praestandi, scilicet primum per praevias suasiones, hortationesque parti catholicae faciendas, ut desistat ab illicito proposito, et, quatenus in irritum omnia cesserint, per protestationem eidem parti catholicae deferendam qua manifestetur nuptias illicitas et pene dixerim sacrilegas fore futuras, neque sanctificari, aut approbari a sacerdote assistente, qui in eum finem assistit ne nuptiae invaliditate laborent, sed semper reprobat et reprobaturus erit illicitum coniugium.

Dubium IV. — *Utrum ad validam et licitam matrimonii adsistentiam, de qua in art. IV decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.*

14. Quoad hanc delegationem generalem quaestio olim implexa nimis. Haec enim S. C. in causis *Posnanien. Colonien. Aquisgranien.* annis 1889, 1893, etsi cum aliquibus restrictionibus probaverit quandam generalem delegationem, principium de validitate et liceitate delegationis generalis absolutae et mutuae parochorum inter se, etiam accedente beneplacito Ordinarii, decretorio responso non firmavit, cum duo adlecti viri et Consultores ad opposita devenissent conclusiones. Hodie tamen post editum *Ne temere,* cum elementa quaestionis non parum immutata fuerint, puto dandum responsum affirmans. Revera qui tunc temporis putabant et invalidam et illicitam eam delegationem, hac de causa putabant, quia videretur contraria menti Tridentini, quod ad validitatem requirebat proprium parochum, cum facultate quidem delegandi, non tamen hoc modo delegandi (prout est delegatio mutua et generalis) quo *tolleretur vigilantia in matrimonia contrahenda et testimonium facile patens de contractis* (Thes. Res. S. C. C. anno 1893, pag. 201). Cum vero decretum *Ne temere* disciplina de parocho proprio temperata fuerit, et cum vigilantiae provisum sit, officiis omnibus impositis, qui

matrimoniis assistunt, cadit unicum fundamentum quo regebatur sententia negans, neque, mea opinione, aliquid impedimento esse potest, quominus integraliter recipiatur sententia optimorum ex nuperis (Gasparri, Wernz, Scherer), qui putant delegationem generalem et mutuam validam esse, et etiam licitam, si accedat tum causa gravis tum approbatio Ordinarii, cuius iudicium in re non parvi momenti ex debito subiectionis semper expetendum est.

Dubium V. — *An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit, in quibus tamen si peteretur, haberi posset, vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi, matrimonia contracta sine eius praesentia retinenda sint uti valida.*

15. Praesens dubium duos casus complectitur. *Primo* si missionarius haberi possit a nupturientibus in proprio ipsorum loco, dummodo rogatus sit; *secundo* si nupturientes possent sine gravi incommodo accedere ad locum ubi missionarius est. Duae igitur quaestiones fieri possent: an nupturientes teneantur petere missionarium, et an teneantur ipsum adire sine incommodo gravi. Ad primam videretur respondendum affirmative, quia verba decreti aiunt: *Si contingat ut..... sacerdos haberi non possit,* quod non verificatur, quando, si peteretur, haberetur. Ad secundam videretur dicendum contrarium, cum decretum loquatur de loco ubi sunt nupturientes, neque aliquid dicat de adeundo parocho in aliam civitatem. Sed contra opponi possit in utroque casu teneri, scilicet et scribere et adire, quia canon VIII continet legem exceptivam, et ideo iam per se strictae interpretationis. Quae exceptio facta est pro casu necessitatis; cum autem nupturientes vel petendo habere possent parochum, vel sine gravi incommodo ad locum ubi est parochus transmeundo possent legem communem observare, ad eamdem teneri videretur ne ratio legis, seu necessitas, deficeret.

16. Nihilominus, quoniam solutio praesentis dubii non tam a lege condita pendeat, quam a Vestra facultate legesferendi, et quoniam si obligatio ponitur nupturientibus vocandi vel adeundi porochum, in praxi non parvae difficultates adessent, dubia et ambages sive in cognoscendo quando incommodum sit grave vel leve, et quando parochus haberi possit vocatus vel non, crederem magis congruum esse declarare quod sufficit absentia missionarii parochi a statione nupturientium per mensem, ut ii possint tuto frui lege statuta in canone VIII, quin obligentur ad alia uti in dubio.

Dubium VI. — ***Utrum inopinatus et momentaneus transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpat, saltem in eodem loco, illam impossibilitatem, de qua in Can. VIII.***

17. Non quaevis parochi vel Ordinarii vel sacerdotis delegati praesentia sufficit, ut ad effectus Can. VIII interrupta dicatur necessitas; secus si e. g. carceribus iidem detinerentur segregati ab omnibus, vel insania corriperentur insanabili, adimeretur indefinite ius fidelibus ineundi coniugia, donec vel adveniret alius sacerdos rite facultate munitus, vel illi iidem sacerdotes abducerentur a loco per ultra mensem; quod absurdum videtur. Propterea praesentia, apta producere necessitatis interruptionem, est praesentia utilis, scilicet ea quae commodum seu utile tempus praebet fidelibus adeundi pastorem, et cum eo agere et complere negotium de matrimonio celebrando. Si quis autem missionarius inopinate et momentanee per aliquem locum transit, is certe necessariam tempestivitatem fidelibus non tribuit, ut coram ipso matrimonium celebrent, et ideo idem esset ac si abèsset. Mihi igitur errare non videor si responsum negans dubio dederim ad casum, prout iacet.

Dubium VII. ***An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium praesertim: 1°. quoad sponsalium celebrationem; 2°. quoad matrimonia mixta; 3°. quoad matrimonia contracta inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti.***

18. Quamplurimi diversarum regionum in vastissimo imperio Episcopi vix ac receperunt decretum *Ne temere* dubiis et anxietatibus repleti fuerunt, non quidem quia putaverint novam legem in se non magnarum utilitatum frugiferam, sed quia eius executioni magnam partem obstare cognoverunt duros et agrestes mores incolarum, quos superare difficilius est, quam solo aequare ipsorum famosa moenia. Aiunt igitur (ut videre est in Actis) cum agitur de matrimoniis inter catholicos, si sunt sui iuris, nihil impedimento esse, quominus adamussim observetur novum decretum; qui enim Petri fidem receperunt simul cum gratia Christi induere mores civiliores et faciliores videntur, ut iam dignoscant qua sapientia statutum sit connubia coram sacerdote et testibus celebrare, quibus constet de expresso consensu. At vero si agitur sive de mixtis coniugiis, sive matrimoniis catholicorum, qui non sunt sui iuris, eo quia subiacent potestati paganorum, impossibile prorsus putant posse observari, quae requiruntur quoad formam tum sponsalium, tum matrimonii.

19. Mos est tenacissimus Sinensibus paganis, puellam non antea stare cum sponso, nullumque externum consensus signum dare, quam praeviis aliquibus cerimoniis, in domum mariti cum ipso accubitura,

introducatur. Hinc nunquam adduceretur ad consensum exprimendum coram testibus, et, si id urgeret pars catholica, scandalum forsan et praeiudicium caperet, nostram religionem parvipendere pudorem.

20. Non minor oggeritur difficultas, pro iis qui a paganis pendent, quominus admittatur parochi praesentia. Nam in Sinis nostro aevo ius familiare et herile iis adhuc coarctationibus pene detinetur, quibus olim, Christo non nato, gens Romana gemebat. Vir quilibet, quamvis aetate maximus, minor semper est, vivente patre, sine cuius assensu neque uxorem ducere, neque pacta facere potest. Quo autem odio exardescunt pagani in religionem nostram nunquam adducerentur ut matrimonium filiorum celebretur praesente parocho; filiique familias christiani in bivio essent aut manendi sine coniugio aut vivendi concubinarie.

21. In iis et aliis difficultatibus prout Acta legentibus patet, quae via sectanda? Urgere decretum? Non prudens puto, quia, mea sententia, deesset ratio illa, quae in omnibus legibus expetenda est, scilicet publicum bonum. Legem novam moderari pro toto imperio Sinensi? Nequidem sapiens crederem, quoniam si statutis exceptivis ianua aperiatur, nunquam obtinebimus eam legum concordiam et unitatem quae ab omnibus desideratur.

22. Meo sensu, nodus extricandus erit manutenendo decretum in suo pleno vigore, imo iniungendo Episcopis Sinarum (quod aliunde pluribus ex ipsis in votis est) ut curent quantum in ipsis est plenam observantiam sive cum catholicis, sive cum acatholicis, qui nuptias ineunt cum nostris. Quodsi aliquando eis metam attingere datum non sit, et aliunde causa adsit dispensandi, opportunis facultatibus muniti iam sint omnes Ordinarii, cum facultate subdelegandi, ita ut possint, sive quoad sponsalia, sive quoad matrimonia mixta, sive quoad matrimonia contrahenda inter catholicos qui sunt sub potestate paganorum, omnia moderari iuxta vetera iura.

Dubium VIII. — ***Utrum subditi dioecesis Damaensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho illius territorii in casu.***

23. Quaestio haec V. S. O. proponitur ab Ordinariis Bombayensi et Damaensi, quorum primus putat parocho territorii non denegari ius assistendi matrimoniis exemptorum valide semper, dummodo in sua paroecia assistat, et etiam licite quando aliquis ex nupturientibus per mensem in paroecia commoratus fuerit; alter vero contrarium putat, eo quia

conditio fidelium habentium parochum personalem est conditio specialis et privilegiata, neque ideo subiecta legi communi.

24. Meo sensu, si verba decreti pensitamus, excipienda est opinio Archiepiscopi Bombayensi; nam clausulae quibus absolvitur decretum latissimae sunt, ut de medio tollant quodcumque privilegium et quamcumque rerum specialem conditionem: et aliunde resolutio Dubii IX data ab H. S. C. die 1 Febr. 1908 concedit quidem parochis personalibus facultatem assistendi matrimoniis suorum subditorum in quocumque loco, ubi extenditur privilegium iurisdictionis personalis; minime vero tum quoad validitatem tum quoad liceitatem aliquid detrahit parochis territorialibus; qui ideo et valide semper in propria paroecia et licite quoque praehabita commoratione menstrua, assistere videntur matrimoniis fidelium exemptorum.

25. Sin vero spiritum et mentem decreti pervadimus, cum distinctione mihi videtur respondendum esse. Si de validitate sermo est, puto non incasse parochum territorialem assistere in propria paroecia matrimoniis fidelium exemptorum. Revera mens Vestra EE. PP., dum decretum tulistis, fuit obligationem auferre adeundi parochum proprium tamquam conditionem *sine qua non* ad validitatem, simulque cumulare in *territorialitate* parochorum potentiam omnem ad valide assistendum matrimoniis, propter quam « *nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt* ». Nunc vero, si fideles habentes parochum personalem valide non possent connubia inire coram parochis territorialibus, duo illa principia in irritum fierent; nam pro ipsis firma maneret obligatio ad validitatem adeundi proprium parochum, et ideo in conditione essent inferiori relative ad alios fideles; simulque *territorialitas* parochorum quamdam capitis diminutionem pateretur, cum invalide, defectu iurisdictionis, parochi coniungerent in suo territorio fideles exemptos. Incongruum autem mihi videtur duo illa principia super quae, magnam partem, fundatur innovatio legis Tridentinae, relaxare pro ulla regione, quaeque sit.

26. Si de liceitate loquimur, aliter iudicandum censeo. Fideles habentes parochum territorialem, si per mensem commorantur in aliena paroecia, censentur, *fictione iuris* et ad effectum contrahendi matrimonium, veluti ab illa in hanc translati, vel, si dicere licet, ab illa excardinati et in hac incardinati, ita ut, quamvis a parvo tempore heic degant, tamen ut proprii subditi huius parochi habeantur. E contra, fideles habentes parochum personalem conditione sua inhabiles sunt, ut cadant sub eadem *iuris fictione* per menstruam habitationem in territorio subiecto parocho territoriali; imo neque per verum et proprie dictum domicilium

unquam fieri possunt subditi parochi territorialis. Ratio est quia in paroeciis territorialibus iurisdictio sequitur territorium; in paroeciis vero personalibus iurisdictio sequitur personam. Quocumque igitur persona sit, (in locis tamen ubi privilegium extenditur iurisdictionis personalis) non attingitur a parocho territorii sed a parocho personali, cuius parochialitatem effugere non valet per ullam habitationem vel domicilium in territorio alieno, si autem hi fideles, habentes parochum personalem per nullam habitationem vel domicilium in territorio alieno fieri possunt subditi parochi territorii, clarum est eosdem non posse coniungi in matrimonium licite, nisi a parochis personalibus.

27. Si haec doctrina excipiatur, secundum quam proposito dubio respondendum esset: ***tenentur sistere se parocho personali ut licita sint coniugia, non vero ut sint valida,*** haud amplius metuenda essent illa incommoda, quae timet Ordin. Damaen. Nam « il pericolo che i parroci territoriali attirino, con mezzi poco convenienti, gli esenti, affinchè questi celebrino il matrimonio nelle loro chiese..... la lotta coi parroci esenti o personali..... la confusione nell'ordine stabilito con S. M. il Re del Portogallo », haec omnia prorsus evanescerent, quoniam canone X plectuntur parochi, qui illicite, etsi valide, matrimoniis assistant; et aliunde si parochis territorialibus prohibitum sit ne assistant coniugiis exemptorum, temerarium esset suspicare eosdem generatim praecepto non obtemperaturos. Quodsi fortasse aliquis iura aliorum parochorum violaverit, laeso datur actio, civilem dicam et criminalem; quoniam emolumenta stolae sibi repetere potest, et poenam invocare reo ab Ordinario iniungenda.

28. Haec, EE. PP., quae subiicienda habui Vestrae sapientiae, a qua quid decernendum sit securi omnes expectant.

Et interim qua decet etc.

Romae ex Convento SSmae Conceptionis, die 9 Iulii 1908.

Humilis in Xto
Fr. Aloysius a Tabia, O. M. Cap.

VOTUM II.

Emi ac Rmi Patres,

Iussus sum benevolenti R. P. D. Secretarii auctoritate votum meum pandere meamque aperire sententiam super quaedam dubia, quae circa interpretationem decreti *Ne temere* de forma celebrationis sponsalium et matrimonii proposita sunt. Ut officio rite satisfacerem, dubia haec, quan-

tum fieri potuit, inter se composita et in ordinem redacta sunt, eaque EE. VV. sapienti iudicio submitto, meam simul sententiam aperiens. Brevitati autem, quantum licebit, studebo, ne vos molestia afficiar, vosque cogam tempus vobis maxime pretiosum inutiliter ponere.

Sequentia sunt igitur dubia perpendenda, quarum quaedam ad sponsalia, quaedam ad matrimonium pertinent.

Quoad sponsalia quaeritur ex Albania, num necesse sit ut ambae partes simul se consistant coram parocho et testibus, ut contractui sponsalitio subscribant.

Difficultas exinde enascitur, quod in Albania, quum sponsalia a parentibus potius quam a filiis iniri soleant, saepe accidit ut sponsi quam longe inter se distent; sed praecipue ex eo quod iuxta orientalem usum sponsa ante matrimonium nunquam cum sponso simul esse possit. Quare, si ex decreto dicendum sit necessariam esse simultaneam praesentiam sponsorum coram parocho et testibus, fere impossibile erit ibidem in posterum sponsalia contrahi. Nec dicendum rem apte componi posse per designationem alicuius procuratoris, quam sponsa ex. gr. faceret ut alius suo nomine cum sponso contrahat sponsalia. In Albania enim extra urbes rarissimum est invenire qui scribere sciant; quare in maiori eius parte impossibile fere esset haec procuratoria mandata conficere ita ut de eorum legitimitate et authenticitate constaret.

Verum, hac difficultate practica tantisper omissa, res consideranda est theoretice. Inter Doctores, qui decretum *Ne temere* commentantes hanc quaestionem attigerunt, nonnullos inveni, qui putant, ad validitatem requiri ut partes, quum subscribunt, coram testibus subscribant (1). Horum ratio haec est, quia testes ita requiruntur, ut ipse contractus eos debeat habere testes; contractus autem in casu fit per scripturam; debent ergo testes immediate, non ex aliqua aliorum relatione, testari posse, partes nomen apposuisse. Quam sententiam iure, meo quidem iudicio, improbant alii (2). Rationem enim afferunt planam et obviam,

---

(1) Ita Knecht, Leitner, Vermeersch.

(2) Ita Boudinhon, Desmet, Trenta. Iuverit heic referre verba Boudinhon, *Le mariage et les fiançailles, n. 39:* « Le plus souvent les fiançailles seront contractées *inter praesentes,* et les signatures seront apposées par les fiancés au bas de l'acte, qu'on aura rédigé en leur présence ou dont on leur aura donné lecture, le tout en présence du ou des témoins. Toutefois cette manière de faire n'est pas indispensable, et, grâce à l'emploi de l'écriture au lieu du consentement verbal, les fiançailles peuvent parfaitement se conclure *inter ab-*

contrariam scilicet sententiam nullum habere in decreto fundamentum. Quod enim dicunt, ipsum contractum debere habere testes eos, qui subscribunt, gratuita quaedam assertio est. Decretum enim dicit: « Ea tantum sponsalia habentur valida etc., quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut a loci Ordinario vel a duobus testibus ». Porro ex his verbis obvie intellectis frustra quaereres necessitatem in iis, qui subscribunt, simul cum sponsis videndi suis oculis subscriptionem a sponsis peractam fuisse. Neque pro contraria sententia argui posse videtur, quemadmodum facit Leitner (1), ex voce *testibus*, qua legislator hic usus est. Neque enim dicitur, eos debere esse testes de subscriptione, sed de sponsalibus, idest de mutuo consensu in futurum matrimonium; quod ipsis constare potest etiam aliunde, non exclusa ipsa subscriptione, quam optime alio modo cognoscere possunt authenticam et ipsa sponsorum manu factam.

His omnibus addendum est, eos quoque auctores, quos retulimus, non ex eo quod putent testes debere adesse ipsi subscriptioni a sponsis faciendae, dicendos quoque esse existimare sponsos coram testibus simul convenientes debere subscribere. Nam Vermeersch ex. gr. (2), quaerens qua ratione sponsalia fieri possint inter absentes seu eos, qui diversa et longinqua loca incolunt, non solum innuit posse unam partem specialem procuratorem constituere, qui simul cum altera parte contractui subscribat; sed etiam putat posse singulas partes coram duobus testibus vel parocho loci scripturam subscribere. Quare ex eius mente sponsalia valida essent, si Titius scripturae sponsalitiae Romae subscriberet cum duobus testibus, eique scripturae postea Titia Calcuttae degens suum quoque nomen coram requisitis testibus apponeret (3).

---

sentes. Dès lors que le contrat porte les signatures des deux parties, ou demeure pleinement dans les termes de la loi. Evidemment, les témoins appelés à certifier le contrat et les signatures devront être certains que la signature, qu'on leur présente, est authentique: mais aucune méthode de contrôle ne leur est imposée ».

(1) *Die Verlobungs - und Eheschliessungsform nach dem Dekrete* Ne temere, *pag. 23.*

(2) *De forma sponsalium ac matrimonii post decretum* Ne temere, *n. 34.*

(3) Putat imo Vermeersch l. c. testes posse esse diversos. « Age porro, ait, sufficere putamus ut sic scriptura subscribatur coram distinctis testibus, quia communis haec est condicio contractuum, qui per scripturam privatam fieri permittuntur, et quia vix alia commodiore ratione fieri possunt sponsalia inter absentes: quod tamen sponsalium genus legislator supprimere noluit. De tali enim voluntate ne minimum quidem exstat vestigium. Nulla etiam clausula

Ex iis, quae hucusque sunt disputata, facile patet responsio danda alteri quaesito, quod ex Albania proponitur. Proponunt scilicet: scripturam a Titio subscriptam et a loci parocho parochus ipse transmittit ad parochum Titiae, quae coram suo parocho et simul cum eo et ipsa subscribit. An valent talia sponsalia?

Difficultas una esse posset. Scilicet in casu testis auctorizabilis non idem esset pro sponso et pro sponsa; decretum autem videtur unum eumdemque requirere, quum dicat « per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut a loci Ordinario etc. ». Verum non unum est exemplum in iure singularis cuiusdam dictionis, quae pluralem admittat significationem. Sufficiat referre ea, quae habentur in lege 16 § 1 *de testament. tutela* D. (XXVI, 2), ubi dicitur: « Si quis filio tutorem dederit, et plures filios habeat, an omnibus filiis dedisse videtur? Et de hoc Pomponius dubitat; magis autem est, ut omnibus dedisse videatur ». Conferri etiam possunt ea, quae habentur in lege 14 *de fideicomm. libertatibus* C. (VII, 4), ubi additur ratio: « quum in ambiguis sensibus melius est, et maxime in libertate, favore eius humaniorem amplecti sententiam ». Et videtur mihi humanior vere sententia et magis favens sponsorum libertati, si in casu, de quo agimus, dictionem illam « per scripturam subsignatam a partibus et a parocho etc. » ita interpretemur, ut locutio singularis pluralitatem non excludat.

Quare conglobando dubia heic proposita in unicum dubium, quod mihi resolvendum proponitur, nisi melius iudicetis, Patres Emi, immutare ius decreto constitutum, quod integrum tamen vobis erit, ex his, quae hic breviter disputavi, ita putarem resolvendum sequens dubium:

I. – *Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario aut cum duobus testibus; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem, quae vicissim cum parocho vel cum duobus testibus subscribat.*

R. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Dubium aliud quoad sponsalia proponitur et in eo consistit utrum data, ut dicitur, seu appositio diei, mensis et anni, quo scriptura sponsalitia conficitur, necessaria sit ad ipsam sponsalium validitatem.

Et non spernenda ratio inveniri potest, ut asseramus eam necessariam non esse. Neque enim, quando agitur de forma substantiali ad aliquem

---

postulat ut testes *simul utriusque* consensum, per scripturam datum, testari possint ».

actum a lege praescripta, ea ut talia haberi possunt, quae a lege expresse non designantur. Et re quidem vera plures e commentatoribus decreti aperte dicunt datam ad sponsalium validitatem non requiri (1).

Verum, re intimius perspecta, videtur mihi, ni fallor, vel datam requiri vel aliquid certe, quod loco datae sit, idest aliquam determinationem temporis, quo contractus initus est, indirectam saltem. Talis ex. gr. esset temporis determinatio, quae deduceretur ex eo, quod haberemus in contractu sponsalia simul contrahere Titium natum tali die, mense et anno, et qui nunc in tali aetate constitutus invenitur, cum Titia, quae nata est tali die etc., quaeque nunc tot annos, menses, etc. nata est. Rationes autem, quae me movent ad hoc sentiendum, sunt praecipue finis decreti et effectus contractus sponsalitii.

Decretum enim statuit formam substantialem ad contrahenda sponsalia ut evitarentur dissidia et lites inextricabiles. Ad hoc autem, si non omnino necessaria est, maxime saltem conducit appositio datae. Quid enim si postea inveniremus duplicem scripturam, alteram attestantem Titium sponsalia contraxisse cum Titia, alteram eum inivisse sponsalia cum Caia, neutram autem referentem diem, quo haec sponsalia contracta sunt?

Praeterea haec ascriptio diei contractui sponsalitio facta maxime necessaria est ad stabiliendos canonicos effectus sponsalium. Secus maxima esset incertitudo, maxima dubietas et maxima ex parte frustraretur finis praescriptionis alicuius formae substantialis ad hunc actum. Quare videtur mihi legislator, etsi id non fecerit expresse, implicite tamen, praescribendo formam substantialem, praescripsisse appositionem datae actui legitimo a se praescripto.

Neque videri debet hoc absonum et inauditum in iure, quasi numquam ad validitatem formae requiratur aliquid, quod expresse requisitum non dicatur in lege. Exemplum habemus in iure italico. Quoad testamentum publicum eo iure requiritur quidem praesentia notarii et quatuor testium aut duorum notariorum et duorum testium; requiritur subscriptio testatoris, testium et notarii. Et de his omnibus expresse cavet lex (Cfr. *Cod. Civ. Ital.* a. 777-781); sed de data apponenda ne verbum quidem in lege. An ideo dicendum datae appositionem ad validitatem non requiri? Non ita putarunt iuristae. Audiatur Ricci *Corso teorico pratico di diritto civile, III, 183*, qui commentarium in Codicem magna admiratione dignum conscripsit: « L' enunciazione della data crediamo sia indispensabile pel testamento pubblico, sebbene la legge non ne parli. Im-

(1) Cfr. Boudinhon, loc. cit., ed. 6, n. 38; Besson, in Nouv. rev. theol. pag. 615; Vermeersch, loc. cit., ed. 4, n. 24.

perocchè, se non apparisca il tempo in cui il testamento fu fatto, non solo non si può stabilire se a quell'epoca il testatore e i testimoni avevano la capacità voluta dalla legge; ma, nel concorso di più testamenti, non è dato conoscere quale sia anteriore e quale posteriore, e quale perciò debba avere la preferenza sull' altro. D' altronde il silenzio della legge in proposito non può essere interpretato nel senso che non richieda l' enunciazione della data nei testamenti pubblici, perchè, senza il bisogno di un testo s' intende sempre richiesto ciò che è di essenza dell' atto. Crediamo pertanto non doversi esitare a dichiarare la nullità di un testamento pubblico mancante di data ».

Haec applicando casui nostro dubius non haererem, quin statim quaesito proposito affirmativam responsionem darem. Una posset esse exceptio, quando scilicet in actu indirecta quaedam appositio datae haberetur, directa autem et expressa deesset. Sed forte ut difficultates practicae praecaveantur consultius erit expressam et directam appositionem datae pro quocumque contractu sponsalitio exigere.

Hinc ita resolverem sequens dubium:

II. *An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu ascriptio diei, mensis et anni.*

R. *Affirmative.*

Articulus quartus decreti in paragrapho tertia praescribit, parochum vel loci Ordinarium requirere et excipere ad validitatem debere consensum nupturientium. In quo essentialem quamdam habemus immutationem disciplinae. Nam quum ex disciplina tridentina, quemadmodum saltem praxi et iurisprudentia introducta (1) explicata fuerat, non praescriberetur nisi assistentia passiva, nunc activa assistentia omnino requiritur.

Sed an ista activa assistentia ita universaliter praescripta censenda est, ut eam necessariam esse dicamus etiam in matrimoniis mixtis?

Ratio dubitandi profecto non deest. Certum enim est Ecclesiam semper detestatam esse semperque detestari matrimonia mixta et ab iis numquam destitisse aut desistere filios suos avertere et deterrere, quum ea nonnisi in ipsius partis catholicae et futurae prolis perniciem contrahantur (2). Quare etsi aliquando Ecclesia ob duritiem cordis alicuius sui

---

(1) Cfr. Boudinhon loc. cit. n. 55. Quamvis haec videatur fuisse ipsa Concilii mens et intentio. Cfr. Esmein, *Le mariage* II, chap. 3, sect. 2, V.

(2) Cfr. Instr. Pii IX per Card. Antonelli ad omnes Epp. 15 Nov. 1858, et alia multa documenta ecclesiastica.

filii, iis salvis, quae a iure naturali et divino praescribuntur, indulgeat ut huiusmodi matrimonia contrahantur, vult semper tamen ut ex ipsa forma has nuptias celebrandi appareat ipsas eam detestare, idque praecipue ut in catholicorum animis numquam huius detestationis obliteretur memoria. Hinc voluit Ecclesia, ut parochi his nuptiis mere passive assisterent.

Passiva autem haec assistentia excludit, ut nos docet Emus Card. Gasparri *de matr. I, 508 sqq.* cum omnibus canonistis, publicationes, ceremonias, quae sunt in Rituali ab initio usque ad missam, benedictionem nuptialem, alias sacras ceremonias seu ritus, quibus matrimonium iuxta Rituale dioecesanum celebratur, celebrationem matrimonii in ecclesia, usum cuiuscumque vestis sacrae ex parte parochi. Aliis autem omissis, quae ad quaestionem nostram non pertinent, exclusio ceremoniarum, quae sunt in Rituali romano ab initio usque ad missam, importat etiam exclusionem receptionis consensus; quare non solum prohibitae sunt benedictio annuli et ceterae orationes, quae in matrimoniis catholicorum adhiberi solent, sed ipsa receptio consensus, ut idem tradit cum communi Emus auctor.

Forma igitur nova, qua iniungitur activa assistentia ex parte parochi, non concordat cum iis, quae ex iure habemus quoad celebrationem matrimoniorum mixtorum, quaeque fundantur in gravissima causa ad bonum Ecclesiae et animarum salutem maxime conducente. An proinde dicendum legem novam antiquum hoc ius abrogasse, vel potius dicendum eam procedere solummodo in matrimoniis catholicis, relinquere autem in statu *quo* ea, quae ad mixta matrimonia pertinent?

Et pro hac altera sententia non pauca ex iure militare videntur. Et re quidem vera in *cap. 29 de elect.* etc. (I, 6) in 6° aperte docemur concordanda esse iura iuribus: « Quum expediat concordare iura iuribus et eorum correctiones (si sustineri valeant) evitare etc. ». Praeterea in *cap. 8° de consuetud. X* (I, 10) veluti inconcussum assumitur principium, leges ita intelligendas esse, si fieri potest, ut iuri communi non derogent, et correctionem iuris esse vitandam, quoad fieri possit. His adde ea, quae habentur in *lege 14, de legibus,* etc. D. (I, 3): « Quod vero contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias », quod concordat cum iis, quae traduntur in regula 28 iuris in 6°: « Quae a iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda ». Et haec omnia casui nostro applicari videntur, quum, veluti asserit Suarez *de legibus, lib. 6, c. 27, n. 4:* « constat legem revocatoriam ex suo genere exorbitantem esse ». Hinc qui contrariam tueretur novae legis interpretationem, videretur committere in legem, quum ut

tradit regula 88 iuris in 6°: « Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem ».

Attamen, his in contrarium non facientibus, videtur mihi dicendum legem novam decreti in hac parte antiquum ius immutasse et correxisse. Scilicet ex lege nova, mea quidem sententia, omnia immutata manserunt quoad matrimonia mixta, hoc uno excepto quod scilicet nunc parochus ad validitatem debet a contrahentibus exquirere et recipere manifestationem consensus. Aliis verbis in his matrimoniis ea omnia prohibita manent, quae prius prohibebantur et aliquid sacri praeseferebant; hinc parochus non posset matrimonio assistere indutus vestibus sacris aut sponsis benedicere illa etiam simplici benedictione, quae in Rituali habetur, quum parochus pronuntiat in matrimoniis fidelium ea verba: « Ego vos coniungo etc. », quae etiam verba omittere prorsus deberet parochus; sed admittitur, imo praescribitur, ut parochus active assistat his matrimoniis eo sensu, ut illud faciat, quod tamquam notarius facit seu testis auctorizabilis, et proinde exquirat consensum a contrahentibus.

Ratio autem est, quia lex clarissime et sine ulla distinctione loquitur, statuitque principium generale, ad validitatem scilicet debere in posterum parochos assistere matrimoniis active, interrogando partes de consensu eumque ab eis recipiendo. Ubi igitur lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; et quum nulla in verbis est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio (l. 25 *de legatis* III. D.). Nec solum, sed decretum nostrum ea habet, quae magis etiam explicite sententiam hanc confirmant. Nam postquam in articulo tertio statuerit formam hanc celebrandi matrimonii, qua parochus active debet assistere modo indicato, addit expresse in articulo undecimo ea forma teneri et comprehendi matrimonia mixta.

Accedit, quod absonum, vel certe extraordinarium et fere inauditum est, publicum officialem, qui ex praescripto legis ad alicuis actus constitutionem intervenire debet, alio et alio modo pro his vel pro illis debere se gerere; et duplicem proinde haberi in eadem societate pro eodem actu diversam formam substantialem, cuius diversitas tota se habeat ex parte officialis publici assistentis.

Insuper ipse scopus decreti id probat. Decretum enim statuit activam parochi assistentiam in eum praecise finem, ut evitarentur matrimonia, quae ex inopinato fierent *(matrimonii di sorpresa)*. Porro evidens est, matrimonia haec maiora omnino praeseferre pericula, si contrahantur inter catholicum et acatholicum. Fieri enim posset, ut ideo ex inopinato haec matrimonia inirentur, quia pars acatholica nollet praebere cautiones requisitas, sine quibus non concederetur dispensatio. Cui malo, si age-

retur de matrimoniis stricte mixtis, seu inter catholicum et acatholicum baptizatum, nullo modo occurri posset: agitur enim de impedimento mere impediente. Multo magis igitur in matrimoniis mixtis, quam in matrimoniis catholicorum, impendebat necessitas ex mente decreti ob bonum publicum exigendi activam parochi assistentiam.

Nec detestatio, qua Ecclesia prosequitur haec matrimonia, vel indecentia, quae in eis habetur, ratio erat urgens, quae, his non obstantibus, excluderet hanc activam assistentiam. Neque enim contra eam ulla exsurgere potest difficultas ex vetita cum haereticis communicatione in divinis. Nam patet permitti posse parocho hanc activam assistentiam intra limites supradictos, quum Ecclesia, dolenti quamvis animo, ex iustis rationibus permittat vel saltem toleret ut pars catholica huiusmodi matrimonium contrahat et proinde ministra sit sacramenti quoad partem haereticam. Hoc autem evidenter multo magis est, quam permittere ut parochus illud agat, quod ageret notarius publicus, petat scilicet a partibus an velint revera illum contractum inire, quem ineundi ab Ecclesia receperunt facultatem.

Sed nec etiam ex eo, quod Ecclesia haec matrimonia iure detestatur, aliquid urgeri potest contra novam disciplinam. Nam quamvis verum sit, quod in odium horum matrimoniorum Ecclesia praescriberet in veteri disciplina, ut parochus mere passive se haberet, et proinde eum prohiberet, ne poneret ceremonias, quae sunt in Rituali ab initio usque ad missam, inter quas etiam ipsam receptionem consensus, hoc tamen fuit fere ius, quod scriptum manebat, sed in praxi, generaliter loquendo, non servabatur. Iam ipse Card. Gasparri, postquam retulerit hanc prohibitionem antiquae disciplinae, addit: « At in nonnullis regionibus, uti in Gallia et in America septentrionali, parochus interrogat partes de consensu, illumque excipit, cetera omnia omittens ». Neque hic finis dispensationum quoad hoc. Ad vitanda enim graviora mala Pius IX (1), quamvis retinuerit tamquam strictum iuris principium assistentiam mere passivam, veluti tamen ordinaria norma Episcoporum arbitrio commisit, « ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus ....., iudicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione impleri minime possint et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali

(1) Cfr. Instr. de speciali eius mandato a Card. Antonelli datam ad omnes Episcopos 15 Nov. 1858, litt. S. V. I. ad Vic. Apost. Mayssur. 4 Dec. 1862; litt. S. C. P. F. 11 Mart. 1868.

legitime praescriptum, exclusa tamen semper missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super circumstantiarum varietate et gravitate ». Quibus relatis Wernz (*Ius. decr.* IV, 195) addit in nota : « Quo iure non omnes Episcopi conformi quadam ratione etiam in regionibus mixtis usi sunt. Alii enim permiserunt eumdem simplicem copulationis ritum in ipsis matrimoniis duorum catholicorum receptum; alii melius saltem aliquas differentias etiam in tolerato simplici copulationis ritu statuerunt ». Haec autem mitior disciplina, teste Leitner (*Lehrbuch des katholischen Eherechts* p. 547) in multis, et si attendamus ad regiones mixtas, in plerisque, si non in omnibus, dioecesibus viget. Si igitur practica disciplina quoad celebrationem matrimoniorum mixtorum eo usque devenerit, ut parochus superpelliceo et stola indutus possit exquirere et recipere consensum contrahentium (1), utens iisdem ceremoniis quibus uteretur in matrimoniis catholicorum, non est cur miremur decretum nostrum multo minora statuisse. Decretum enim illud unum requirit ut parochus exquirat recipiatque consensum contrahentium, non tamen in loco sacro aut sacris vestibus indutus nec ut minister sacer sed tantum ut testis auctorizabilis seu ut notarius quidam.

Nec difficilis est responsio ad ea, quae contra obiiciebantur. Nam quamvis verum sit, correctionem iuris, quoad eius fieri potest, esse vitandam; hoc tamen non procedit, quando clarum est, legislatorem voluisse corrigere ius antiquum, quemadmodum, ut ex dictis patet, factum est in casu nostro.

Pariter non potest hic applicari regula 28 iuris in 6°. Primo quidem, quia alius est sensus regulae; ea enim hoc unum dicit, scilicet exorbitantia a iure communi, idest ea, quae ex orbita seu via communi deflectunt, cuius generis sunt privilegia, dispensationes et alia huiusmodi, quae sunt derogativa iuris communis, non esse trahenda ad consequentias, idest non esse extendenda de una persona aut causa ad aliam personam aut causam, sed continenda esse intra terminos, sub quibus fuerunt concessa. Praeterea quia illud, quod dicitur, legem derogatoriam esse exorbitantem, eo sensu intelligendum est, si dubium aliquod habeatur, quia nec abrogatio nec derogatio in dubio praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt (l. 27, *de leg.* etc. D), et leges posteriores, quae superioribus derogant, regulariter strictae sunt interpretationis; interpretatio autem non admittitur nisi in dubio, quia « quum nulla in verbis est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio »

(1) Cfr. etiam litt. Greg. XVI, 25 Ian. 1842.

(l. 25 *de legat.* III, D). Hinc est, quod ita legem interpretantes non ita amplectimur verba legis ut contra eius mentem nitamur; ac proinde in legem non committimus.

Quare ex iis, quae disputavi, ita resolvendum puto sequens dubium:

III. *An vi decreti* Ne temere, *etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.*

R. *Affirmative.*

Quaesitum etiam est quid dicendum de delegatione seu licentia, quam iuxta articulum sextum decreti loci Ordinarius vel parochus concedere possunt sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat. An requiritur semper delegatio specialis, an vero pro aliquibus saltem personis, ex. gr. pro coadiutoribus parochialibus, aut certis casibus sufficit etiam generalis?

Huic quaesito facillima videtur responsio. Decretum quoad hanc licentiam seu delegationem alteri dandam ab iis, qui iure suo assistere matrimoniis possunt, tria tantum statuit: *a*) licentiam dandam esse sacerdoti certo et determinato; *b*) ut assistat intra limites territorii delegantis; *c*) delegatum debere limites servare mandati et regulas pro parocho et loci Ordinario assistentibus in ipso decreto statutas. Praeter haec nihil aliud in decreto quoad delegationem habemus. Decretum autem non constituit legem abrogatoriam antiquae disciplinae, ita ut universa antiqua disciplina quoad formam celebrationis matrimonii dicenda sit vires suas amisisse, sed tantum derogatoriam et correctoriam ita ut in iis solis antiquam disciplinam immutatam fuisse dicamus, quae contraria sunt dispositionibus decreti.

Porro in antiqua disciplina ii, qui matrimoniis per se assistere valebant, delegare poterant, quoad validitatem, et speciali et generali delegatione. Verum non semper id licite faciebant. Sic sacra haec Congregatio in causa *Posnaniensi* 20 Iul. 1889 reprobavit consuetudinem parochorum alicuius civitatis, qui se mutuo delegabant ad hoc, ut quivis illorum semper et habitualiter posset assistere matrimoniis eorum, qui alteri parocho subdebantur; et de facto hoc erat illusorium reddere decretum tridentinum. Attamen hanc ipsam generalem delegationem, certos iuxta terminos restrictam, eadem sacra haec Congregatio alias probavit. Nam quum in civitate Coloniensi parochi se mutuo delegarent in hunc modum, ut parochus, qui tempore, quo proclamationes expetebantur, parochus erat sponsae proprius, inde per tres menses eius matrimonio assistere valeret, etiamsi sponsa, ea parochia derelicta, in alia

parochia eiusdem civitatis habitaret; et in civitate Aquisgranensi ab immemoriali tempore exsisteret usus, iuxta quem, propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum mercenariorum et pauperum, parochus, in cuius parochia sponsa habitabat, dum proclamationes expetebat, eius matrimonio assistere posset, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam eiusdem civitatis transmigraret; sacra haec Congregatio non solum sententiam tulit pro validitate horum matrimoniorum, sed supradictam praxim per manifestationem *suae mentis*, Archiepiscopo Coloniensi circa eam factam approbavit (1); et iterum approbavit sacra Congregatio Univers. Inquisitionis (2). Mens autem huius S. Congregationis in causa *Coloniensi* haec fuit, ut scilicet eidem Emo Archiepiscopo scriberetur, quod ad evitanda incommoda ex enunciata praxi utcumque oritura, opportunum futurum esset, ut utraque illa generalis delegatio parochis non esset permissa, nisi accedente Ordinarii approbatione et delegatione una cum facultate subdelegandi; insuper ut eadem mutua generalis delegatio limitanda esset ad casum, quo res per petitionem proclamationum factam non iam esset integra, idest restringenda ad solos parochos domicilii a sponsis relicti et quoad durationem ita determinanda esset ut exspiraret, si a die ultimae proclamationis (exclusive) elapsi essent duo menses seu sexaginta dies completi vel tot dies completi, quot iuxta dioecesana statuta requirebantur ut denuo fierent proclamationes, si intra illud tempus matrimonium non fuisset celebratum: optandum vero ut Emus Archiepiscopus uteretur ea facultate tantummodo pro maioribus suae archidioecesis civitatibus.

Haec licentia autem generaliter se delegandi facilius concedenda videtur missionariis ob necessitatem, quae exsurgit ex ipso statu et conditione missionum.

Hinc sequens dubium sic resolvendum putarem:

IV. *Utrum ad validam et licitam matrimonii assistentiam, de qua in articulo VI decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.*

R. *Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo, et restrictam ad territorium delegantis.*

Plura proposita sunt dubia quoad articulum VIII decreti. In eo statuitur, quod « si contingat, ut in aliqua regione parochus locive Ordi-

---

(1) S. C. C. in *Colonien.* et *Aquisgranen.* 18 Mart. 1893.

(2) S. U. I. 9 Nov. 1898.

narius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ».

In quo articulo ante omnia notandum est agi de defectu sacerdotis idonei in *regione* aliqua. Regio autem non solum significat regnum aut provinciam aut urbem, sed etiam oppidum, pagum, parochiam aliquam; decretum enim consulto usum est verbo quodam indeterminato, ut facilius consuleret necessitatibus, in quibus fideles versari possent, in locis praesertim missionis. Patet enim, quod etsi ex praescriptione formae substantialis servandae in celebratione matrimonii multa commoda proveniunt, ea tamen non ita est urgenda ut nimis coarctet naturale ius contrahendi nuptias, secus lex nociva et periculosa evaderet.

Debet autem verificari defectus parochi seu loci Ordinarii aut sacerdotis ab eis delegati. Sed quaeri statim potest, quid haec verba significent. Scilicet an agitur hic de parocho loci, aut de alio quocumque parocho? Ex. gr. Titius et Titia volunt matrimonium contrahere. Morantur in pago B., in quo tamen mortuus est parochus ex improviso ante mensem. Episcopus longe distans non potuit adhuc succurrere necessitati illius parochiae, quia mortem parochi ignorans nondum potuit vicino parocho committere provisoriam illius parochiae curam. Attamen Titius et Titia possent sine gravi difficultate ad vicinum illum parochum accedere et coram eo contrahere. An, hoc non obstante, possunt hi frui privilegio articuli VIII decreti?

Quoad hoc notandum est ante omnia, decretum relate ad hunc casum, in quo verificatur defectus parochi etc., nihil aliud fecisse, nisi antiquam disciplinam vigentem in locis, ubi promulgata fuerat lex tridentina, paucis immutatis, consecrare. Haec autem disciplina his comprehendebatur: Excusabat scilicet a lege tridentina impotentia adeundi parochum vel Episcopum, certo si communis erat et per spatium mensis perduratura existimabatur (1); in casu autem matrimonium contrahendum erat coram duobus testibus (2); impotentia autem haec tunc verificari censebatur, quum in loco, ubi matrimonium contrahebatur, vel in vicino, ad quem sine periculo accedi posset, parochus vel alius sacerdos delegatus non exsisteret (3).

(1) S. U. I. ad Ep. Vallispraten. 1 Iul. 1863, 14 Nov. 1883; Instr. S. C. P. F. 27 Iun. 1625 etc.; S. C. C. pluries.

(2) Cfr. S. C. C. ad Ep. Tricarien. 13 Ian. 1663; litt. Pii VI ad Ep. Lucion. 28 Maii 1793; S. C. P. F. 4 Ian. 1798, ad Ep. Quebecen. 17 Nov. 1835.

(3) S. U. I. ad Vic. Ap. Sutchuen. 15 Ian. 1784.

Dixi, *paucis immutatis* decretum consecrasse antiquam disciplinam sub lege tridentina vigentem. Nam antiquitus defectus parochi etc. fundabatur in praevisione, ex nova disciplina non item. Et re quidem vera antiquo iure ex decreto S. U. I. 1 Iul. 1863 ad Ep. Vallispraten. haec fuerant statuta: « Quando difficilis nec tutus est accessus, et ignoratur quandonam parochus haberi possit et *praevidetur* spatium saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit, qui vices parochi suppleat, matrimonium valere (Patres declararunt) absque praesentia parochi, servata tamen in eo, quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus ». In praesenti disciplina, in qua casus huiusmodi multo frequentiores erunt, quum ea ad universum orbem sese extendat, voluit Pontifex ut regula excusans desumeretur non ex praevisione, sed ex facto quodam certo; quodque, ut quisque videt, securius est et aptius pro praescriptione iuridica.

Porro, quum ita se res habeat, et decretum non aboleverit sed confirmaverit, generaliter loquendo, antiquam disciplinam quoad hoc, videtur mihi etiam in nova disciplina, iis solummodo exceptis, in quibus quoad casum nostrum antiquam correxit, omnia iuxta antiquam dimetienda esse. Porro in responsione S. U. I. ad Vic. Apost. Sutchuen. 15 Ian. 1784, in qua agitur de matrimoniis contractis coram testibus sed sine praesentia parochi, dicitur expresse: « Et etiamsi promulgata ea lex (tridentina) foret, valere tamén matrimonia in praesentia duorum testium tantum, quoties in loco, ubi matrimonium contrahitur, *vel in vicino, ad quem sine periculo accedi possit,* parochus vel alius sacerdos secularis vel regularis non exsistat ab Episcopo deputatus, haec pariter Apostolica Sedes pluries interrogata respondit ». Ergo ex antiqua disciplina, quae in hoc a novo decreto immutata non videtur, si quando in loco vicino ad quem sine periculo accedi poterat, exsistebat parochus etc., non poterat valide contrahi matrimonium sine parochi praesentia. Verum quidem est, quod in antiqua disciplina agebatur de eo, qui poterat et valide et licite assistere, dum in casu superius proposito ageretur de eo, qui in nova disciplina in casibus ordinariis licite non assisteret; et invocari proinde posset illud, quod habet Glossa in can. 15 C. XXII q. 4: « Solum illud dicimur posse facere, quod iuste facere possumus ». Sed attendendum est, quod, admissis etiam iis, quae a Glossa traduntur, quasi nempe iure applicarentur casui nostro, ex decreto tamen parochus, ad quem non pertinent sponsi nec ratione domicilii nec ratione menstruae commorationis, potest licite assistere eorum matrimonio, etiam sine ulla parochi sponsorum delegatione, ubi gravis intercedit necessitas,

quae in nostro casu certe intercederet, quemadmodum cavet expresse decretum § 3, articuli V.

Multo magis quod ex tota indole iuris nostri et ex apertis declarationibus auctoritatis ecclesiasticae extra dubium est, mentem Ecclesiae esse, ut matrimonia non sine sacerdotis praesentia contrahantur. Impossibilitas ergo, in qua liceat matrimonium contrahere sine parochi praesentia, stricte omnino interpretanda videtur.

Quare, quamvis non possim approbare sententiam Haring (1), qui vult impossibilitatem, de qua hic quaestio est, extendendam esse ad quemcumque sacerdotem, ita etiam non videtur mihi subscribendum sententiae Desmet (2) et aliorum, qui putant impossibilitatem istam restringendam ad parochum seu Ordinarium loci, in quo matrimonium contrahendum est, vel eorum delegatum. Hinc in casu proposito dicerem Titium et Titiam invalide contracturos sine praesentia illius parochi, ad quem in vicinum locum sine incommodo accedere possunt.

Non diffiteor tamen, quod videri forte non immerito posset, melius fore ut contrarium sanciretur; praescriptio enim legis clarior esset et forte pluribus dubiis et anxietatibus occurreret. Hoc autem a sapientia EE. VV. diiudicandum erit, Emi Patres, qui optime poteritis contrarium sancire, facto etiam verbo cum SSmo, si expedire vobis videbitur.

Defectus autem parochi etc., de quo agitur in hoc articulo decreti, probe etiam in ipso decreto determinatur et non consistit in *absentia* parochi, quemadmodum locum habebat in antiqua disciplina, in qua agebatur de parocho, qui ex metu abesset aut de quo ignoraretur, ubinam esset (3), vel de parocho, qui omnino non adesset aut cuius adeundi libera potestas non esset (4), vel de quo praevideretur saltem spatio unius mensis abfuturus (5); sed in *impossibilitate* eum habendi. Dicitur enim in decreto: « Si contingat ut in aliqua regione parochus... *haberi non possit* ». Hinc ad contrahendum validum matrimonium sine praesentia parochi, praeter alia, requiritur, quod parochum partes habere non possint. Quare si defectus non est omnino extrinsecus a voluntate partium, matrimonium sine praesentia parochi contractum nullum, mea sententia, erit.

(1) Das neue Ehedecret *Ne temere*, pag. 17. 23.
(2) Comm. in decr. 2 Aug. 1907 *de sponsal. et matr.*, pag. 32.
(3) S. C. C. ad Ep. Tricarien. 18 Ian. 1663.
(4) S. U. I. ad Ep. Quebecen. 17 Nov. 1835.
(5) S. U. I. ad Ep. Vallispraten. 1 Iul. 1863.

Ex his omnibus sic resolverem sequentia dubia:

V. *An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit, in quibus tamen is, si peteretur, haberi posset vel ad eum seu alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, sine gravi incommodo sponsi possent accedere, matrimonia contracta sine eius praesentia, retinenda sint uti valida* (1).

R. *Negative.*

Quoad hunc articulum VIII decreti aliud dubium proponitur a Vicario Apostolico Coreae. Is exponit, aliquando missionarios occasione deferendi sacramenta moribundis transire per aliquam regionem, a qua iam aberant a mense et amplius. Quaerit autem, num haec parva praesentia missionarii in loco interrumpat impossibilitatem praescriptam a decreto, quae per integrum mensem perduraverit, ad valide contrahendum coram testibus sine parocho. Multo magis quod saepe parochus mere transit, nullum eo loci ministerium exercet, saepe plerique fideles transitum ipsum missionarii ignorant.

Dubium non difficile solvi posse videtur. Decretum enim non requirit absentiam parochi, sed impossibilitatem eum habendi. Si igitur ita transit ut non subsistat paullisper ad exercenda ministeria necessaria in bonum alicuius christianitatis, pro iis fidelibus impossibilitas eum habendi perdurat semper et numquam cessavit. Aliud dicendum esset, mea sententia, si missionarius per locum transiturus admoneret fideles se aliquot horas substiturum in loco, ibique peracturum ea, quae necessaria sunt.

Quare sic resolverem sequens dubium:

VI. *Utrum ratione momentanei transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum conditio, de qua in articulo VIII decreti.*

R. *Affirmative, si missionarii transitus a fidelibus cognoscatur et missionarius transiens volentibus suum paratus sit ministerium praebere; secus negative.*

Ultimo loco examinandae sunt difficultates, quas proponunt, et dispensationes aut derogationes decreti, quas expostulant nonnulli Episcopi, praesertim vero Vicarii Apostolici in Sinis.

Novem Vicarii Apostolici Sinenses exponunt suis in regionibus spon-

(1) Dubium propositum est a Vicario Apostolico Novae Caledoniae, et supponit absentiam parochi.

salia a parentibus pro filiis contrahi. Sponsalia ita contracta ab auctoritate civili habentur ut valida. Putant autem exinde necessitatem induci ut talia sponsalia ab Ecclesia etiam valida et licita habeantur; quaerunt proinde abrogationem pro Sinis vel saltem suspensionem decreti quoad sponsalia.

Quoad hoc, si meam sententiam aperire debeam, videtur mihi nullo modo recedendum esse a decreti praescriptionibus, nullam etiam dispensationem esse concedendam. Ex eo moveor, quod agitur de re facultativa, quae a iure numquam exigitur; potest enim matrimonium contrahi quin praecedant sponsalia. Si igitur obtineri difficile poterit quod fideles sponsalia contrahant servata forma decreti, difficile erit quod illis in regionibus locum habeant sponsalia valida, quae canonicos sortiantur effectus. Quod certe nullum producet grave inconveniens; eo vel magis quod si quorum interesset sponsalia ante matrimonium contrahere, iis aperta via est, conformando scilicet se Ecclesiae praescriptionibus. Ex altera parte recedere a decreto pro Sinis inconveniens gravissimum produceret, quum abrumperet eam disciplinae unitatem quoad hanc rem, quam decretum curare induxit et quae in aliqua societate servanda est, quoad eius fieri potest. Quod autem lex civilis valida habeat sponsalia inita ex Sinensi consuetudine, alia scilicet ratione ab ea, quae praescribitur in decreto, nihil videtur contra efficere; non solum quia lex civilis quoad hoc est incompetens, sed etiam quia nullum per se inconveniens in hoc habetur, quod alicui actui coram Ecclesia nullo et invalido auctoritas civilis suam largiatur iuridicam tuitionem.

His addendum, quod, si vere sponsalia ita iniri mos fuit in Sinis, quemadmodum ex missionariorum relatione erui videtur, ut a parentibus pro filiis omnino insciis contraherentur, quaestio non immerito esse posset de eorum validitate etiam in antiquo iure. Numquam enim Ecclesia excludere voluit consensum ipsarum partium pro validitate sponsalium; et si quando valida habuit sponsalia a parentibus pro filiis contracta, id tunc unice procedere statuit, quum parentes contraherent sponsalia filiis praesentibus et non contradicentibus, vel filiis absentibus et postea ratihabentibus. Quae doctrina a Bonifacio VIII in *cap. un. de desp. impub.* *§ 2* tradita explicat duriores quasdam expressiones, quae in cap. 1 eiusd. tit. in Decretalibus Gregorii IX ex Honorio, vel ut alii volunt Hormisda, inveniuntur.

Quoad tertiam partem dubii non spernenda potest esse dubitandi ratio. Scilicet non solum quaestio fieri potest, utrum matrimonia, de quibus in casu, contrahi permittenda sint cum dispensatione a forma

substantiali, sed etiam an revera lege ipsa formam substantialem cum irritatione praescribente teneantur et regantur.

Agitur enim de catholicis, qui certe decreto tenentur, sed quia sub potestate paganorum constituti sunt, decreti praescriptiones servare non possunt. Hoc quidem non bene eruitur a dubii formula, sed constat ex petitionibus Vicariorum Apostolicorum Sinensium. Sic ex. gr. inter alios Vicarius Apostolicus Tchely-Orientalis, petens facultatem in proposito casu dispensandi a praesentia parochi vel Ordinarii, hanc reddit rationem: « evenire enim potest ut tales, sive pagani sive apostatae, non sinant nupturientes se sistere coram parocho etc. ».

Exinde melius definitur quaestio. Antiquo iure disputatum valde fuit, an lex tridentina cessaret in casu, quo impossibilitas adeundi parochum non esset quidem communis (nam in hoc casu omnes conveniebant cessare, ut supra dixi, et haec sententia pluribus responsionibus SS. RR. CC. firmata fuit), sed tantummodo particularis. Quoad hanc quaestionem placet ea referre, quae scite disputat Ballerini *(Opus morale III, 319 seqq.)* quaeque quaestionem mirifice dilucidant. Dicit igitur: « Iam vero S. Alphonsus, qui alioquin *(VI, 1079)* agens de impedimento clandestinitatis, negat pro particulari casu cessare legem tridentinam irritantem etiam in hypothesi necessitatis, alibi tamen *(de privilegiis, n. 57)* haec scribit: – Imo asserit Pignatellus probatque *(tom. 3, cons. 66, n. 5)* in tali casu urgentis necessitatis cessare non modo reservationem *(scil. dispensationis)* sed etiam legem impedimenti, utpote quae iam perniciosa evaserit: quum certum omnino sit, legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum s. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncaglia et Instructor novor. Confessarior. *(scilic. Giordanini)*, quod adveniente casu quo sponsi iam ad ecclesiam pervenerint et unus ex ipsis manifestaret confessario impedimentum occultum iam contractum tamquam peccatum et sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc confessarius declarare eo casu non obligare legem impedimenti et posse licite contrahi. – Alia autem huius necessitatis exempla promunt tum Franciscus Amici, tum Iacobus a Graffis... tum promit etiam sup. laudatus Pignatelli, qui de celebrando matrimonio morte instante disserit. Alioquin autem rationes omnes, quae pro negante sententia afferri solent, hac demum unica, diversis modis proposita, continentur, quod decretum tridentinum sit invalidans et irritans. At enim nonne aeque invalidans et irritans et reddens inhabiles ad contrahendum erat impedimentum, de quo superius idem S. Alphonsus cum Pignatelli aliisque ibi allegatis agebant? Et, quod caput est, undenam est ratio discriminis inter casum impotentiae communis et impotentiae particularis?... Regula

est utique, nullum esse actum, cui desit forma substantialis; attamen iurisconsultus Albertus Brunus *(de forma et solemnitate secundum iuristas)* a Barbosa allegatus *(de off. et pot. par., part. 2, c. 21, n. 81)* praedicto principio: *quod nullus sit actus, si non servetur forma substantialis,* quadraginta apponit exceptiones seu limitationes... Trigesimaquarta vero est huiusmodi: Trigesimo quarto: Praedicta regula, quod, non servata forma, actus sit nullus, limitatur ut non procedat *in impedito formam implere* ac solemnitates adhibere; quod multipliciter contingit ».

Haec omnia spectant casum nostrum. Nec decretum in contrarium est. Etsi enim articulus VIII decreti praeviderit casum de impotentia communi et statuerit tunc non esse necesse servare formam substantialem, nisi in iis, quae factu possibilia sunt, casum hunc de impotentia particulari, quidquid alii dixerint, non attigit, sed quaestionem reliquit in statu quo antea. Posset autem nunc expresse quaestio definiri in sensum affirmantem, extendendo scilicet ad casum impotentiae particularis ea, quae pro casu communis impotentiae statuta sunt. Quod si hoc non placet et mens sit relinquendi insolutam eam quaestionem, quae contra sententiam negantem plures habet et gravissimas et maxime delicatas difficultates, concedenda videretur pro casu proposito Vicariis Apostolicis Sinensibus facultas dispensandi a necessitate praesentiae parochi vel Ordinarii. Quae facultas dispensandi concedenda mihi videtur etiam pro casu, de quo agitur in secunda parte istius dubii, quando scilicet non agatur de catholicis sub potestate paganorum exsistentibus, sed de aliis, si quando impossibile sit inducere partem paganam ad se coram parocho sistendum. Ratio autem est, quia in Sinis seu in regione maxima ex parte pagana saepe necessitas erit indulgendi matrimonia inter baptizatos et non baptizatos, quae necessitas non habetur in regionibus, quae constant plerumque individuis baptizatis; non baptizatos autem in Sinis ad parochum catholicum venturos frustra, Vicariis Apostolicis testibus, quis speraret.

Quare sic resolvendum putarem dubium:

VII. – *An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium praesertim:*

a) quoad sponsalium celebrationem,

b) quoad matrimonia contracta ex dispensatione a baptizatis cum non baptizatis,

c) quoad matrimonia contracta inter catholicos, qui sub paganorum potestate constituti sunt.

R. *Ad 1um negative; ad 2um affirmative seu concedendam esse fa-*

cultatem dispensandi etiam a forma substantiali pro casibus verae necessitatis; ad 3um si vere impediantur a dominis paganis, ne forma substantialem servent, non egere dispensatione, secus affirmative prouti ad 2um; - vel si magis placet: *ad 2um et ad 3um affirmative etc.*

Difficilius quoddam dubium circa articulum VIII decreti proponitur ab Archiepiscopo Episcopo Iassiensi. Is exponit in Rumania ab auctoritate seu lege civili prohiberi, ne parochus religiosum matrimonium eorum celebrare audeat, qui civilem matrimonii ceremoniam prius non peregerunt. Parochis contravenientibus poena imponitur, si primum legem fregerint, mulcta libellarum 100-1000; si iterato aut pluries, carcer extendendus ad duos usque annos.

Nec iste est casus, qui in Rumania tantum locum habeat. Verificatur etiam plus minusve in Hollandia, Belgio, Republica Uruguayana etc.

Quomodo huic casui occurrendum? Vermeersch (1) proponit, permittendum esse nupturientibus ut matrimonium sine parochi assistentia contrahere possint, dummodo tamen parochus competens scripto eis declaraverit, se, consulto Ordinario, eorum matrimonio interesse non posse. Quod quidem non spernendas afferret utilitates, quia sic melius constaret de necessitate contrahendi matrimonium sine praesentia parochi, resque non omnino maneret in iudicio et arbitrio partium. Verum et sua habet incommoda; non solum quia non fundatur in interpretatione decreti sed decreto aliquid addit, sed praesertim quia difficultati non cavet. Etsi enim hoc forte pro Belgio efficere posset, ut parochi comminatas poenas effugerent, id certo pro aliis locis non sufficeret et parochus tradens eam scriptam attestationem poenis non secus ac si personaliter assisteret, fieret obnoxius.

Mea quidem sententia, si sistamus intra limites interpretationis, videtur dicendum, sponsos in tali casu contrahere ex ipso decreto posse sine assistentia parochi, dummodo tamen hoc intelligatur intra limites, quos mox exponam.

Scilicet, ut supra etiam innui, in hypothesi agitur praecise de casu excepto, quem contemplatur decretum in articulo octavo. Ibidem enim dicitur ea dispositio valere, si conditiones alicuius regionis eae sint (et hoc a mense verificetur) ut parochus *haberi non possit;* ubi ea verba consulto posita videntur, nec dictum est: ut parochus *absens sit*. Porro videtur mihi impossibilitas ista non referenda tantummodo ad casum,

(1) Loc. cit., ed. 4, n. 99.

in quo parochus physice impossibilitetur, ut ita dicam, assistere, sed etiam ad casum, in quo aliunde, ex. gr. ex imperio legis poenas minitantis, prohibetur ab assistendo.

Hoc autem, quod erui mihi videtur ex ipsa recta analysi textus decreti, confirmatur ex ipso spiritu et indole legislationis nostrae, circa quam ea in mentem revocanda sunt, quae iam, tridentino iure vigente, S. Congregatio de Prop. Fide anno 1785 pro insula Curaçao decrevit, in qua casus iste verificabatur. Relatum enim fuerat S. Congregationi in ea insula legem latam fuisse vetantem catholicis, ne contraherent matrimonium coram proprio parocho, nisi prius contraxissent coram magistratu acatholico et ministro protestante, sub poena 500 florenorum a parocho catholico solvendorum; si autem vellent contrahere coram magistratu acatholico vel ministro protestante ut 50 florenos solverent. Quare Praefectus missionis referebat, vere pauperes nullo modo matrimonium posse contrahere. His stantibus, S. Congregatio respondit: « Parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum, ac illorum inopiam veram esse, permittat ut absque etiam sua assistentia, matrimonium ineant... Ita se gerat Praefectus missionis in casu necessitatis et magnae contrahentium inopiae. Videat tamen, ne sub paupertatis praetextu fraus aliqua fiat contra tridentini Concilii decretum etc. ».

Verum, ut supra adnotavi, et patet ex ipsa decreti analysi, ad hoc ut quis possit matrimonium contrahere sine parochi praesentia, necesse est ut defectus parochi seu impossibilitas eum habendi omnino extrinseca sit a voluntate partium. Quare si quando in casu nostro praemitti posset ceremonia civilis, partes, quae sine parocho contraherent, invalide agerent. Et quum generatim loquendo nulla sit difficultas praemittendi ceremoniam civilem, in locis etiam, ubi iniqua haec lex viget, rari admodum erunt casus, in quibus poterunt nupturientes sine parocho aut sacerdote contrahere; qui imo fere unice coarctandi erunt ad casum mortis instantis.

Ceterum patet in casu talis legis exsistentis nec parochos cogi posse ad assistendum, nec partibus denegandum matrimonium, quod saepe, in articulo mortis, necessarium erit ad ipsam aeternam unius vel alterius partis salutem. De quo remedio egentibus praebendo semper sollicita fuit Ecclesia, quemadmodum patet ex ipso nostro decreto art. VII.

Praescribi tamen posset ut ad liceitatem partes ad matrimonium taliter contrahendum non procederent inconsulto parocho, qui licentiam concedat, non quidem scriptam, nec coram testibus, quum hoc modo saepe poenas non evaderet, sed oraliter tantum.

Patet etiam ex dictis, in casu, quo lex civilis vetans parochis activam assistentiam matrimoniis contrahendis ante civilem ceremoniam permitteret tamen assistentiam passivam, sponsos, qui sine parochi assistentia contraherent, etsi valide agerent (quum ex decreto nemo valide assistat, qui passive tantum assistit; ex quo sequitur possibilitatem istius passivae assistentiae pro validitate computandam non esse) acturos tamen contra mentem et spiritum Ecclesiae, si passiva ista assistentia parochi aut sacerdotis praetermissa, contraherent tantummodo coram testibus.

Ex his sic resolverem dubium:

VIII. – *An quum ex una parte lex civilis parochis impossibile reddit matrimoniis fidelium assistere, nisi praemissa fuerit ceremonia civilis, ex alia vero haec ipsa civilis ceremonia praemitti non possit, applicari possint dispositiones articuli VIII decreti.*

R. *Affirmative, sed partes stricta obligatione tenentur licentiam contrahendi coram testibus tantum a parocho vel ab Ordinario obtinere.*

Haec, quae pro meo modulo hic disputavi, intelligenti Eminentiarum Vestrarum iudicio plene et volenti animo submitto.

Romae ex Univ. Greg., die 8 Iul. 1908.

BENEDICTUS OIETTI, S. I.

EX S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

Conceditur ad annum prorogatio decreti "Ne temere" in Sinis.

Illme ac Rme Domine,

Post latum a S. Congregatione Concilii die 2 mensis augusti superioris anni, iussu et auctoritate Pii PP. X, decretum *Ne temere* de sponsalibus et matrimonio, nonnulli regionis Sinensis Ordinarii ab hac S. Congregatione Fidei Propagandae praeposita dilationem petierunt ad congruum tempus pro publicatione et applicatione supra citati decreti. Quas preces cum in audientia diei 26 vertentis mensis februarii SSmo Dño Nostro Pio PP. X retulerim, eadem San-

ctitas Sua praedictorum preces benigne excipiens, S. Congregationi de Propaganda Fide commisit ut pro tota regione Sinensi concedere posset prorogationem ad annum, hoc sensu ut praefatum decretum in Sinensi territorio vim legis incipiat habere a die sollemni Paschae Rusurrectionis D. N. Iesu Christi anni millesimi nongentesimi noni.

Potestate itaque mihi facta a SSmo Dño Nostro, Amplitudini Tuae significo decretum *Ne temere* in Missione tuis apostolicis curis concredita vim legis non habere nisi a die sollemni Paschae proximi anni. Interim Deum precor ut Te diu sospitem incolumemque servet.

Datum Romae ex aedibus S. C. Propagandae Fidei, die 29 Februarii 1908.

Amplitudinis Tuae

addictissimus servus
Fr. H. M. Card. Gotti, *Praefectus.*
Aloisius Veccia, *Secretarius.*

De matrimonio infidelium et de privilegio Paulino.

30 Aprile 1908.

Illmo e Rmo Signore,

Esaminati dalla suprema Congne del S. Officio i 3 casi matrimoniali: Makasi-Marikubu, Bieka-Kange, e Molimu-Boweia, esposti da V. S. per mezzo del P. Procuratore del suo Istituto a Roma (1), gli Emi Inquisitori generali come ri-

(1) Huiusmodi casus a Vicario Apostolico ex Africa propositi ita summarie referri possunt: 1°. Duo catechumeni, Makasi (vir) et Marikubu (femina) die 21 dec. 1901 civiles contraxere nuptias. Mox discordia nata, Marikubu virum reliquit et in alia regione evasit concubina alius nigritiae. Postea sedem denuo mutavit. Tribus a coniugum separatione elapsis annis, missionarius, mulierem paganam existimans, votis viri annuit eique baptismum contulit, persuasus usum privilegii Paulini subinde ei permitti posse. Postea autem accepit, Marikubu, celato priore

sulta da officiale comunicazione del 22 del corrente mese hanno emesso in ordine al primo caso, cioè al matrimonio del catecumeno Makasi colla catecumena Marikubu il seguente decreto: « Interrogetur vir, et si iureiurando affirmat se numquam intendisse indissolubili vinculo se uniri mulieri, sed eam sibi copulasse animo post aliquod elapsum tempus dimittendi, et post institutum diligens examen omnium adiunctorum circa ipsius credibilitatem nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate, permitti poterit ut cum alia catholica muliere ineat matrimonium. Quod si vero negative responderit,

---

matrimonio cum Makasi, ab alio missionario esse baptizatam et religiosas nuptias contraxisse cum quodam christiano. Makasi hactenus alia uxore sumenda abstinuit. Observandum porro est de vi matrimonii istius civilis non levem fieri quaestionem. Saepe enim in contrahentibus verus consensus desideratur. Namque, cum civilis lex divortium propter certas causas admittat, civile matrimonium ab indigenis parvipendi consuevit, ita ut multi matrimonium civile non considerent nisi ut modum pacifice possidendi feminam, quam ad arbitrium suum, v. gr. cum patriam (vicum suum) repetierint, dimittere in animo habent. Hinc quaeritur: An forsan aliqua via patet infelici Ambrosio (Makasi) ineundi matrimonium cum alia muliere christiana, vel declaratione facta nullitatis primi matrimonii in infidelitate, seu civilis, ob defectum consensus in verum et indissolubile matrimonium; vel dispensatione in matrimonio rato et non consummato post baptismum. (Probatio facile fieri potest). 2°. Bieka (vir) et Kange (femina) civiliter coniuncti, dein continuis altercationibus separati, ambo in diversa civitate scholas catecheticas assidue frequentant. Frustra tentata reconciliatione, vir baptizatur et uxorem recipere recusat et declarat nullam aliam ducere velle. Mulier ipsa renuit cum viro cohabitare, baptismi est avidissima sed alius christiani est concubina. Quid de baptismo, quid de conditione coniugali infelicis feminae? 3°. Molimu (vir) et Boweia (femina), legitimo matrimonio coniuncti, a duobus annis in catholica religione erudiuntur. Mutua aversione et iurgiis sunt ab anno separati. Uter sit magis culpandus, dici nequeat. Frustra conatus facti sunt ad eos reconciliandos. De cetero, bene instructi et dispositi, baptizari maxime cupiunt. Missionarius, qui persuasum habet nullam superesse reconciliationis spem, nec eos baptizare volens quin simul periculo incontinentiae remedium quaesierit rogat num, ad normam decreti S. Officii 26 Aprilis 1899 (Coll. P. F. 2 ed. n. 2044) hoc modo agere possit: Baptizarit maritum, uxorem interpellarit, quae cohabitationem recusatura est. Responso isto accepto, vir, privilegio Paulino usus, aliam duxerit uxorem. Soluto sic priore coniugio, Boweia ipsa baptizari possit et alii viro christiano nubere *(N. R.)*.

vel serium dubium de validitate matrimonii vel de credibilitate viri superfuerit, relatis omnibus iterum recurrat. Prae oculis insuper habeatur, virum et feminam esse catechumenos; et huiusmodi ob causam, non posse facile in iisdem supponi tam profundam ignorantiam indissolubilitatis matrimonii. Persuasio autem de veritate rerum assertarum a viro, praeterquam ex ipsius iureiurando, efformetur etiam ex omnibus adiunctis ».

Quanto al secondo caso, al matrimonio cioè dell' uomo Bieka colla donna Kange, la quale essendo catecumena domanda il battesimo, ma vive in concubinato con altro cristiano, la suprema Congñe ha risposto: « Quoad baptismum stet decreto fer. IV diei 21 Novembris 1883, quo decreto ad quaesitum Vic. Ap. Bengal: *se si possa lecitamente amministrare il battesimo a quei catecumeni che vogliono approfittare del privilegio Paolino, ma che in nessun modo sono disposti a riunirsi col proprio consorte infedele qualora questi si dichiarasse pronto a vivere* sine contumelia Creatoris *con la parte battezzata,* responsum est: negative ». Quod ad matrimonium curet R. P. D. Vicarius Apostolicus ut vir Bieka ad bonam adducatur frugem. Eum interroget sicut in responsione ad primum dictum est. Quod si vero matrimonium validum fuisse comperitur, inducatur ad interpellandam primam uxorem adhuc infidelem, et habita negativa responsione, matrimonium contrahat cum catholica muliere; quo facto provideatur, prout de iure, statui infelicis mulieris Kange ».

Quanto al terzo caso, cioè al matrimonio del catecumeno Molimu colla catecumena Boweia ora separati, pei quali V. S. domanda se possa regolarsi così: « battezzare prima il Molimu; interpellare poi la Boweia, che certo risponderà di no; permettere quindi all' uomo di passare ad altre nozze, colle quali si scioglierebbe il primo matrimonio, e recatasi libera la Boweia questa riceverebbe il battesimo e si sposerebbe ad un altro cristiano »; la S. Congñe ha risposto: « Ne-

gative, et missionarii prae oculis habeant decretum S. Officii 21 Novembris 1883, supra communicatum. Quodsi alteruter coniugum ad veram poenitentiam et rectam ad baptismum dispositionem adductus, dispositus sit ad reconciliandum se legitimo coniugi et promptus ad convivendum cum ipso sine contumelia Creatoris, huic baptismus ministrari poterit, et facta legitima interpellatione, habitaque negativa responsione, permitti ut ad alias nuptias transeat ».

Augurandole da Dio, ecc.

F. M. G. Card. Gotti, *Prefetto*
Luigi Veccia, *Segretario.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Celebratio Missae permittitur sacerdoti absque brachio dextero.

Beatissime Pater,

B... D... sacerdos in dioecesi C... degens, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, exponit sibi, a quatuor annis sacerdoti, amputatum fuisse, ob morbum, brachium dexterum. Nunc vero enixis precibus implorat ut indultum Apostolicum tribuatur quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrare possit, ne diutius ab hac spirituali consolatione privetur.

Et Deus.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente me infrascripto Cardinali S. Rituum Congregationi Praefecto, attentis expositis ac praesertim commendationis officio Revmi Ordinarii Archidioecesis C..., preces remisit prudenti ipsius Rmi Ordinarii arbitrio, ut postquam ex praehabito experimento coram caeremoniarum magistro, de debita ac reverente Missae celebratione iudicaverit, nomine et auctoritate Sanctae Sedis, suprascripto oratori permittat in aliquo pri-

vato sacello sacrosanctum Missae sacrificium celebrare, cum adsistentia alterius sacerdotis superpelliceo induti. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Aprilis 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

SUPERIOREN.

Circa formam ostii in tabernaculo SS. Sacramenti (1).

Quum a Sacrorum Rituum Congregatione expostularetur, an sit commendandum tabernaculum ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservandum, ab artificibus *The Rauwald ecclesiastical art Mfg. C.* ita infectum ut idem tabernaculum quidem sit fixum, ostium vero semicirculare globulis impositum sine cardinibus aperiendo et claudendo volvatur; Sacra Rituum Congregatio, die 1 Aprilis nuper elapsi, respondit negotium spectare ad ipsos locorum Ordinarios.

Quo vero securius procedat in approbando eiusmodi tabernaculum Rm̃us Dñus Augustinus Schinner, Episcopus Superiorensis, ab eadem Sacra Rituum Congregatione reverenter expetivit, an satisfaciat regulis liturgicis descripta forma ostii semicircularis, quod globulis impositum sine cardinibus volvitur, ita ut ex hac parte nihil obstet quominus ab Episcopo sacerdotibus commendetur, vel debeat tabernaculum instrui ostio vel ianuis, quae cardinibus adhaereant, atque ita volvantur. Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, propositae quaestioni ita respondere censuit: In casu, per se nihil obstare, de cetero ad Revm̃um Episcopum.

Atque ita rescripsit, die 8 Maii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Praesens decretum refertur ad custodiam SSm̃i Sacramenti, de qua iam supra loquuti fuimus. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 41, pag. 347 *(N. R.).*

GALLIPOLITANA

De distantia altaris a loculis, et de altaribus mobilibus in sepulcretis.

Rmus dnus Caietanus Muller, Episcopus Gallipolitanus, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit, nimirum:

In sepulcreto civitatis Gallipolitanae tum confraternitates tum privatae familiae habent sua sacella, in quibus cadavera sepeliuntur in loculis. At huiusmodi sacella valde exigua sunt et angusta, ita ut vix aliquod eorum habeat quatuor metra longitudinis, tria vero latitudinis; altaria autem non distant in eis tres cubitos, seu unum metrum, a loculis, sed pauca centimetra. Insuper in aliquibus sacellis habetur altare ex ligno confectum cum lapide consecrato infixo in medio mensae; sed altare mobile est, ita ut ad libitum transferatur de uno in alio loco eiusdem sacelli. Quaeritur:

I. Utrum permitti possit Missae celebratio in istis sacellis, in quibus non habetur praescripta distantia altarium a loculis?

II. Utrum altaria mobilia, sensu exposito, tolerari possint?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae voto omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Negative iuxta decretum n. 3944 *Romana* 12 Ianuarii 1899 ad II (1),

---

(1) Hoc decretum *Romana* relatum invenitur in *Acta S. Sedis*, vol. 29, pag. 504; verum *Collectio authentica* S. C. Rituum postea edita aliud dubium addidit, quod est secundum, ita se habens: « Quaenam distantia intercedere debet inter altare et cadavera quae in coemeteriis vel ecclesiis sepulta sunt? », et responsum prodiit: « Cadavera ab altari tribus cubitis distare debere; et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis; atque hanc distantiam sepulcrorum ab altari sufficere ». Aliquando tamen S. Sedes, praesertim quoad sacella iam extructa, dispensare solet ut in iisdem Missa celebretur *(N. R.)*.

Ad II. Affirmative, dummodo mensa solidis basibus adhaereat et altare ipsum in uno tantum loco stabiliter collocetur.

Atque ita rescripsit, die 19 Iunii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Indulgentia plenaria conceditur recitantibus actum consecrationis SS. Cordi Iesu.

Très Saint Père,

Humblement prosternée aux pieds de Votre Sainteté, la Baronne de Saint Trivier expose ce qui suit :

Dépuis une quinzaine d'années la suppliante s'occupe de la diffusion de la première consécration au Sacré-Cœur de Jésus composée par la Bienheureuse Marguerite-Marie Alacoque. Le 1 Juin 1897, le Pape Léon XIII a daigné enrichir cet acte de 300 jours d'indulgence. Désirant par cette prière attirer des nouvelles bénédictions sur les âmes, la propagatrice supplie Votre Sainteté d'accorder la faveur de l'indulgence plénière, une fois par mois, à toutes les personnes qui récitent cette consécration au Sacré Cœur de Jésus.

Et que Dieu etc.

Ex audientia SSm̃i, die 21 Aprilis 1908.

SS. D. N. Pius PP. X, attenta Em̃i Cardinalis Archiepiscopi Lugdunensis commendatione, universis christifidelibus, qui quotidie per integrum mensem praefatum Consecrationis actum devote recitaverint, plenariam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem benigne concessit, semel infra mensis spatium lucrandam, die ad uniuscuiusque fidelis libitum eli-

genda, qua ipsi confessi ac Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint ibique ad mentem Sanctitatis Suae oraverint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 30 Maii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro invocatione ad obtinendam unitatem mentium et cordium.

Très Saint Père,

La Supérieure générale des Petites Sœurs de l'Assomption, Garde-Malades des pauvres à domicile, humblement prosternée aux pieds de Votre Sainteté, la supplie de daigner accorder une indulgence de 300 jours, *toties quoties* à la prière suivante que le Révme Père Pernet fondateur des Petites Sœurs de l'Assomption aimait à dire souvent et qui semble plus opportune que jamais aujourd'hui que tant de dissentiments divisent les catholiques: *Deus meus, fac sit unitas mentium in veritate et unitas cordium in caritate.* (Mon Dieu, faites l'unité des esprits dans la vérité et l'union des cœurs dans la charité).

Iuxta preces in Domino.

Die 16 Maii 1908.

PIUS PP. X

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 30 Maii 1908.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia plenaria adnectitur orationi pro consecratione familiae SS. Cordi Iesu.

Beatissime Pater,

Fr. Iacobus Bund, Procurator generalis congregationis Sacrorum Cordium vulgo dictae *de Picpus* ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter exponit, congregationem pro fine habere cultum erga SS. Cor Iesu et Immaculatum Cor Mariae fovere magisque in dies propagare; inter media autem adhibita eminere consecrationem familiarum Sacratissimo Cordi Iesu.

Ut haec praxis uberiores adhuc proferat fructus, humiliter efflagitat orator ut Sanctitas Vestra concedere dignetur indulgentiam plenariam defunctis applicabilem, in favore illorum fidelium qui, sacra communione refecti, sub sequenti formula sese suamque familiam Sacratissimo Cordi Iesu solemniter consecrant; lucrandam tum prima vice qua haec faciunt, tum deinceps semel in anno, die qua consecrationem solemniter renovant.

Et Deus.....

Iuxta preces in Domino.

Die 19 Maii 1908.

PIUS PP. X

CONSÉCRATION DE NOTRE FAMILLE AU SACRÉ CŒUR.

Cœur Sacré de Jésus, vous qui avez manifesté à la B. Marguerite Marie le désir de régner sur les familles chrétiennes, nous venons aujourd'hui proclamer votre Royauté la plus absolue sur la nôtre. Nous voulons vivre desormais de votre vie, nous voulons faire fleurir dans notre sein les vertus auxquelles vous avez promis la paix dès ici-bas, nous voulons bannir loin de nous l'esprit mondain que vous avez maudit.

Vous régnerez sur nos intelligences par la simplicité de notre foi, vous régnerez sur nos cœurs par l'amour sans réserve dont ils bruleront pour vous et dont nous entretiendrons la flamme par la réception fréquente de votre divine Eucharistie.

Daignez, ó divin Cœur, présider nos réunions, bénir nos entreprises spirituelles et temporelles, écarter nos soucis, sanctifier nos joies, soulager nos peines. Si jamais l'un ou l'autre d'entre nous avait le malheur de vous affliger, rappelez lui, ó cœur de Jésus, que vous êtes bon et miséricordieux pour le pécheur pénitent. Et quand sonnera l'heure de la séparation, quand la mort viendra jeter le deuil au milieu de nous, nous serons tous, et ceux qui partent et ceux qui restent, soumis à vos décrets éternels. Nous nous consolerons par la pensée qu'un jour viendra, où toute la famille, réunie au ciel, pourra chanter à jamais vos gloires et vos bienfaits.

Daigne le cœur immaculé de Marie, daigne le glorieux Patriarche Saint Joseph, vous présenter cette consécration et nous la rappeler tous les jours de notre vie!

Vive le Cœur de Jésus, notre Roi et notre Père!

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congñi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 15 Iunii 1908.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



EXHORTATIO AD CLERUM CATHOLICUM

SS. D. N. Pii div. prov. Papae X in quinquagesimo natali sacerdotii sui.

PIUS PP. X

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Haerent animo penitus, suntque plena formidinis, quae gentium Apostolus ad Hebraeos scribebat (1), quum illos commonens de obedientiae officio Praepositis debitae, gravissime affirmabat: *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Haec nimirum sententia si ad omnes pertinet, quotquot in Ecclesia praesunt, at maxime in Nos cadit, qui, licet impares, supremam in ea auctoritatem, Deo dante, obtinemus. Quare noctu atque interdiu sollicitudine affecti, meditari atque eniti non intermittimus quaecumque ad incolumitatem faciant et incrementa dominici gregis. Inter haec unum praecipue Nos occupat: homines sacri ordinis eos omnino esse, qui pro muneris officio esse debent. Persuasum enim habemus, hac maxime via de religionis statu bene esse laetiusque sperandum. Idcirco, statim ut Pontificatum inivimus, quamquam, universitatem cleri contuentibus, multiplices eius laudes elucebant, tamen venerabiles fratres catholici orbis Episcopos impensissime hortandos censuimus, ut nihil constantius nihil efficacius agerent, quam ut Christum formarent in iis, qui formando in ceteris Christo rite destinantur. Sacrorum autem Antistitum quae fuerint in hac re voluntates probe novimus. Novimus qua providentia, qua navitate in excolendo ad virtutem clero assidue connituntur: de quo illis non tam laudem impertivisse, quam gratias palam habuisse libet.

(1) XIII, 17.

At vero, quam ex huiusmodi Episcoporum curis iam plures e clero gratulamur caelestes concepisse ignes, unde gratiam Dei, ex impositione manuum presbyterii susceptam, vel resuscitarunt vel acuerunt; tum adhuc conquerendum superest, alios quosdam per diversas regiones non ita se probare, ut in ipsos tamquam in speculum, prout dignum est, plebs christiana coniiciens oculos, sumere possit quod imitetur. Ad hos porro cor Nostrum per hasce litteras patere volumus; videlicet ut cor patris, quod in conspectu aegrotantis filii anxia palpitat caritate. Hac igitur suadente, hortationibus Episcoporum hortationes addimus Nostras: quae, quamvis eo spectent potissimum ut devios torpentesve ad meliora revocent, tamen etiam ceteris admoveant velimus incitamenta. Commonstramus iter quo quisque studiosius in dies contendat ut vere sit, qualem Apostolus nitide expressit, *homo Dei* (1), iustaeque expectationi Ecclesiae respondeat. — Nihil plane inauditum vobis aut cuiquam novum dicemus, sed quae certe commeminisse omnes oportet: spem autem indit Deus, vocem Nostram fructum non exiguum esse habituram. Id equidem flagitamus: *Renovamini . . . spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, et sanctitate veritatis* (2): eritque hoc a vobis in quinquagesimo sacerdotii Nostri natali pulcherrimum acceptissimumque munus. Quumque Nos, *in animo contrito et spiritu humilitatis* (3), exactos in sacerdotio annos recogitabimus Deo; quidquid humani dolendum sit, videbimur quodammodo expiare, admonendo vos et cohortando *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes* (4). — Qua tamen in hortatione, non vestras tantum utilitates tuebimur, sed communes etiam catholicarum gentium; quum aliae ab aliis dissociari nequaquam possint.

(1) I Tim. vi, 11.
(2) Ephes. iv, 23, 24.
(3) Dan. iii, 39.
(4) Coloss. i, 10.

Etenim non eiusmodi est sacerdos, qui bonus malusve uni sibi esse queat; sed eius ratio et habitus vitae sane quantum habet consequentis effectus in populum. Sacerdos reapse bonus ubi est, quale ibi donum et quantum est!

Hinc porro, dilecti filii, hortationis Nostrae exordium capimus, ut vos nimirum ad eam vitae sanctimoniam, quam dignitatis gradus postulat, excitemus. — Quicumque enim sacerdotio potitur, eo non sibi tantum, sed aliis potitur: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum* (1). Idipsum et Christus indicavit, qui ad significandum quo demum actio sacerdotum spectet, eos cum sale itemque cum luce comparatos voluit. Lux ergo mundi, sal terrae, sacerdos est. Neminem sane fugit id praecipue fieri christiana veritate tradenda: at vero quem pariter fugiat, institutionem eiusmodi pro nihilo fere esse, si, quae sacerdos verbo tradat, exemplo suo non comprobet? Qui audiunt, contumeliose ii quidem, sed non immerito obiicient: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (2); doctrinamque respuent, nec sacerdotis fruentur luce. Quam ob rem ipse Christus, factus sacerdotum forma, re primum, mox verbis docuit: *Coepit Iesus facere, et docere* (3). — Item, sanctimoniâ posthabita, nihil admodum sacerdos sal terrae esse poterit; corruptum enim et contaminatum integritati minime aptum est conferendae: unde autem sanctitas abest, ibi corruptionem inesse oportet. Quapropter Christus, eamdem insistens similitudinem, sacerdotes tales sal infatuatum dicit, quod *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras,* atque adeo *conculcetur ab hominibus* (4).

Quae quidem eo apertius patent, quod sacerdotali munere haud nostro nos fungimur nomine, sed Christi Iesu. *Sic*

(1) Hebr. v, 1.
(2) Tit. 1, 16.
(3) Act. 1, 1.
(4) Matth. v, 13.

nos, inquit Apostolus, *existimet homo et ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (1): *pro Christo ergo legatione fungimur* (2). — Hac nempe de causa Christus ipse, non ad servorum, sed ad amicorum numerum nos adscripsit: *Iam non dicam vos servos... Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis... Elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis* (3). — Est igitur nobis persona Christi gerenda: legatio vero ab ipso data sic obeunda, ut quo ille intendit, eo nos pertingamus. Quoniam vero *idem velle idem nolle, ea demum firma amicitia est;* tenemur, ut amici, hoc sentire in nobis, quod et in Christo Iesu, qui est *sanctus, innocens, impollutus* (4): ut legati ab eo, debemus doctrinis eius ac legi conciliare fidem hominum, easdem nimirum nos ipsi primum servantes: ut potestatis eius participes ad animos vinculis culparum levandos, conari nos omni studio oportet ne illis implicemur. At maxime ut ministri eius in praecellentissimo sacrificio, quod perenni virtute pro mundi vita innovatur, debemus ea animi conformatione uti, qua ille ad aram crucis seipsum obtulit hostiam immaculatam Deo. Nam si olim, in specie solummodo ac figura, tanta a sacerdotibus postulabatur sanctitas; ecquid a nobis, quum victima est Christus? *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igni spiritali repletur, linguam quae tremendo nimis sanguine rubescit?* (5) Perapte S. Carolus Borromaeus, in orationibus ad clerum, sic instabat: « Si meminissemus, dilectissimi fratres, quanta et quam digna in manibus nostris posuerit Dominus Deus, quantam istiusmodi consideratio vim haberet ad nos

(1) I Cor. IV, 1.
(2) II Cor. V, 20.
(3) Ioan. XV, 15, 16.
(4) Hebr. VII, 26.
(5) S. Io. Chrysost. hom. LXXXII in Matth., n. 5.

impellendum ut vitam ecclesiasticis hominibus dignam duceremus! Quid non posuit in manu mea Dominus, quando proprium Filium suum unigenitum, sibi coaeternum et coaequalem, posuit? In manu mea posuit thesauros suos omnes, sacramenta et gratias; posuit animas, quibus illi nihil est carius, quas sibi ipsi praetulit in amore, quas sanguine suo redemit: in manu mea posuit caelum, quod et aperire et claudere ceteris possim..... Quomodo ergo adeo ingratus esse potero tantae dignationi et dilectioni, ut peccem contra ipsum? ut illius honorem offendam? ut hoc corpus, quod suum est, inquinem? ut hanc dignitatem, hanc vitam, eius obsequio consecratam, maculem? ».

Ad hanc ipsam vitae sanctimoniam, de qua iuvat paulo fusius dicere, magnis Ecclesia spectat perpetuisque curis. Sacra idcirco Seminaria instituta: ubi, si litteris ac doctrinis imbuendi sunt qui in spem cleri adolescunt, at simul tamen praecipueque ad pietatem omnem a teneris annis sunt conformandi. Subinde vero, dum ipsa candidatos diuturnis intervallis gradatim promovet, nusquam, ut mater sedula, hortationibus de sanctitate assequenda parcit. Iucunda quidem ea sunt ad recolendum. Quum enim primo in sacram militiam cooptavit, voluit nos ea rite profiteri: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi* (1). Quibus, inquit Hieronymus, monetur *clericus* ut *qui, vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se* exhibeat, *ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino* (2). — Subdiaconis accensendos ipsa quam graviter est allocuta! *Iterum atque iterum considerare debetis attente quod onus hodie ultro appetitis;... quod si hunc ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire, sed Deo... perpetuo famulari, et castitatem, illo adiuvante,*

(1) Ps. xv, 5.
(2) Ep. LII, ad Nepotianum, n. 5.

servare oportebit. Tum denique: *Si usque nunc fuistis tardi ad ecclesiam, amodo debetis esse assidui: si usque nunc somnolenti, amodo vigiles:... si usque nunc inhonesti, amodo casti.... Videte cuius ministerium vobis traditur!* — Diaconatu porro augendis sic per Antistitem a Deo precata est: *Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant, ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat.* — Sed eo acrius movet commonitio initiandis sacerdotio facta: *Cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet... Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, idest familiam Dei.* Maximeque omnium urget illud gravissime additum: *Imitamini quod tractatis:* quod profecto cum Pauli praecepto congruit: *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu* (1).

Talis igitur quum sit mens Ecclesiae de sacerdotum vita, mirum nemini esse possit, quod sancti Patres ac Doctores omnes ita de ea re consentiant, ut illos fere nimios quis arbitretur: quos tamen si prudenter aestimemus, nihil eos nisi apprime verum rectumque docuisse iudicabimus. Eorum porro sententia haec summatim est. Tantum scilicet inter sacerdotem et quemlibet probum virum intercedere debet discriminis, quantum inter caelum et terram: ob eamque causam, virtuti sacerdotali cavendum non solum ne gravioribus criminibus sit affinis, sed ne minimis quidem. In quo virorum tam venerabilium iudicio Tridentina Synodus stetit, quum monuit clericos ut fugerent *levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent* (2): maxima scilicet, non re ipsa, sed respectu

(1) Coloss. I, 28.
(2) Sess. XXII, *de reform.*, c. I.

peccantis, in quem, potiore iure quam in templorum aedificia, illud convenit: *Domum tuam decet sanctitudo* (1).

Iam sanctitas eiusmodi, qua sacerdotem carere sit nefas, videndum est in quo sit ponenda: id enim si quis ignoret vel praepostere accipiat, magno certe in discrimine versatur. Equidem sunt qui putent, quin etiam profiteantur, sacerdotis laudem in eo collocandam omnino esse, ut sese aliorum utilitatibus totum impendat: quamobrem, dimissâ fere illarum cura virtutum, quibus homo perficitur ipse (eas ideo vocitant *passivas*), aiunt vim omnem atque studium esse conferenda ut *activas* virtutes quis excolat exerceatque. Haec sane doctrina mirum quantum fallaciae habet atque exitii. De ea Decessor noster fel. rec. sic pro sua sapientia edixit (2): « Christianas... virtutes, alias temporibus aliis accommodatas esse, is solum velit, qui Apostoli verba non meminerit: *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (3). Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri. Iamvero haud mutatur Christus progredientibus saeculis, sed idem *heri, et hodie: ipse et in saecula* (4). Ad omnium igitur aetatum homines pertinet illud: *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (5); nulloque non tempore Christus se nobis exhibet *factum obedientem usque ad mortem* (6); valetque quavis aetate Apostoli sententia: *Qui.... sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* » (7). — Quae documenta si quidem spectant unumquemque fidelium, propius

(1) Ps. xcII, 5.
(2) Ep. *Testem benevolentiae*, ad Archiep. Baltimor., 22 ian. 1899.
(3) Rom. VIII, 29.
(4) Hebr. XIII, 8.
(5) Matth. XI, 29.
(6) Philipp. II, 8.
(7) Gal. V, 24.

tamen ad sacerdotes attinent: ipsique prae ceteris dicta sibi habeant quae idem Decessor Noster apostolico ardore subiecit: « Quas utinam virtutes multo nunc plures sic colerent, ut homines sanctissimi praeteritorum temporum! qui demissione animi, obedientia, abstinentia, *potentes* fuerunt *opere et sermone,* emolumento maximo, nedum religiosae rei, sed publicae ac civilis ». Ubi animadvertere non abs re fuerit, Pontificem prudentissimum iure optimo singularem abstinentiae mentionem intulisse, quam evangelico verbo dicimus, abnegationem sui. Quippe hoc praesertim capite, dilecti filii, robur et virtus et fructus omnis sacerdotalis muneris continetur: hoc neglecto, exoritur quidquid in moribus sacerdotis possit oculos animosque fidelium offendere. Nam si turpis lucri gratia quis agat, si negotiis saeculi se involvat, si primos appetat accubitus ceterosque despiciat, si carni et sanguini acquiescat, si quaerat hominibus placere, si fidat persuasibilibus humanae sapientiae verbis; haec omnia inde fluunt, quod Christi mandatum negligit conditionemque respuit ab ipso latam: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum* (1).

Ista Nos quum adeo inculcamus, illud nihilo minus sacerdotem admonemus, non sibi demum soli vivendum sancte: ipse enimvero est operarius, quem Christus *exiit.... conducere in vineam suam* (2). Eius igitur est fallaces herbas evellere, serere utiles, irrigare, tueri ne inimicus homo superseminet zizania. Cavendum propterea sacerdoti ne, inconsulto quodam intimae perfectionis studio adductus, quidquam praetereat de muneris partibus quae in aliorum bonum conducant. Cuiusmodi sunt verbum Dei nuntiare, confessiones rite excipere, adesse infirmis praesertim morituris, ignaros fidei erudire, solari moerentes, reducere errantes, usquequa-

(1) Matth. XVI, 24.
(2) Matth. XX, 1.

que imitari Christum: *Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo* (1). — Inter haec vero insigne Pauli monitum sit menti defixum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus* (2). Liceat quidem euntes et flentes mittere semina; liceat ea labore multo fovere: sed ut germinent edantque optatos fructus, id nempe unius Dei est eiusque praepotentis auxilii. Hoc accedit magnopere considerandum, nihil praeterea esse homines nisi instrumenta, quibus ad animorum salutem utitur Deus; ea oportere idcirco ut apta sint quae a Deo tractentur. Qua sane ratione? Num ullâ putamus vel insita vel parta studio praestantia moveri Deum ut opem adhibeat nostram ad suae gloriae amplitudinem? Nequaquam: scriptum est enim: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et comtemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (3). Unum nimirum est quod hominem cum Deo coniungat, unum quod gratum efficiat, atque non indignum eius misericordiae administrum: vitae morumque sanctimonia. Haec, quae demum est supereminens Iesu Christi scientia, sacerdoti si desit, desunt ei omnia. Nam, ab ea disiunctae, ipsa exquisitae doctrinae copia (quam Nosmetipsi nitimur in clero provehere), ipsaque agendi dexteritas et sollertia, etiamsi emolumenti aliquid vel Ecclesiae vel singulis afferre possint, non raro tamen detrimenti iisdem sunt flebilis causa. Sanctimonia vero qui ornetur et affluat, is quam multa possit, vel infimus, mirifice salutaria in populo Dei aggredi et perficere, complura ex omni aetate testimonia loquuntur: praeclare, non remotâ memoria, Ioannes Bapt. Vianney, animarum in exemplum curator, cui honores Caelitum Beatorum Nosmet decrevisse laetamur. — Sancti-

(1) Act. x, 38.
(2) I Cor. III, 7.
(3) I Cor. I, 27, 28.

tas una nos efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus; homines in novitate vitae ambulantes, qui, ut Paulus monet (1), *in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis* seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in caelestia tendant, et alios eodem adducere omni ope contendant.

Quoniam vero, ut nemo unus ignorat, vitae sanctitas eatenus fructus est voluntatis nostrae, quoad haec gratiae subsidio roboretur a Deo, abunde nobis Deus ipse providit, ne gratiae munere, si velimus, ullo tempore careamus; idque in primis assequimur studio precandi. — Sane precationem inter et sanctimoniam is necessario intercedit usus, ut altera esse sine altera nullo modo possit. Quocirca consentanea omnino veritati est ea sententia Chrysostomi: *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis praesidio cum virtute degere* (2): acuteque Augustinus conclusit: *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare* (3). Quae nobis documenta Christus ipse et crebra hortatione et maxime exemplo suo firmius persuasit. Nempe orandi causâ vel in deserta secedebat, vel montes subibat solus; noctes solidas totus in eo exigebat; templum frequenter adibat; quin etiam, stipantibus turbis, ipse erectis in caelum oculis palam orabat; denique suffixus cruci, medios inter mortis dolores, cum clamore valido et lacrimis supplicavit Patri. — Hoc igitur certum ratumque habeamus, sacerdotem, ut gradum officiumque digne sustineat suum, precandi studio eximie deditum esse oportere. Saepius quidem dolendum quod ipse ex consuetudine potius id faciat quam ex animi ardore; qui statis horis oscitanter psallat vel pauculas

(1) II Cor. VI, 5 et seqq.
(2) De precatione, orat. I.
(3) Hom. IV ex 50.

interserat preces, nec deinde ullam de die partem memor tribuat alloquendo Deo, pie sursum adspirans. Sed enim sacerdos multo impensius ceteris paruisse debet Christi praecepto: *Oportet semper orare* (1); cui inhaerens Paulus tantopere suadebat: *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione* (2): *Sine intermissione orate* (3). Animo quippe sanctimoniae propriae aeque ac salutis alienae cupido quam multae per diem sese dant occasiones ut in Deum feratur! Angores intimi, tentationum vis ac pertinacia, virtutum inopia, remissio ac sterilitas operum, offensiones et negligentiae creberrimae, timor demum ad iudicia divina; haec omnia valde incitant ut ploremus coram Domino, ac, praeter impetratam opem, bonis ad ipsum meritis facile ditescamus. Neque nostrâ tantummodo ploremus causa oportet. In ea, quae latius ubique funditur, scelerum colluvione, nobis vel maxime imploranda exorandaque est divina clementia; nobis instandum apud Christum, sub mirabili Sacramento omnis gratiae benignissime prodigum: *Parce, Domine, parce populo tuo.*

Illud in hac parte caput est, ut aeternarum rerum meditationi certum aliquod spatium quotidie concedatur. Nemo est sacerdos qui possit hoc sine gravi incuriae nota et animae detrimento praetermittere. Ad Eugenium III, sibi quondam alumnum, tunc vero romanum Pontificem, Bernardus Abbas sanctissimus scribens, eum libere obnixeque admonebat, ne unquam a quotidiana divinorum meditatione vacaret, nulla admissa excusatione curarum, quas multas et maximas supremus habet apostolatus. Id autem se iure exposcere contendebat, utilitates eiusdem exercitationis ita enumerans prudentissime: *Fontem suum, id est mentem, de qua oritur, purificat consideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et or-*

(1) Luc. XVIII, 1.
(2) Coloss. IV, 2.
(3) I Thess. V, 17.

dinat; postremo divinarum pariter et humanarum rerum scientiam confert. Haec est quae confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta et fucata explorat. Haec est quae agenda praeordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum aut correctione egens. Haec est quae in prosperis adversa praesentit, in adversis quasi non sentit; quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiae est (1). Quae quidem magnarum utilitatum summa, quas meditatio parere est nata, nos item docet atque admonet, quam sit illa, non modo in omnem partem salutaris, sed admodum necessaria.

Quamvis enim varia sacerdotii munia augusta sint et plena venerationis, usu tamen frequentiore fit ut ipsa tractantes non ea plane qua par est religione perpendant. Hinc, sensim defervescente animo, facilis gressus ad socordiam, atque adeo ad fastidium rerum sacerrimarum. Accedit, quod sacerdotem quotidiana consuetudine versari necesse sit quasi *in medio nationis pravae;* ut saepe, in pastoralis ipsa caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae. Quid, quod tam est proclive, de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere? Apparet igitur quae et quanta urgeat necessitas ad aeternorum contemplationem quotidie redeundi, ut adversus illecebras mens et voluntas, renovato subinde robore, obfirmentur. — Praeterea expedit sacerdoti quadam instrui facilitate assurgendi nitendique in caelestia; qui caelestia sapere, eloqui, suadere omnino debet; qui sic debet vitam suam omnem supra humana instituere, ut, quidquid pro sacro munere agit, secundum Deum agat, instinctu ductuque fidei. Iamvero hunc animi habitum, hanc veluti nativam cum Deo coniunctionem efficit maxime ac tuetur quotidianae meditationis praesidium; id quod prudenti cuique tam perspicuum est, ut nihil opus sit longius

(1) *De Consid.* L. I, c. 7.

persequi. — Quarum rerum confirmationem petere licet, sane tristem, ex eorum vita sacerdotum, qui divinorum meditationem vel parvi pendunt vel plane fastidiunt. Videas enim homines, in quibus *sensus Christi*, illud tam praestabile bonum, oblanguit; totos ad terrena conversos, vana consectantes, leviora effutientes; sacrosancta obeuntes remisse, gelide, fortasse indigne. Iampridem, ipsi, unctionis sacerdotalis recenti charismate perfusi, diligenter parabant ad psallendum animam, ne perinde essent ac qui tentant Deum; opportuna quaerebant tempora locaque a strepitu remotiora; divina scrutari sensa studebant; laudabant, gemebant, exsultabant, spiritum effundebant cum Psalte. Nunc vero, quantum mutati ab illis sunt!... — Itemque vix quidquam in ipsis residet de alacri ea pietate quam spirabant erga divina mysteria. Quam dilecta erant olim tabernacula illa! gestiebat animus adesse in circuitu mensae Domini, et alios ad eam atque alios advocare pios. Ante sacrum quae mundities, quae preces desiderantis animae! tum in ipso agendo quanta erat reverentia, augustis caeremoniis decore suo integris; quam effusae ex praecordiis gratiae: feliciterque manabat in populum bonus odor Christi! . . . — *Rememoramini*, obsecramus, dilecti filii, *rememoramini. . . . pristinos dies* (1): tunc nempe calebat anima, sanctae meditationis studio enutrita.

In his autem ipsis, qui *recogitare corde* (2) gravantur vel negligunt, non desunt sane qui consequentem animi sui egestatem non dissimulent, excusentque, id causae obtendentes, se totos agitationi ministerii dedidisse, in multiplicem aliorum utilitatem. Verum falluntur misere. Nec enim assueti cum Deo colloqui, quum de eo ad homines dicunt vel consilia christianae vitae impertiunt, prorsus carent divino afflatu; ut evangelicum verbum videatur in ipsis fere intermortuum.

---

(1) Hebr. x, 32.
(2) Ierem. xii, 11.

Vox eorum, quantavis prudentiae vel facundiae laude clarescat, vocem minime reddit Pastoris boni, quam oves salutariter audiant: strepit enim diffluitque inanis, atque interdum damnosi fecunda exempli, non sine religionis dedecore et offensione bonorum. Nec dissimiliter fit in ceteris partibus actuosae vitae: quippe vel nullus inde solidae utilitatis proventus, vel brevis horae, consequitur, imbre deficiente caelesti, quem sane devocat uberrimum *oratio humiliantis se* (1). — Quo loco facere quidem non possumus quin eos vehementer doleamus, qui pestiferis novitatibus abrepti, contra haec sentire non vereantur, impensamque meditando et precando operam quasi perditam arbitrentur. Proh funesta caecitas! Utinam, secum ipsi probe considerantes, aliquando cognoscerent quorsum evadat neglectus iste contemptusque orandi. Ex eo nimirum germinavit superbia et contumacia; unde nimis amari excrevere fructus, quos paternus animus et commemorare refugit et omnino resecare exoptat. Optatis annuat Deus; qui benigne devios respiciens, tantâ in eos copia *spiritum gratiae et precum* effundat, ut errorem deflentes suum, male desertas vias communi cum gaudio volentes repetant, cautiores persequantur. Item ut olim Apostolo (2), ipse Deus sit Nobis testis, quo modo eos omnes cupiamus in visceribus Iesu Christi!

Illis igitur vobisque omnibus, dilecti filii, alte insideat hortatio Nostra, quae Christi Domini est: *Videte, vigilate, et orate* (3). Praecipue in pie meditandi studio uniuscuiusque elaboret industria: elaboret simul animi fiducia, identidem rogantis: *Domine, doce nos orare* (4). Nec parvi quidem momenti esse nobis ad meditandum debet peculiaris quaedam causa; scilicet quam magna vis consilii virtutisque inde pro-

(1) Eccli. XXXV, 21.
(2) Philipp. I, 8.
(3) Marc. XIII, 33.
(4) Luc. XI, 1.

fluat, bene utilis ad rectam animarum curam, opus omnium perdifficile. — Cum re cohaeret, et est memoratu dignum, Sancti Caroli pastorale alloquium: « Intelligite, fratres, nil aeque ecclesiasticis omnibus viris esse necessarium ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes praecedens, concomitans et subsequens: *Psallam*, inquit propheta, *et intelligam* (1). Si Sacramenta ministras, o frater, meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quonam sanguine sint lavatae » (2). Quapropter recte ac iure Ecclesia nos ea davidica sensa iterare frequentes iubet: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur; voluntas eius permanet die ac nocte; omnia quaecumque faciet semper prosperabuntur.* — Ad haec, unum denique instar omnium sit nobile incitamentum. Sacerdos enim, si *alter Christus* vocatur et est communicatione potestatis, nonne talis omnino et fieri et haberi debeat etiam imitatione factorum?.... *Summum igitur studium nostrum sit in vita Iesu Christi meditari* (3).

Cum divinarum rerum quotidiana consideratione magni refert ut sacerdos piorum librorum lectionem, eorum in primis qui divinitus inspirati sunt, coniungat assiduus. Sic Paulus mandabat Timotheo: *Attende lectioni* (4). Sic Hieronymus, Nepotianum de vita sacerdotali instituens, id inculcabat: *Nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur:* cuius rei hanc subtexebat causam: *Disce quod doceas: obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere.* Quantum enimvero proficiunt sacerdotes qui constanti hoc praestant assuetudine; ut sapide praedicant Christum, utque mentes animosque audientium, potius quam emolliant et mul-

(1) Ps. C., 2.
(2) Ex orationib. ad clerum.
(3) De imit. Chr. I, 1.
(4) I Tim. IV, 13.

ceant, ad meliora impellunt, ad superna erigunt desideria! — Sed alia quoque de causa, atque eâ in rem vestram, dilecti filii, frugifera, praeceptio valet eiusdem Hieronymi: *Semper in manu tua sacra sit lectio* (1). Quis enim nesciat maximam esse in amici animum vim cuiuspiam amici qui candide moneat, consilio iuvet, carpat, excitet, ab errore avocet? *Beatus, qui invenit amicum verum* (2).... *qui autem invenit illum, invenit thesaurum* (3). Iamvero amicos vere fideles adscribere ipsi nobis pios libros debemus. De nostris quippe officiis ac de praescriptis legitimae disciplinae graviter commonefaciunt; repressas in animo caelestes voces suscitant: desidiam propositorum castigant; dolosam obturbant tranquillitatem; minus probabiles affectiones, dissimulatas, coarguunt; pericula detegunt, saepenumero incautis patentia. Haec autem omnia sic illi tacita cum benevolentia praestant, ut se nobis non modo amicos praebeant, sed amicorum perquam optimos praebeant. Siquidem habemus, quum libeat, quasi lateri adhaerentes, intimis necessitatibus nullâ non hora promptos; quorum vox nunquam est acerba, consilium nunquam cupidum, sermo nunquam timidus aut mendax. — Librorum piorum saluberrimam efficacitatem multa quidem eaque insignia declarant exempla; at exemplum profecto eminet Augustini, cuius promerita in Ecclesiam amplissima inde auspicium duxerunt: *Tolle, lege; tolle, lege.... Arripui* (epistolas Pauli apostoli), *aperui et legi in silentio.... Quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnis dubitationis tenebrae diffugerunt* (4). Sed contra heu! saepius accidit nostra aetate, ut homines e clero tenebris dubitationis sensim offundantur et saeculi obliqua sectentur, eo praesertim quod piis divinisque libris longe alios omne genus atque epheme-

(1) Ep. LVIII, ad Paulinum, n. 6.
(2) Eccli. XXV, 12.
(3) Ib., VI, 14.
(4) Conf. l. VIII, c. 12.

ridum turbam praeoptent, ea quidem scatentia errore blando ac lue. Vobis, dilecti filii, cavete: adultae provectaeque aetati ne fidite, neve sinite spe fraudulenta illudi, ita vos posse aptius communi bono prospicere. Certi custodiantur fines, tum quos Ecclesiae leges praestituant, tum quos prudentia cernat et caritas sui: nam venena istaec semel quis animo imbiberit, concepti exitii perraro quidem effugiet damna.

Porro emolumenta, tum a sacra lectione, tum ex ipsa meditatione caelestium quaesita, futura certe sunt sacerdoti uberiora, si argumenti quidpiam accesserit, unde ipsemet dignoscat an lecta et meditata religiose studeat in usu vitae perficere. Est apposite ad rem egregium quoddam documentum Chrysostomi, sacerdoti praesertim exhibitum. Quotidie sub noctem, antequam somnus obrepat, *excita iudicium conscientiae tuae, ab ipsa rationem exige, et quae interdiu mala cepisti consilia.... fodica et dilania, et de eis poenam sume* (1). Quam rectum id sit ac fructuosum christianae virtuti, prudentiores pietatis magistri luculenter evincunt, optimis quidem monitis et hortamentis. Praeclarum illud referre placet e disciplina Sancti Bernardi: *Integritatis tuae curiosus explorator, vitam tuam in quotidiana discussione examina. Attende diligenter quantum proficias, vel quantum deficias.... Stude cognoscere te... Pone omnes transgressiones tuas ante oculos tuos. Statue te ante te, tamquam ante alium; et sic te ipsum plange* (2).

Etiam in hac parte probrosum vere sit, si Christi dictum eveniat: *Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis!* (3). Videre licet quanta illi sedulitate sua negotia procurent: quam saepe data et accepta conferant; quam accurate restricteque rationes subducant; iacturas factas ut doleant, seque ipsi acrius excitent ad sarciendas. Nos vero, quibus fortasse ar-

(1) Exposit. in Ps. IV, n. 8.

(2) Meditationes piissimae, c. V, *de quotid. sui ipsius exam.*

(3) Luc. XVI, 8.

det animus ad aucupandos honores, ad rem familiarem augendam, ad captandam praesidio scientiae praedicationem unice et gloriam; negotium maximum idemque perarduum, sanctimoniae videlicet adeptionem, languentes, fastidiosi tractamus. Nam vix interdum apud nos colligimus et exploramus animum; qui propterea paene silvescit, non secus ac vinea pigri, de qua scriptum: *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticae, et operuerunt superficiem eius spinae, et maceria lapidum destructa erat* (1). — Ingravescit res, crebrescentibus circum exemplis pravis, sacerdotali ipsi virtuti haud minime infestis; ut opus sit vigilantius quotidie incedere ac vehementius obniti. Iam experiendo cognitum est, qui frequentem in se censuram et severam de cogitatis, de dictis, de factis peragat, eum plus valere animo, simul ad odium et fugam mali, simul ad studium et ardorem boni. Neque minus experiendo compertum, quae incommoda et damna fere accidant declinanti tribunal illud, ubi sedeat iudicans iustitia, stet rea et ipsum accusans conscientia. In ipso frustra quidem desideres eam agendi circumspectionem, quae adeo in christiano homine probatur, de minoribus quoque noxis vitandis; eamque verecundiam animi, maxime sacerdotis propriam, ad omnem vel levissimam in Deum offensam expavescentis. Quin immo indiligentia atque neglectus sui nonnunquam eo deterius procedit, ut ipsum negligant poenitentiae sacramentum: quo nihil sane opportunius infirmitati humanae suppeditavit Christus insigni miseratione. — Diffitendum certe non est, acerbeque est deplorandum, non ita raro contingere, ut qui alios a peccando fulminea sacri eloquii vi deterret, nihil tale metuat sibi culpisque obcallescat; qui alios hortatur et incitat ut labes animi ne morentur debita religione detergere, id ipse tam ignave faciat atque etiam diuturno mensium spatio

(1) Prov. xxiv, 30, 31.

cunctetur; qui aliorum vulneribus oleum et vinum salutare novit infundere, saucius ipse secus viam iaceat, nec medicam fratris manum, eamque fere proximam, providus sibi requirat. Heu quae passim consecuta sunt hodieque consequuntur, prorsus indigna coram Deo et Ecclesia, perniciosa christianae multitudini, indecora sacerdotali ordini!

Haec Nos, dilecti filii, pro conscientiae officio quum reputamus, oppletur animus aegritudine, et vox cum gemitu erumpit: Vae sacerdoti, qui suum tenere locum nesciat, et nomen Dei sancti, cui esse sanctus debet, infideliter polluat! Optimorum corruptio, teterrimum: *Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccant; laetemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti moeroris de sublimioribus corruisse!* (1). Vae igitur sacerdoti, qui, immemor sui, precandi studium deserit; qui piarum lectionum pabulum respuit; qui ad se ipse nunquam regreditur ut accusantis conscientiae exaudiat voces! Neque crudescentia animi vulnera, neque Ecclesiae matris ploratus movebunt miserum, donec eae feriant terribiles minae: *Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava: et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (2). — Triste omen ab unoquoque vestrum, dilecti filii, avertat dives in misericordia Deus; ipse qui Nostrum intuetur cor, nulla prorsus in quemquam amaritudine affectum, sed omni pastoris et patris caritate in omnes permotum: *Quae est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum?* (3).

At videtis ipsi, quotquot ubique estis, quaenam in tempora, arcano Dei consilio, Ecclesia inciderit. Videte pariter

(1) S. Hieron. in Ezech. l. XIII, c. 44, v. 30.
(2) Is. VI, 10.
(3) I Thess. II, 19.

et meditamini quam sanctum officium vos teneat, ut a qua tanto dignitatis honore donati estis, eidem contendatis adesse et succurrere laboranti. Itaque in clero, si unquam alias, nunc opus maxime est virtute non mediocri; in exemplum integra, experrecta, operosa, paratissima demum facere pro Christo et pati fortia. Neque aliud quidquam est quod cupidiore Nos animo precemur et optemus vobis, singulis et universis. — In vobis igitur intemerato semper honore floreat castimonia, nostri ordinis lectissimum ornamentum; cuius nitore sacerdos, ut adsimilis efficitur angelis, sic in christiana plebe venerabilior praestat sanctisque fructibus fecundior. — Vigeat perpetuis auctibus reverentia et obedientia, iis sollemni ritu promissa, quos divinus Spiritus rectores constituit Ecclesiae: praecipue in obsequio huic Sedi Apostolicae iustissime debito mentes animique arctioribus quotidie fidelitatis nexibus devinciantur. — Excellatque in omnibus caritas, nullo modo quaerens quae sua sunt: ut, stimulis qui humanitus urgent invidae contentionis cupidaeve ambitionis cohibitis, vestra omnium studia ad incrementa divinae gloriae fraterna aemulatione conspirent. Vestrae beneficia caritatis *multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum*, quam miserrima, expectat; vel maxime expectant densi adolescentum greges, civitatis et religionis spes carissima, fallaciis undique cincti et corruptelis. Studete alacres, non modo sacra catechesi impertienda, quod rursus enixiusque commendamus, sed, omni quacumque liceat ope consilii et sollertiae, bene optimeque mereri de omnibus. Sublevando, tutando, medendo, pacificando, hoc demum velitis ac propemodum sitiatis, lucrari vel obstringere animas Christo. Ab inimicis eius heu quam impigre, quam laboriose, quam non trepide agitur instatur, exitio animarum immenso! — Ob hanc potissime caritatis laudem Ecclesia catholica gaudet et gloriatur in clero suo, christianam pacem evangelizante, salutem atque humanitatem afferente, ad gentes usque barba-

ras: ubi ex magnis eius laboribus, profuso nonnunquam sanguine consecratis. Christi regnum latius in dies profertur, et fides sancta enitet novis palmis augustior. — Quod si, dilecti filii, effusae caritatis vestrae officiis simultas, convicium, calumnia, ut persaepe fit, responderit, nolite ideo tristitiae succumbere, *nolite deficere bene facientes* (1). Ante oculos obversentur illorum agmina, numero meritisque insignia, qui per Apostolorum exempla, in contumeliis pro Christi nomine asperrimis, *ibant gaudentes, maledicti benedicebant*. Nempe filii sumus fratresque Sanctorum, quorum nomina splendent in libro vitae, quorum laudes nuntiat Ecclesia: *Non inferamus crimen gloriae nostrae!* (2).

Instaurato et aucto in ordinibus cleri spiritu gratiae sacerdotalis, multo quidem efficacius valebunt Nostra, Deo adspirante, proposita ad cetera, quaecumque late sunt, instauranda. — Quapropter ad ea quae supra exposuimus, certa quaedam adiicere visum est, tamquam subsidia eidem gratiae custodiendae et alendae opportuna. Est primum, quod nemini sane non cognitum et probatum, sed non item omnibus re ipsa exploratum est, pius animae recessus ad Exercitia, quae vocant, spiritualia; annuus, si fieri possit, vel apud se singulatim, vel potius unâ cum aliis, unde largior esse fructus consuevit; salvis Episcoporum praescriptis. Huius instituti utilitates iam Ipsi satis laudavimus, quum nonnulla in eodem genere ad cleri romani disciplinam pertinentia ediximus (3). — Nec minus deinde proficiet animis, si consimilis recessus, ad paucas horas, menstruus, vel privatim vel communiter habeatur: quem morem libentes videmus pluribus iam locis inductum, ipsis Episcopis faventibus, atque interdum praesidentibus coetui. — Aliud praeterea cordi est commendare: adstrictiorem quamdam sacerdotum, ut fratres

(1) II Thess. III, 13.

(2) I Mach. IX, 10.

(3) Ep. *Experiendo* ad Card. in Urbe Vicarium, 27 dec. 1904.

addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. Id sane commendabile, quod in societatem coalescant ad mutuam opem in adversis parandam, ad nominis et munerum integritatem contra hostiles astus tuendam, ad alias istiusmodi causas. At pluris profecto interest, consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum, ad animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiae annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quamdam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit. Tale aliquid quidni in hanc ipsam aetatem, congruenter quidem locis et muniis, revocari queat? Pristini etiam fructus, in gaudium Ecclesiae, nonne sint recte sperandi? — Nec vero desunt instituti similis societates, sacrorum Antistitum comprobatione auctae; eo utiliores, quo quis maturius, sub ipsa sacerdotii initia, amplectatur. Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti, fovimus in episcopali munere; eamdem etiamnum aliasque singulari benevolentia prosequimur. — Ista sacerdotalis gratiae adiumenta, eaque item quae vigil Episcoporum prudentia pro rerum opportunitate suggerat, vos, dilecti filii, sic aestimate, sic adhibete, ut magis in dies magisque *digne ambuletis vocatione qua vocati estis* (1), ministerium vestrum honorificantes, et perficientes in vobis Dei voluntatem, quae nempe est *sanctificatio vestra.*

Huc enimvero feruntur praecipuae cogitationes curaeque Nostrae: propterea sublatis in caelum oculis, supplices Christi Domini voces super universum clerum frequenter iteramus: *Pater sancte.... sanctifica eos* (2). In qua pietate laetamur permultos ex omni fidelium ordine Nobiscum compre-

(1) Ephes. IV, 1.
(2) Ioan. XVII, 11, 17.

cantes habere, de communi vestro et Ecclesiae bon
menter sollicitos: quin etiam iucundum accidit, haud
esse generosioris virtutis animas, non solum in sacı
ptis, sed in media ipsa saeculi consuetudine, quae c
dem causam sese victimas Deo votivas non intermis
tentione exhibeant. Puras eximiasque eorum preces
rem suavitatis summus Deus accipiat, neque humillimas
preces Nostras. Faveat, exoramus, clemens idem et
dus: atque e sanctissimo dilecti Filii sui Corde diviti
tiae, caritatis, virtutis omnis universum in clerum largia
Postremo, libet gratam ex animo vicem referre vobis,
filii, de votis faustitatis quae, appetente sacerdotii Nos
tali quinquagesimo, multiplici pietate obtulistis: votaq
vobis Nostra, quo cumulatius eveniant, magnae Virgin
concredita volumus, Apostolorum Reginae. Haec ete
las sacri ordinis felices primitias exemplo suo edocuit
admodum perseverarent unanimes in oratione, donec
rentur superna virtute: eamdemque ipsis virtutem mult
ampliorem sua deprecatione impetravit, consilio auxit e
munivit, ad fertilitatem laborum laetissimam. — Op
interea, dilecti filii, ut pax Christi exultet in cordibus
cum gaudio Spiritus Sancti; auspice Apostolica benedi
quam vobis omnibus peramanti voluntate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die IV A
anno MCMVIII, Pontificatus Nostri ineunte sexto.

PIUS PP. X.

EPISTOLA

Qua Pius X laetatur de centesima solemni faustitate ab erectione dioecesis Philadelphiensis.

VENERABILI FRATRI
PATRICIO IOANNI ARCHIEPISCOPO PHILADELPHIENSIUM.
PHILADELPHIAM.

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Iucunda valde memoratu sunt nobis quum omnium dioecesum, tum maxime istarum exordia. De his namque id sponte recordationi subit quam multas quam brevique progressiones effecerint. Idcircò faustitate adventante solemni, qua conditam ante annos centum Philadelphiensium dioecesim recolitis, gratum est in laetitiae partem venire: quod quidem dum facimus, auctoribus primum provectae in melius Ecclesiae, tibique diligenti Antistiti gratulamur; omina denide progredientium utilitatum offerimus; tum Deum eo adprecamur ut praemia velit, pacem praesertim prosperitatemque, iis largiri singulis, qui de incrementis Archidioecesis quoquo modo probe sint meriti. Auspicem divinorum munerum, Nostraeque dilectionis testem Apostolicam benedictionem tibi et fidelibus tuis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X.

EPISTOLA

Qua Pontifex gratulatur de saeculari celebritate erectionis archidioecesis Bostoniensis.

VENERABILI FRATRI
GUGLIELMO ARCHIEPISCOPO BOSTONIENSIUM.
BOSTONIAM.

PIUS PP. X

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Saecularis ab ortu Archidioecesis celebritas fidelibus ecclesiae tuae opportuna visa caussa est ut suam erga Nos voluntatem, pietatem, munificentiam praecipuum in modum testarentur, Personamque Nostram efficerent domesticae laetitiae participem. Feliciter vero gaudia vestra in faustitatis Nostrae solemnia inciderunt; siquidem, cum memoria anni expleti centesimi a condita dioecesi, recordatio coniungitur vitae Nostrae sacerdotalis quinquaginta ante annos institutae. Iucundum vehementer est hos tales eventus non fuisse a vobis, te praeeunte, praetermissos, quin singulare praeberetis festivitatum mnemosynon; nam clare inde colligimus animos vestros arcte esse cum Persona Nostra coniunctos, communesque laetitias non occasionem modo porrexisse vobis persolvendi Deo grates, sed etiam gratificandi Apostolicae Sedi. Memor beneque affecta manet in Nobis pro unoquoque vestrum voluntas; etenim difficultatibus supremi officii accrescentibus, id vos contulistis unde non modicum Nos utilitatis, pro Ecclesia provehenda, speremus. At non perfungi solum grati animi debito volumus: laudem simul placet tribuere, eamque in primis tibi, qui Decessoris illustris genitus corde, et sedi isti donatus, eiusdem insistis eximie viam; tum vero Bostoniensi archidioecesi cunctae, cui illud merito tribuendum honori est, unius saeculi spatio tam multos fecisse progressus, ut non minore loco quam clariores Americae ecclesiae iure

haberi debeat. Erant ante annos centum exiguo numero fideles, sacerdotes, instituta, templa: numerantur in praesens plurima, prospere vivunt, proficiunt: nec tamen alio fulciuntur auxilio, quam munifica fidelium manu. His Nos de caussis, Pastori populoque gratulamur: item nova vota concepimus; cum magna boni exitus spe. Interim Deum adprecamur ut suam in vos gratiam quotidie luculentius aperiat: auspicemque divinorum munerum et Nostrae dilectionis testem Apostolicam benedictionem tibi gregique tuo peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVI Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

PIUS PP. X.



EX SECRETARIA BREVIUM



Indulgentia plenaria favore archidioecesis Quebecensis.

PIUS PP. X

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Retulit ad nos Quebecensis Archiepiscopus proximo Iunio mense, tertio exeunte saeculo, ex quo primum urbs Canadensis ditionis princeps fundata fuit, solemnes rite esse indictas religiosas supplicationes, seque admodum in votis habere ut auspicatissima occasione coelestes Ecclesiae thesauros, quorum Nobis Altissimus dispensationem commisit, reserare benigne dignaremur. Nos autem, quibus nihil antiquius est, quam ut fidelis populi pietas spiritualibus gratiis amplificetur, et simul civiles festivitates religio cohonestet, votis hisce piis annuentes, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, per prae-

sentes concedimus, ut omnes et singuli fideles ex utroque sexu, qui hoc anno tribus Iunii mensis diebus, ab Archiepiscopo Quebecen. semel designandis, a primis vesperis ad occasum solis dierum horis, admissorum confessione rite expiati atque Angelorum Pane refecti, vel in Metropolitano templo Quebecensi, vel in proprio cuiusque curiali, intra illius Archidioecesis limites, iuxta mentem Nostram pro Christi fide in Canadensi ditione servanda, devote preces effundant, quo ex iis die id agant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, etiam animabus Purgatorii applicabilem, consequi valeant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus unice tantum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX Martii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status.*

Indulgentia plenaria adnectitur piae exercitationi Septem Sabbatorum in honorem B. M. V. a Mercede.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum sicuti ad Nos retulit hodiernus rector Diaconiae ad S. Hadriani de Urbe, in pluribus provinciis Ordinis B. Mariae Virginis a Mercede, probantibus Sacrorum Antistitibus, pia exercitatio septem Sabbatorum in honorem Deiparae Virginis a Mercede publice haberi soleat, et oblatae Nobis sint preces gravissimo Cardinalis Diaconi S. Hadriani suffragio suffultae, ut huic exercitationi nonnullas addere indulgentias de Apostolica benignitate dignaremur; Nos quibus nihil antiquius est, quam ut erga Virginem gratiarum omnium sequestram, fidelium pietas magis ac magis amplificetur, votis hisce annuendum quantum in Domino possumus, existimavimus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis

fidelibus utriusque sexus, qui ubique terrarum nunc et in posterum huic piae exercitationi in honorem B. M. V. a Mercede publice peragendae intersint, et quovis e septem hisce Sabbatis, vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel Ordinis Religiosorum a Mercede propriam quamlibet pariter ubique terrarum sitam ecclesiam, vel tertii Ordinis ipsius, vel confraternitatum eiusdem instituti ac nominis, tandem his deficientibus propriam cuiusque parochialem ecclesiam, ab ortu ad occasum solis, devote quotannis visitent, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant; plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus vero ut harum literarum authenticum exemplar tradatur S. Congregationi Indulgentiarum, secus nullas eas esse volumus, utque praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die xxv Maii MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status.*

Praesentium litterarum authenticum exemplar traditum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 2 Iunii 1908.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

Circa denegationem sepulturae ecclesiasticae.

Utrum catholici, qui cum acatholicis coram haeretico ministro qua tali nuptias contraxerunt, et in eiusmodi nuptiis vel expresse consenserunt acatholicae prolium educationi, vel eas de facto in haeresi educari fecerunt, adeoque censuram incurrisse dicendi sunt, si apoplexia tacti et sensibus destituti aut statim aut brevi post discesserint, Ecclesiae minime reconciliati et quin resipiscientiae signa unquam dedissent, donari possint sepultura ecclesiastica et exequiis nec ne.

Eminentissimi DD. Cardinales Inquisitores Generales, re in generali conventu huius Supremae Congregationis habito feria IV die 8 mensis Maii 1907 mature discussa, respondendum decreverunt: *Negative.*

Petrus Palombelli, *Notarius.*

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Approbantur constitutiones Instituti Ursulinarum S. Caroli et S. Ambrosii in civitate Mediolanensi.

SSmus D. N. Pius div. prov. PP. X attenta ubertate salutarium fructuum quos tulit Institutum Ursulinarum S. Caroli et S. Ambrosii in civitate Mediolanen., quibus fuit fundatrix in dioecesi Brixien. S. Angela Mericia a. 1525, attentisque praesertim commendatitiis litteris Antistitum locorum in quibus enuntiatae Sorores commorantur, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis EE. et RR. Praefecto die 17 huius mensis, Institutum ipsum ut congre

gationem votorum simplicium sub regimine moderatricis generalis approbare et confirmare dignatus est. Praeterea eiusdem Instituti constitutiones, prout continentur in hoc exemplari cuius autographum in archivio praefatae S. Congregationis asservatur, ad septennium per modum experimenti benigne approbavit et confirmavit, prout praesentis decreti tenore respective approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione ad normam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. EE. et RR., die 20 Novembris 1907.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

PRAENESTIN.

RECEPTIONIS ALUMNI IN COLLEGIUM

Religiosi admitti nequeunt in Collegium Capranicense.

Factiseries. Cardinalis Dominicus Capranica, cum Romae Collegium instituit quod ab eodem nomen mutuatum est, tres locos gratuitos reservavit pro originariis oppidi vulgo *Capranica* dioecesis Praenestinae, per descendentes propriae familiae nominandis. Porro clericus Petrus Orsi, quamvis ad tres annos vota simplicia temporaria et annualia emisisset in quadam religiosa congregatione, tamen utpote oriundus ex dicto oppido, anno 1906 admitti petiit ad unum ex praefatis locis gratuitis Almi Collegii Capranicensis; sed a moderatoribus repulsam retulit ea praesertim de causa quod fundationis constitutiones prohibebant quominus reciperentur alumni qui ad quemcumque ordinem religiosum iam pertinuissent. Verum clericus Orsi non acquiescens, ad hanc S. C. recursum obtulit, petens authentice interpretari articu-

lum 17 earumdem constitutionum, qui ita sonat: *Praeterea nulli modo religiosus, cuiusque ordinis vel religionis existat, possit in scholarem dicti Collegii accipi, sed omnes sint clerici saeculares ordinis simpliciter S. Petri, sine aliqua alia mutatione in professione vel habitu.* Recursu autem ablegato ad Emum Card. Protectorem Collegii habitoque eius voto, causa proposita fuit in plenario EE. PP. coetu.

Animadversiones. Moderatores Collegii Capranicensis datam repulsam sustinent ex eo quod Emus fundator exclusam voluit quamlibet animi inconstantiam, cui ansam praebuisset eorum admissio qui alicui ordini vel congregationi religiosae antea nomen dedissent: hoc enim eruitur nedum ex postremis relati articuli verbis, nempe « sine aliqua alia mutatione in professione vel habitu », sed etiam ex praecedenti articulo: « Unusquisque remaneat in vocatione in qua vocatus est ». Idipsum confirmatum esse aiunt ab immemoriali consuetudine, vi cuius ne novitius quidem ordinum aut congregationum admissus fuit in Collegium, adeo ut anno 1871 nonnisi praevia dispensatione Pontificia alumnus in casu consimili fuerit receptus. Caeterum sive a Cardinali fundatore sive a Pio VII Brevi 8 Aug. 1823 facta est facultas primum Urbis Gubernatoribus dein vero Cardinalibus Protectoribus, ut « quae in eis *(constitutionibus)* corrigenda videbuntur corrigant, quae mutanda mutent » ; quapropter illi anno 1647 decreverunt inter alia « ne amplius reciperentur in Collegium Capranicense alumni qui iam fuerint in aliis Collegiis sive Urbis sive extra Urbem » ; isti insuper in novo programmate Collegii requirunt ut « alumnus non pertinuerit, neque uti novitius, ad congregationem vel institutum religiosum ».

Ex altera vero parte clericus Orsi denegat nomine *religiosi* venire eum qui olim religiosus quidem fuit, nunc vero clericus saecularis est; citata enim verba « sine aliqua alia mutatione in professione vel habitu » interpretanda esse affirmat non de praeterita professione religiosa sed actuali mu-

tatione professionis vel habitus. Insuper contrariam praxim ipse non admittit, sive quia nullus hucusque casus suo similis habitus fuit, sive quia congregationes religiosae nuperam habent institutionem. Programma demum Collegii in medium prolatum nonnisi ab actuali Card. Protectore adprobatum esse censet.

Etiam Consultor, qui de suo voto rogatus fuit, accedit petitioni clerici Orsi ea praesertim ductus ratione quod mens Emi fundatoris fuit favere clero saeculari prae regularibus proprie dictis, atque neminem in Collegio Capranicensi haberi peculiari professioni vel habitui adstrictum: quae sane de oratore dici nequeunt. Hinc in themate non valere sustinet subsequentem restrictionem programmatis, quum in odiosis benignior interpretatio semper praevalere debeat, quumque non constet illam auctoritate S. Sedis firmatam fuisse.

Dubium. *An clerico Orsi spectet ius ut admittatur tamquam alumnus in Almum Collegium Capranicense, licet ipse ad quamdam congregationem religiosam pertinuerit, in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. C. Episcoporum et Regularium in plenariis comitiis diei 6 Decembris 1907 responderunt:

Negative et amplius.

BRICTINORIEN.

CESSIONIS

Revocatur donatio ob non impletum modum.

Species facti. Anno 1904 quaedam Virginia Guerdi vocavit Carmelitas calceatos uti fixam stutuerent commorationem in urbe Foripompilii, dioecesis Brictinoriensis, eosdem summa libell. 8300 donans. Hoc acceptum habuerunt Religiosi, qui tradita sibi pecunia duas emerunt domus, quarum unam cesserunt in habitationis usum donatrici cum onere solvendi superimpositas taxas. Verum duobus mensibus vix

elapsis, quin loci Ordinarium monuerint Carmelitides, alio abierunt, atque alteram domum ad tres annos locarunt pro annua pensione libell. 350 cuidam Pazzi, facta eidem facultate ipsam domum instaurandi usque ad concurrentiam libell. 500. Verum de hac re edocti tum Episcopus tum donatrix graviter conquesti sunt cum praefatis Religiosis, qui tandem se paratos dixerunt retrocedendi coemptas domus, dummodo omnibus expensis indemnes redderentur. Quum autem nulla compositio ad exitum deduci potuisset, quaestio proposita fuit solvenda huic S. C. sub infrascriptis dubiis.

Animadversiones. Carmelitae in primis observant dominam Guerdi nullum ius habere ad retrocessionem domorum seu rerum immobilium, quia donatio fuit gratuita et absoluta, neque ulla addita est conditio in emptionis contractu. Posita igitur absoluta Carmelitarum proprietate, arguunt sibi tantum spectare ius percipiendi statutum locationis pretium. Praeterea quum ipsi ex mera liberalitate et ad querelas vitandas consenserint in dictam retrocessionem, contendunt dominam Guerdi teneri persolvere sive restaurationes a conductore peractas, quae in ipsius domus utilitatem cedunt, sive etiam taxas eiusdem domus, quas ipsa saltem ex parte antea pendere voluit. Tandem petunt ut etiam facta impensa sibi restituantur, adeo ut Ordo exinde nullum damnum pati valeat.

Ex adverso Episcopus sustinet retrocessionem domorum in casu in dubium revocari non posse, quia donatio facta fuit sub modo seu conditione ut Carmelitides continuo permanerent in loco; quum autem modus seu conditio non fuerit a donatariis adimpleta, necessario consequitur contractum donationis suo robore destitui ac proinde valide revocari posse. Addit praeterea dominam Guerdi nedum teneri ad supportandas restaurationes a conductore factas, quia hae iam compensatae fuerunt accepto locationis pretio, verum etiam ius habere ad taxas repetendas indebite solutas pro domo locata. Demum sibi imputent Religiosi si alias expensas fecerint.

Consultor, qui in hac quaestione scripsit, totus est ut determinet naturam actus iuridici in casu, et ex facti circumstantiis arguit non agi de simplici donatione nec de donatione sub conditione, sed de donatione *sub modo,* nempe sub onere Carmelitis imposito commorandi in urbe Foripompilii (1). Porro quum ex donatione *sub modo* donans generatim acquirat actionem ut vel idem modus impleatur vel ut restituatur res donata, hinc Consultor concludit teneri Religiosos vel domum iterum aperire in loco vel omnia restituere donatrici, refectis quoque damnis. E contra, iuxta ipsum, domina Guerdi supportare deberet factas restaurationes nec non taxas pro domibus solutas.

Dubia. I. *An domina Guerdi ius habeat petendi retrocessionem rerum immobilium quibus donavit Religiosos Carmelitas in casu.*

II. *Utrum eadem Guerdi ius habeat ad pretium domus locatae et hucusque perceptum a Carmelitis in casu.*

III. *An solutio factarum restaurationum et taxarum gravantium super domibus pertineat ad dominam Guerdi vel ad Carmelitas in casu.*

IV. *An et quasnam expensas a Carmelitis solutas teneatur restituere domina Guerdi in casu.*

Decisiones. Sacra C. Episcoporum et Regularium in plenario conventu diei 6 Decembris 1907 respondit:

Ad I. et II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad IV. *Negative in omnibus.*

---

(1) Ad rem Giustini *(Prael. iur. civil., de donat., pag. 43)* tradit: « Bene autem attendendum est ne donatio *sub modo* cum donatione *sub conditione* confundatur. Licet autem aliqua ex parte sibi similes sint modus et conditio, tamen quantopere inter se distent haud difficile est intellectu. Etenim *a)* donatio, cui modus adiectus est, tamquam pura habetur; agi tamen potest ut vel impleatur modus, vel restituatur quod donatum est; *b)* quoties per eum, in quem collata est liberalitas, non stat quominus impleatur modus, utique pro eo est quasi sit impletus. L. 1 Cod. *De his quae sub modo* » *(N. R.).*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII



CAESARAUGUSTANA

PRIVILEGII CONFERENDI BAPTISMA

Recognoscitur ecclesiae cathedrali Caesaraugustanae privilegium conferendi baptismum.

Factispecies. Ab antiquissimo aevo fideles nedum civitatis et dioecesis Caesaraugustanae sed etiam extradioecesani deferre solent parvulos pro recipiendo baptismate ad ecclesiam cathedralem, in qua invenitur celebre sanctuarium B. M. V. a Columna vulgo *del Pilar* nuncupatum. Verum hic usus interceptus est, quum Archiepiscopus, paroeciarum circumscriptione de Gubernii consensu ad tramites concordatariae legis confecta, in elencho taxarum pro iuribus parochialibus sub die 30 Iunii 1902 publicata, adiecit adnotationem, quod « nullus parochus baptizare auderet natos in alia paroecia absque licentia in scriptis parochi proprii et solutis iuribus ». Quum autem haec praescriptio querelas excitaverit inter fideles ob sublatum pervetustum privilegium atque coarctatum exercitium spontaneae devotionis erga B. M. V. *del Pilar*; actualis parochus cathedralis ecclesiae, etiam ad suae paroeciae iura tutanda, satius duxit ab hac S. C. postulare dicti privilegii manutentionem.

Recursus ablegatus fuit ad Archiepiscopum, qui literis 20 Oct. 1907 respondit quod dictam immemorabilem consuetudinem « aegre ferebant parochi aliarum ecclesiarum, et conquerebantur eo quod sua iurisdictione suisque iuribus in casu spoliabantur. Idcirco, ad vitanda huiusmodi incommoda et ad tuenda uniuscuiusque iura, in nova paroeciarum demarcatione anno 1902 facta ad normam novissimi Concordati atque iuxta alia posteriora decreta etiam concordata, statutum fuit quod nullus parochus baptizare auderet natos

in alia parochia absque licentia in scriptis parochi proprii et solutis iuribus; quae quidem demarcatio, a Gubernio sancita et approbata die 17 Februarii anni 1902, executioni mandata fuit; proinde ex tunc temporis nati, in sua paroecia baptizantur, nisi, ut dictum est, a parocho proprio licentia obtineatur ut in alia baptizentur. His expositis, ad pacem inter parochos firmandam, ad unitatem stabiliendam et ad disciplinam servandam, meo iudicio standum est quod in memorata paroeciarum demarcatione statuitur, ac in praesenti sine querela fidelium pacifice et libenter observatur ».

Animadversiones. In primis videretur quod expetita privilegii conservatio non esset concedenda. Revera ex usu huius privilegii non pauca ex parte parochorum civitatis dissidia enata sunt, unde eius exercitium in religionis detrimentum vertere incipiebat. At regula est quod quando privilegia, praesertim contra ius, causant abusus vel evadunt illicita aut iniuriosa, ea cessant. Cfr. D'Annibale in *Summ. theol. moralis, part. I, n. 227*. Neque in themate invocari posset ad privilegium sustinendum praescriptio; quandoquidem compertum est iura parochialia non esse obnoxia praescriptioni, cum quilibet parochus, iure proprio succedens, teneri nequeat de negligentia praedecessoris. Praeterea abrogatio haec facta fuisse videtur etiam de Gubernii consensu, nam nova paroeciarum circumscriptio cum determinatione taxarum pro iuribus parochialibus iuxta Concordatum subiecta fuit approbationi civilis auctoritatis: hinc illam moderari graves affert difficultates.

Demum expendi potest quod etiam Romae viguit privilegium, ut parvuli nati in paroeciis civitatis deferri possint ad Basilicas maiores S. Petri in Vaticano et S. Ioannis in Laterano pro receptione baptismatis. Verum ex decreto Emi Urbis Vicarii sub die 20 Dec. 1907 illud privilegium ita temperatum fuit, ut delatio parvulorum ad dictas Basilicas pro baptismo fieri non posset, nisi prius accesserit licentia ex-

pressa respectivi parochi (1). Ex omissione enim huius licentiae in praxi aliquando incommoda evenire possunt, praesertim quoad relaxandas fides de suscepto baptismo.

Ex adverso parochus sanctuarii B. M. V. de Columna decertat, ut dictum privilegium in sua integritate servetur. Ad rem observat quod hoc privilegium, praeter suffragium temporis immemorialis, quod constituit meliorem titulum de mundo, invenitur etiam firmatum a duabus decisionibus arbitramentalibus relatis praesertim in libro de Arruego *De cathedra episcopali Caesaraugustana,* publicato cum approbatione auctoritatis ecclesiasticae. Prima decisio sese refert ad annum 1241, in quo exorta quaestio inter Capitulum cathedrale et Consilium civitatis circa nonnullas oblationes, remissa fuit pro arbitratu Archiepiscopo Tarraconensi, qui inter alia decrevit, quod omnes fideles civitatis libere adire possent ecclesiam cathedralem pro receptione baptismi. Alia arbitralis sententia lata fuit an. 1513 ab Archiepiscopo Caesaraugustano, qui exardescente lite circa nonnullas functiones parochiales, Capitulo cathedrali inhibuit exercitium omnium parochialium functionum et iurium, dempto iure baptismum conferendi. Caeterum, resolutio data ab hac S. C. die 27 Augusti 1904 in *Barcinonen. - Iurium parochialium* recognovit ius privativum Capituli cathedralis administrandi baptismum neonatis tum civitatis tum dioecesis (2).

Posita igitur incontroversa existentia privilegii, parochus ex pluribus adstruere satagit, quod illud in sua integritate sit servandum. Nam rationes adductae de reclamationibus paro-

(1) En tenor citati decreti: « *Avviso.* Per ordine dell'Emo Sig. Card. Vicario si rende noto che dal 1° Gennaio 1908, per disposizione del S. Padre, non potranno più essere battezzati nella Basilica di S. Giovanni in Laterano e in quella di S. Pietro in Vaticano, bambini appartenenti ad altre parrocchie, se da chi ve li conduce non viene esibito un apposito biglietto che sarà rilasciato dai rispettivi parroci. Dalla Segreteria del Vicariato li 20 Dicembre 1907. Francesco Can. Faberi, Segretario » *(N. R.).*

(2) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 527.

chorum ante factam praescriptionem, et de huius secuta pacifica observantia ex parte fidelium post editam publicationem, in facto non subsistunt. Hae parochorum reclamationes, si demas aliquem particularem casum, non adfuerunt; et etiamsi adfuissent, haec aestimari non poterat ratio sufficiens ad expoliandum parochum Cathedralis iure quaesito ex tam longi temporis exercitio. Item non valet altera ratio de nova ordinatione finium parochialium iam a Gubernio sancita. Siquidem Gubernium in sua approbatione sese retulit ad materialem finium definitionem, non verum ad iurium parochialium moderationem, quod unice servatum manet competenti ecclesiasticae auctoritati. Hinc est quod nova praescriptio taxationis iurium parochialium tantum ab Archiepiscopo est edita et subscripta. Praeterea servatio dicti privilegii maxime inservit ad fovendam piam fidelium devotionem erga B. M. V. de Columna, quum annuatim in eodem sanctuario habeantur plus quam 130.000 sacrae communiones, quae non verificantur in coeteris civitatis paroeciis simul sumptis.

Demum praecitata Ordinarii dispositio dum ex una parte minuit fidelium libertatem, ex altera spoliat parochum sanctuarii iure legitimo quaesito. Sane minuit fidelium libertatem, quia praevia licentia obtinenda a proprio parocho et obligatio solvendi eidem oblationem intuitu receptionis sacramenti dari solitam loco parochi baptismum ministrantis quamdam ipsis affert difficultatem et eos avertit ab adeundo sanctuarium. Hinc est quod haec S. C. quando agitur de concedenda facultate erectionis s. fontis in ecclesiis parochialibus, iam extante privilegio unicitatis fontis baptismalis in Cathedrali, addere solet clausulam: « Salvo tamen iure fidelium, si velint, deferendi infantes ad Cathedralem pro suscipiendo baptismate »; uti factum fuit in *Tiburtina* - *Erectionis fontis baptismalis* 14 Iunii 1906 (1). Pariter citata dispositio grave

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 39, pag. 471.

infert praeiudicium rectori sanctuarii, eum privando iure legitimo quaesito ad accipiendas oblationes in collatione baptismi tradi consuetas ab aliarum paroeciarum civitatis filianis. Quamvis enim generatim loquendo verum sit quod iura parochialia non subsint praescriptioni, tamen hoc intelligendum est de iuribus stricte parochialibus. In casu vero agitur de fidelium spontaneis oblationibus, quae quamvis de iure communi ad parochum proprium spectent, tamen nil vetat quod ex conventione aut statuto vel ex legitima introducta consuetudine aut praescriptione ad alium parochum pertineant, ut communiter tenent auctores et videre est in *Lucana - Emolumentorum* acta coram hac S. C. die 17 Decembr. 1904 (1). In praesenti casu parochus sanctuarii B. M. V. de Columna nititur consuetudine plusquam centenaria relate ad oblationes factas occasione baptismi.

Decisio. Emi Patres S. Congregationis Concilii in generalibus comitiis diei 27 Iulii 1908 responderunt:

Per decretum Archiepiscopi an. 1902 non esse sublatum privilegium Cathedralis quoad collationem baptismatis.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

AMERICAE, OCEANIAE ATQUE AUSTRALIAE

Indultum litandi Sacrum in navi pro Episcopis Americae, Oceaniae et Australiae.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, clementer deferens supplicibus votis Sacrorum Praesulum ecclesiarum sive dioeceseon totius Americae, Oceaniae atque Australiae, privilegium benigne impertiri dignatus est, quo ipsi Revmi

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 37, pag. 696.

Sacrorum Antistites, quotiescumque Romam petituri sint, perdurante maritimo itinere, etiam in reditu, singulis diebus Sacrum in navi peragere valeant: dummodo locus ad hoc delectus nihil indecens aut indecorum praeseferat; mare sit adeo tranquillum, ut nullum prorsus adsit periculum effusionis sacrarum specierum e calice, et – si adsit – alter sacerdos superpelliceo indutus, Praesuli celebranti adsistat. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 30 Iunii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS

Sanctus Ioannes Chrysostomus declaratur et constituitur Patronus sacrorum oratorum.

Quo congruus accedat cumulus solemnibus sacrisque pompis nuper expletis in honorem celeberrimi totius Ecclesiae Doctoris, Ioannis ob aureum eloquentiae flumen cognomento Chrysostomi, mox elapso saeculo decimoquinto, ex quo sanctus ipse Antistes exilio mulctatus iniuste, ac mala multa perpessus, supremum diem obivit; Rmus P. Hugo Athanasius Gaisser, ex Ordine Sancti Benedicti, Pontificii Graecorum Collegii moderator, vota depromens peculiaris Coetus eiusmodi honoribus Chrysostomo tribuendis in Urbe constituti, ac munere suo feliciter perfuncti, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum supplex rogavit, ut eundem Sanctum Doctorem christianae eloquentiae et coelestem sacrorum concionatorum Patronum suprema auctoritate Sua declarare ac statuere dignaretur. Id siquidem fe. re. Leo Decimus tertius die quarta Iulii anno millesimo octingentesimo octogesimo quarto indubie praenunciaverat, sacros videlicet oratores in fidem ac tutelam collocando S. Ioannis Chrysostomi, Ecclesiae Doctoris, quem omnibus ad imitan-

dum proponebat exemplar, utpote qui christianorum oratorum facile princeps, ob aureum eloquentiae flumen, invictum dicendi robur, vitaeque sanctitudinem summis laudibus ubique celebretur. Sanctitas porro Sua has preces ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas peramanter excipiens, praeclarum Ecclesiae universae Doctorem decusque Sanctum Episcopum Ioannem Chrysostomum, oratorum sacrorum coelestem Patronum Apostolica auctoritate Sua declaravit et constituit; eumdemque quemadmodum cunctis fidelibus omnigenae virtutis, ita christianae eloquentiae ad imitandum exemplar sacris concionatoribus libentissime proposuit. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 8 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Additiones et variationes in Breviario et Missali Romano.

ADDENDA ET VARIANDA
IN DUABUS TABELLIS EXCERPTIS E RUBRICIS GENERALIBUS BREVIARII.

Duplicia secundae classis,
in quibus de simplicibus fit commemoratio tantum in Laudibus;
de aliis uti in Rubricis.

Circumcisio Domini.

. . . .

Purificatio B. M. V.
Visitatio B. M. V.
Nativitas B. M. V.
Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III Sept.).
Solemnitas SSmi Rosarii B. M. V.

. . . .

Duplicia maiora per annum,
quae aliis duplicibus minoribus praeferuntur.

Transfiguratio Domini.

. . . .

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).

Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.

. . . .

VARIANDA IN CATALOGO FESTORUM,
QUAE UTI PRIMARIA VEL SECUNDARIA ETC.

Festa secundaria.
§ II. *Duplicia secundae classis.*

Festum SSmi Nominis Iesu.

. . . .

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III Septembr.).

Selemnitas SSmi Rosarii B. M. V.

. . . .

§ III. *Duplicia maiora.*

Exaltatio S. Crucis.

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).

Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.

. . . .

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO.

Dominica III Septembris. Deleatur integra Rubrica: « Impedita... post Dom. III Septembris ». Eius loco substituatur sequens: « Hac Dominica si occurrat festum nobilius, tamquam in sede propria celebretur festum B. V. M. Perdolentis prima sequenti die, non impedita a festo nobiliori, ac

translato Duplici maiori, vel Doctoris Ecclesiae; de Duplici vero minori vel semiduplici occurrente fiat tantum commemoratio iuxta Rubricas ».

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO.

Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.: « Si haec Dominica immediate sequatur festum Nativitatis, Vesperae dicuntur integrae de ipsa Nativitate sine commemoratione SSmi Nominis Mariae. Si hac Dominica occurrat festum nobilius, eo anno festum SSmi Nominis celebretur die duodecima Septembris, tamquam in sede propria, uti notatur in Martyrologio. Sicubi vero die duodecima occurrat festum nobilius, Officium SSmi Nominis Mariae transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas ».

SSmus Dominus Noster Pius PP. X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptas additiones et variationes inserendas Breviario et Missali Romano benigne approbare dignatus est. Die 8 Iulii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.



Novae Lectiones historicae in festo S. Bonaventurae.

DIE XIV IULII

S. Bonaventurae Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequ.

In Utrisque Vesperis. Ad Magnificat. Ant. *O Doctor*....... *Beate Bonaventura.*

Oratio. *Deus, qui populo tuo.*

In I. Nocturno. Lect. *Sapientiam* de Communi Doct.

In II. Nocturno.

Lectio IV. Bonaventura, Balneoregii in Etruria natus, a lethali morbo adhuc puer, beati Francisci precibus, cuius religioni, si convaluisset, voto matris dicatus fuerat, evasit incolumis. Itaque adolescens, Fratrum Minorum institutum amplecti voluit, in quo ad eam doctrinae praestantiam Alexandro de Ales magistro pervenit, ut septimo post anno Parisiis magisterii lauream adeptus, libros Sententiarum publice summa cum laude sit interpretatus, quos etiam praeclaris postea commentariis illustravit. Nec scientiae solum eruditione, sed, et morum intégritate, vitaeque innocentia, humilitate, mansuetudine, terrenarum rerum contemptu et coelestium desiderio mirifice excelluit: dignus plane, qui tamquam perfectionis exemplar haberetur, et a beato Thoma Aquinate, cui summa caritate coniunctus erat, sanctus appellaretur. Is enim, cum sancti Francisci vitam illum scribentem comperisset: *Sinamus,* ait, *sanctum pro sancto laborare.*

Lectio V. Divini amoris flamma succensus, erga Christi Domini passionem, quam iugiter meditabatur, ac Deiparam Virginem, cui se totum devoverat, singulari ferebatur pietatis affectu: quem in aliis etiam verbo et exemplo excitare, scriptisque opusculis augere summopere studuit. Hinc illa morum suavitas, gratia sermonis, et caritas in omnes effusa, qua singulorum animos sibi arctissime devinciebat. Quamobrem vix quinque et triginta annos natus, Romae summo omnium consensu Generalis Ordinis Minister electus est: susceptumque munus per duodeviginti annos admirabili prudentia gessit ac laude sanctitatis. Plura constituit regulari disciplinae et amplificando Ordini utilia; quem una cum aliis Ordinibus mendicantibus adversus obtrectatorum calumnias feliciter propugnavit.

Lectio VI. Ad Lugdunense Concilium a beato Gregorio Decimo accersitus, et Cardinalis Episcopus Albanensis creatus, arduis Concilii rebus egregiam navavit operam: qua et schismatis dissidia composita sunt, et ecclesiastica dogmata vindicata.

Quibus in laboribus, anno aetatis suae quinquagesimo tertio, salutis vero millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, summo omnium moerore decessit, ab universo Concilio, ipso praesente Romano Pontifice, funere honestatus. Eum Xystus quartus plurimis maximisque clarum miraculis in Sanctorum numerum retulit. Multa scripsit, in quibus summam eruditionem cum pietatis ardore coniungens, lectorem docendo movet; quare a Xysto quinto Doctoris Seraphici nomine merito est insignitus.

In III. Nocturno. Homilia in Evang. *Vos estis sal terrae,* de Communi Doct. 3° loco.

URBIS ET ORBIS

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, libenter deferens supplicibus votis plurium Sacrorum Antistitum, praeeunte Emo Dño Cardinali Antonio Agliardi Episcopo Albanensi, a Rmo P. Magistro Generali Ordinis Minorum Conventualium humillime depromptis, suprascriptas Lectiones secundi Nocturni, quibus Franciscales Familiae iamdudum utuntur in festo S. Bonaventurae, Cardinalis Episcopi Albanensis, Lectionibus historicis substituendas mandavit, quae nimium ieiunae modo habentur de ipso Seraphico Doctore in Breviario Romano. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 22 Iulii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

FULDEN.

De anniversario celebrando pro ultimo defuncto Episcopo non autem pro administratore.

In Relatione status ecclesiae Fuldensis Sacrae Congregationi Concilii die 8 Maii 1908 exhibita sequens invenitur

Postulatum ad Sacrorum Rituum Congregationem pro opportuna declaratione seu sanatione transmissum; nimirum:

Hodiernus Episcopus Fuldensis exponit, post mortem Georgii Ignatii Homp, qui a sede Fuldensi ad sedem archiepiscopalem Friburgensem anno 1898 translatus fuerat, retenta administratione tantum dioecesis Fuldensis, anniversarium, quod iuxta Caeremoniale Episcoporum pro ultimo defuncto Episcopo celebrandum est (1), celebratum fuisse pro dicto Episcopo Georgio Ignatio, quamvis administrator tantum erat, dum in ipso ad suam novam sedem itinere moreretur. Pro Episcopo vero, qui ultimus in sede Fuldensi mortuus erat, sc. Iosepho Weyland anniversarium fundatum persolutum quidem fuit, non tamen illud quod Caeremoniale Episcoporum postulat. Unde petit, ut Sacra Congregatio, si quid in hac re praestandum adhuc sit, declarare vel sanare benigne velit.

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisitis tum Commissionis Liturgicae tum alterius ex suis Consultoribus, suffragiis, attentis expositis una cum specialibus informationibus ex officio assumptis, reque accurato examine perpensa, ita rescribendum censuit: *Pro declaratione seu sanatione in casu, facto verbo cum Sanctissimo et prout Ipsi placuerit* (2).

---

(1) Caeremoniale Episcoporum, *lib. 2, cap. 36, n. 1* praescribit quod « Episcopus vivens, Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro eius anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem, Missae pro eius anima, ab aliqua dignitate seu Canonico celebrandae praesens assistere, et in fine absolvere ». Anniversarium est de praecepto non tantum primo anno post obitum sed omnibus et singulis annis usque ad obitum alterius Episcopi, uti eruitur ex decretis S. Congr. Rituum in *Egitanien.* 16 Febr. 1630, n. 524, et in *Tiburtina* 27 Martii 1824 ad 4, n. 2631 *(N. R.)*.

(2) Iam S. C. Rituum in decretis *Marsorum* 12 Nov. 1831 ad 18, n. 2682, et *Melphien. et Rapollen.* 20 Iunii 1899, n. 4038 statuit anniversarium in Cathedralibus celebrandum esse pro ultimo defuncto Episcopo, qui revera uti Episcopus dioecesanus mortuus est, seu qui decessit cathedram tenens, non autem pro eo qui ad aliam ecclesiam translatus est. In casu Episcopus Georgius Ignatius iam

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua petitam declarationem seu sanationem indulgere dignata est, supplendo de thesauro Ecclesiae et imposito tamen onere hodierno Episcopo Fuldensi applicandi unam Missam lectam pro anima Episcopi Iosephi Weyland. Die 22 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

PROVINCIAE ECCLESIASTICAE MEDIOLANENSIS

Festa SS. Ambrosii et Caroli elevantur ad ritum duplicem maiorem pro dioecesibus suffraganeis Provinciae Mediolanensis.

Provinciae ecclesiasticae Mediolanensis Episcopi in Concilium Provinciale VIII, Emo et Rmo Dño Andrea Ferrari Metropolita Praeside, nuperrime congregati, quo firmior posteritati tradatur iucunda memoria et recordatio Patrum et ipsius Concilii, cum magna animarum consensione et devotione, ad maiorem Dei gloriam et eiusdem Provinciae bonum promovendum celebrati, praeter cetera quae ad finem sibi propositum maxime convenire existimantes decreverunt, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X supplicia vota enixasque preces porrigere statuerunt, ac reapse porrexerunt, ut Apostolica auctoritate interveniente, duo illa ecclesiae Metropolitanae Lumina et Sidera flammantia Ambrosius et Carolus ecclesiis quoque Suffraganeis per solemniorem cultum et ritum liturgicum novo effulgeant splendore. Hinc reverenter expostularunt, ut festa utriusque Sancti Episcopi et Con-

---

promotus fuerat ad novam sedem archiepiscopalem, et nonnisi administrationem antiquae dioecesis auctoritate Sedis Apostolicae retinuerat, usque dum illa de suo titulari provisa fuisset *(N. R.)*.

fessoris ad ritum duplicem maiorem evecta, eisdem Suffraganeis ecclesiis, de Apostolica benignitate concedantur. Sanctitas porro Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, has preces peramanter excipiens, petitam festorum Sanctorum Ambrosii Episc. Conf. et Eccles. Doct. et Caroli Episc. Conf., ad ritum duplicem maiorem elevationem dioecesibus Provinciae ecclesiasticae Mediolanensis Suffraganeis indulgere dignata est; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 Augusti 1908.

Pro Eñ̃o Card. Praefecto
Fr. H. M. Card. Gotti.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Indulgentia plenaria toties quoties lucranda conceditur in festo B. M. V. de Mercede.

Beatissimo Padre,

Fr. Pietro Nolasco Oro, Procuratore generale de' Mercedari, per secondare le divote richieste dei Religiosi del suo Ordine, come pure per far accrescere sempre più la divozione verso la Madonna SSm̃a della Mercede, prostrato ai piedi di V. S., supplica umilmente che si degni concedere l'indulgenza plenaria, applicabile anche ai defunti, da lucrarsi dai primi vespri al tramonto del sole del giorno 24 Settembre, festa di Maria SSm̃a della Mercede, *ogni volta* che i fedeli confessati e comunicati visiteranno divotamente qualunque chiesa o pubblico oratorio dei Religiosi e delle Monache, tanto calzati che scalzi, del Terz'ordine e delle Confraternite, ed ivi pregheranno secondo l'intenzione della S. V.

Che della grazia ecc.

SSmus D. N. Pius PP. X in audientia habita die 10 Augusti 1904 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 10 Augusti 1904.

A Card. TRIPEPI, *Praefectus*.
Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretario
Ios. M. Can. Coselli, *Substitutus*.

Indulgentia adnectitur cuidam orationi pro Pontifice (1).

PREGHIERA

O Gesù, Redentore Divino, o Padre della grande famiglia che si chiama Chiesa cattolica, in questi giorni di trepidazioni e di dolori acerbi, vienici in aiuto. Noi ti preghiamo per tutta la Chiesa, ma più particolarmente per Colui che tiene qui in terra il luogo tuo, Papa Pio X. Egli ti ama ferventemente, e in te vuole restaurare tutte le cose. Ora si compiono cinquant'anni dacchè è sacerdote, e si adopera a tutto potere di specchiare nella sua vita Te, eterno Sacerdote, pregando, amando e sacrificando se medesimo per salvare le anime.

O Gesù, ascolta benignamente le preghiere, che noi ti facciamo pel tuo Vicario, vero apostolo di fede e di carità. Accogli l'ardente desiderio che Egli ha di vedere riformata la vita nostra e di tutti i nostri fratelli nella Chiesa. Dà sempre maggior luce di sapienza soprannaturale al suo intelletto, e accendi sempre più in Lui le fiamme di quella ca-

(1) Haec oratio composita fuit ab Emo Card. Alphonso Capecelatro, Archiepiscopo Capuano (*N. R.*).

rità, che Tu diffondesti nel suo cuore, per mezzo dello Spirito Santo. Fa che Egli abbia la desideratissima consolazione di vedere compiuta nei suoi giorni quella stretta unità dei figliuoli della tua Chiesa, per la quale Tu pregasti poco prima di morire, esclamando: *Fa, o Padre, fà che tutti i miei seguaci siano una sola cosa con me, come io sono una sola cosa con te.* Deh raccogli, o Gesù, intorno al Pastore dei Pastori, tuo Vicario, in unità di fede e di amore tutto il gregge della Chiesa. Fa che ciascuno dei figliuoli di essa si ricordi che Tu esinanisti Te stesso, fatto obbediente sino alla morte, e morte di Croce. Così avverrà che ciascuno di quelli che si gloriano del nome di cattolici, sia umile, obbediente, amorosissimo al tuo Vicario. Donagli, o Signore, questa consolazione da Lui e da tutti noi desideratissima.

Signore, Signore Gesù, noi in te speriamo, e concedici di cantare in questo anno giubilare l'inno della tua pace, di quella pace che gli Angeli cantano in Cielo. Così sia.

A tutti i fedeli, che reciteranno devotamente questa preghiera, accordiamo l'indulgenza di trecento giorni.

Il 1° Marzo 1908.

PIUS PP. X.

Indulgentia pro invocatione " Mater amoris „ etc.

Très Saint Père,

Edouard Thomas, Vicaire général de Paris, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de daigner accorder une indulgence à la récitation de cette invocation: *Mater amoris, doloris et misericordiae, ora pro nobis.*

Et que Dieu etc.

Ex audientia SSmi, die 14 Maii 1908.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X benigne concessit, ut christifideles quoties corde contrito ac devote supra

relatam invocationem recitaverint, toties indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem, lucrari valeant. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 30 Maii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia conceditur orationi pro moribundis.

Très Saint Père,

Le Père Pichon, de la Compagnie de Jésus, ancien Supérieur des Missions du Canadà, actuellement à Paris, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, la supplie de daigner attacher une indulgence à la récitation de la prière suivante dont il a expérimenté la puissante efficacité près des mourants, obtenant par son moyen un grand nombre de conversions:

O Cœur d'amour, je mets toute ma confiance en vous, car je crains tout de ma faiblesse, mais j'espère tout de vos bontés.

(Bienh. Marguerite Marie).

Hanc invocationem ex corde recitantibus indulgentiam trecentorum dierum in Domino concedimus.

Die 30 Maii 1908.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum documentum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 3 Iunii 1908.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia adnectitur orationi ad Spiritum Sanctum.

Très Saint Père,

Le Supérieur du Collège de Blackrock, près Dublin (Irlande), fondé et dirigé par la congrégation du S. Esprit, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie d'attacher une indulgence de 300 jours, applicable aux defunts, à la recitation une fois par jour de la prière suivante au Saint Esprit *(quocunque idiomate)*:

« O Saint Esprit, Divin Esprit de lumière et d'amour, je vous consacre mon intelligence, mon cœur et ma volonté, tout mon être pour le temps et l'éternité. Que mon intelligence soit toujours docile à Vos célestes inspirations et à l'enseignement de la Sainte Eglise catholique, dont vous êtes le guide infaillible; que mon cœur soit toujours enflammé de l'amour de Dieu et du prochain; que ma volonté soit toujours conforme à la volonté divine, et que toute ma vie soit une imitation fidèle de la vie et des vertus de Notre Seigneur et Sauveur Jésus Christ, à qui avec le Père et vous soient honneur et gloire à jamais. Ainsi soit-il ».

Indulgentiam tercentorum dierum iuxta preces in Domino concedimus.

Die 1 Iunii 1908.

PIUS PP. X.

Praesentis Rescripti authenticum exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 5 Iunii 1908.

Pro R. P. D. D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretario
Ios. M. Canonicus Coselli, *Substitutus.*

Conceditur indulgentia pro adoratione SS. Sacramenti.

Très Saint Père,

L'Archevêque de Porte au Prince, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie d'accorder, pour exciter davantage encore les fidèles à manifester leur foi et leur respect à l'égard de l'adorable Eucharistie que les pratiques suivantes soient enrichies des indulgences ci-après, applicables aux âmes du Purgatoire:

1°. Pour quiconque récitera, *quovis idiomate,* devant le St. Sacrement renfermé dans le Tabernacle, l'invocation : *Jésus, mon Dieu, je vous adore ici présent dans le Sacrement de votre amour!* 100 jours d'indulgence *toties quoties.*

2°. Pour quiconque récitera la même invocation en adorant à deux genoux le St. Sacrement exposé solennellement, 300 jours *toties quoties.*

3°. Pour quiconque fera un acte extérieur de révérence en passant près d'une église ou oratoire où le St. Sacrement est conservé, 100 jours *toties quoties.*

Et que Dieu.....

Iuxta preces in Domino.

Die 28 Iunii 1908.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 3 Iulii 1908.

Ios. M. Can. Coselli, *Substitutus.*

SUMMARIUM

Indulgentiarum, privilegiorum et indultorum confratribus S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo a Romanis Pontificibus concessorum.

Confratres, qui legitime acceperunt S. Scapulare a sacerdote deputato per PP. Generales Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo aut de eorum assensu a PP. Provincialibus, et illud semper super humeros gestant, consequuntur sequentes indulgentias, et infrascriptis privilegiis et indultis gaudent.

I. INDULGENTIA PLENARIA

Si confessi ac S. Synaxi refecti sodales ad mentem Summi Pontificis oraverint:

1. die illa, qua, accipiendo S. Scapulare, confraternitatem ingrediuntur;

2. in festo commemorationis B. M. V. de Monte Carmelo, die 16 Iulii, vel una eiusdem mensis Dominica, iuxta locorum consuetudinem;

3. eodem die *quoties* ecclesiam vel publicum sacellum visitaverint, ubi S. Scapularis sodalitium canonice erectum reperitur;

4. in una ex Dominicis cuiusvis mensis, si processioni a confraternitate, de Ordinarii licentia, peragendae interfuerint;

5. in festo Pentecostes;

6. die commemorationis Defunctorum Ordinis Carmelitici (15 Novembris, vel, si Dominica fuerit, die 16);

7. in mortis articulo, si uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS. Iesu nomen ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

II. INDULGENTIAE PARTIALES

1. *Quinque annorum totidemque quadragenarum:*

a) semel in mense, die cuiusque arbitrio eligenda, qua sodales confessi ac S. Synaxi refecti iuxta intentionem Summi Pontificis oraverint;

b) si SS. Sacramentum, dum ad infirmos defertur, cum candela accensa et pro iisdem pias ad Deum preces fundendo, comitati fuerint.

2. *Trium annorum totidemque quadragenarum* in qualibet ex festivitatibus B. Mariae V., quae in universa Ecclesia celebrantur, si sodales confessi et S. Synaxi in ecclesia vel capella confraternitatis refecti fuerint et ad mentem Summi Pontificis oraverint.

3. *Trecentorum dierum* pro abstinentia singulis feriis IV et Sabbatis per annum.

4. *Centum dierum* quotiescumque aliquod pietatis vel caritatis opus corde saltem contrito ac devote sodales exercuerint.

5. Si confratres, corde saltem contrito ac devote, ecclesiam vel capellam sodalitii visitaverint:

a) *septem annorum totidemque quadragenarum* quibuslibet infra annum feria IV et Sabbato;

b) *trecentorum dierum* quocumque alio anni die.

Omnes et singulae praefatae indulgentiae, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, etiam animabus fidelium defunctorum applicari possunt.

III. PRIVILEGIA

1. Privilegium, vulgo dictum *Sabbatinum,* Summi Pontificis Ioan. XXII, a Clemente VII *Ex clementi* 12 Aug. 1530, S. Pio V *Superna dispositione* 18 Feb. 1566, Gregorio XIII *Ut laudes* 18 Sept. 1577, aliisque approbatum et confirmatum; nec non a S. Romana et Universali Inquisitione sub

Paulo V, die 20 Ian. 1613, decreto tenoris sequentis: « Patribus Carmelitanis permittitur praedicare quod populus christianus possit pie credere de adiutorio animarum fratrum et confratrum sodalitatis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas fratrum et confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel, si recitare nesciant, Ecclesiae ieiunia observaverint, et feria quarta et Sabbato a carnibus abstinuerint (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit), suis intercessionibus continuis piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, praecipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimae Virgini dicatus est, adiuturam ».

2. Omnes et singulae Missae, quae in suffragium celebrantur confratrum, eodem gaudent privilegio ac si in altari privilegiato celebratae fuissent.

3. Absolutio generalis cum indulgentia plenaria in articulo mortis sodalibus impertiri potest a facultatem habente, vel, eo deficiente, a quovis confessario approbato.

IV. INDULTA

1. Omnes confratres, si in locis versantur ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia, omnes indulgentias ab Apostolica Sede eiusdem Ordinis ecclesiis concessas vel concedendas lucrari possunt, si, ceteris conditionibus adimpletis, parochialem ecclesiam statis diebus devote visitaverint. Ubi autem existit aliqua confraternitatis ecclesia, hanc tenentur sodales ad easdem indulgentias lucrandas visitare, nisi plusquam unius milliarii spatio distet.

2. Sodales qui menstruae processioni commode assistere nequeunt, *plenariam indulgentiam* sub n. 4 relatam lucrari valent, si, ceteris positis conditionibus, capellam respective confraternitatis eadem die visitaverint.

3. Ubi processio praedicta locum non habet, vel confraternitas erecta non reperitur, confratres *plenariam memoratam indulgentiam* Dominica III cuiusque mensis lucrantur, si, ceteris adimpletis, quamcumque ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium ex authenticis documentis excerptum approbavit typisque imprimi ac publicare benigne permisit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 4 Iulii 1908.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia pro invocatione ad SS. Cor Iesu.

Très Saint Père,

Le prêtre G. Braillard, aumônier des Religieuses de la Visitation, dans le diocèse de Bordeaux, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, La supplie de daigner accorder une indulgence à tous les fidèles qui réciteront l'invocation suivante: *Cœur Sacré de Jésus, je crois à votre amour pour moi.*

Et que Dieu etc.

Ex audientia SSmi, die 29 Iulii 1907.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X universis christifidelibus, quoties praefatam invocationem corde saltem contrito ac devote recitaverint, indulgentiam trecentorum dierum, defunctis quoque applicabilem et in perpetuum valituram, benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 18 Iulii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

EX SACRA POENITENTIARIA

De Deputatis ac Senatoribus Galliae, qui legem Separationis constituerunt, quoad excommunicationem latae sententiae et sepulturam ecclesiasticam.

Beatissime Pater,

Vicarius generalis dioecesis N..... implorat solutionem sequentium dubiorum:

I. An Deputati et Senatores Galliae qui votis suis legem Separationis, ut aiunt, constituerunt, subiaceant, ipso facto, excommunicationi latae sententiae?

II. Quatenus affirmative, an Ordinarius debeat contra illos declaratoriam excommunicationis sententiam ferre ut ecclesiastica sepultura priventur?

III. Quatenus negative, an iidem subiaceant excommunicationi tantum ferendae sententiae?

IV. Si iidem Deputati et Senatores excommunicati non sunt, an habendi sint ut peccatores publici ita ut sint omni ecclesiastica sepultura privati?

V. Quatenus negative, an expediat praedictos si decedant, iisdem religiosis honoribus tumulari quibus caeteri fidelium, et utrum conveniat observare practicam hanc normam: ut eisdem Deputatis et Senatoribus defunctis concedatur tantum missa lecta cum simplici absolutione cadaveris?

Et Deus.....

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, respondet:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Ad id Episcopum minime teneri, nec generatim consulendum, nisi specialis ratio aliud prorsus exigat.

Ad III. Provisum in primo.

Ad IV. Si notorie constet huiusmodi homines in peccato suo decedere, indigni sunt ecclesiastica sepultura.

Ad V. Si poenitentes defuncti sint, non sunt privandi consuetis honoribus; si res dubia sit, *affirmative* ad secundam partem.

Datum Romae, ex S. Poenitentiaria, die 20 Maii 1908.

O. Giorgi, *Regens*.
F. Cherubini, *Substitutus*.

EX COMMISSIONE DE RE BIBLICA

De libri Isaiae indole et auctore.

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia de Re Biblica sequenti modo respondit:

Dubium I. — Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae, — et passim in Scripturis, — non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae iam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, coniiciendo praenuntiasse?

Resp. Negative.

Dubium II. — Utrum sententia quae tenet, Isaiam ceterosque prophetas vaticinia non edidisse nisi de his quae in continenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, necnon cum communi SS. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque praedixisse, quae post multa saecula essent implenda?

Resp. Negative.

Dubium III. — Utrum admitti possit, prophetas non modo tamquam correctores pravitatis humanae divinique verbi

in profectum audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint; proindeque secundam partem libri Isaiae (cap. XL–LXVI), in qua vates non Iudaeos Isaiae aequales, at Iudaeos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam iamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exules viventi assignare?

Resp. Negative.

Dubium IV. — Utrum, ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae, argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere?

Resp. Negative.

Dubium V. — Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, imo pluribus auctoribus esse tribuendum?

Resp. Negative.

Die autem 28 Iunii anni 1908, in audientia ambobus Rm̃is Consultoribus ab Actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta Responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 29 Iunii 1908.

FULCRANUS VIGOUROUX, P. S. S.
LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B. } *Consultores ab Actis.*

EX VICARIATU URBIS

Approbatur Statutum Directionis dioecesanae de Urbe.

Visto il Nostro decreto in data 10 gennaio 1907, col quale s'istituiva la Direzione diocesana per l'azione cattolica in Roma, e si dava facoltà alla Direzione stessa di compi-

lare il proprio Statuto da presentarsi poi alla Nostra approvazione (1);

Visto ed esaminato il progetto di Statuto che ci viene proposto dalla Direzione stessa;

Noi colla Nostra autorità ordiniamo ed approviamo il suddetto Statuto che consta di 20 articoli, e ne ordiniamo l'esatta osservanza.

Dato in Roma dalla sede del Vicariato, il 25 Aprile 1908.

PIETRO RESPIGHI, Card. *Vicario.*
Francesco Can. Faberi, *Segretario.*

All'approvazione del diletto figlio Nostro, il Signor Cardinale Vicario, aggiungiamo anche la Nostra, e vogliamo che questi Statuti della Direzione diocesana servano di norma fondamentale per tutta l'azione cattolica in Roma, derogando a tale scopo a qualunque facoltà e privilegio che potesse invocarsi in contrario anche degno di speciale menzione.

Dal Vaticano, li 9 Maggio 1908.

PIUS PP. X

STATUTO DELLA DIREZIONE DIOCESANA DI ROMA.

Art. 1°. — La Direzione Diocesana costituita il 10 gennaio 1907 con decreto dell' Emo Card. Vicario di Sua Santità, in base alle norme fondamentali per l'azione cattolica diocesana stabilite dalla Santa Sede, ha per iscopo di promuovere, reggere e coordinare l'azione cattolica in Roma.

Art. 2°. — La Direzione Diocesana è tenuta a mettersi ed a mantenersi in costante relazione con le Unioni Cattoliche Italiane: Popolare, Economico-Sociale, ed Elettorale, e con il Consiglio Superiore della Società della Gioventù Cattolica Italiana, per aiutarli efficacemente a conseguire i loro scopi generali e per cooperare al maggiore sviluppo dell'azione cattolica in Italia.

Art. 3°. — La Direzione Diocesana è composta di 24 membri che restano in carica quattro anni, rinnovano per metà ogni biennio come agli Art. 14°, 15° e 16°, e sono rieleggibili.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 592.

Fra questi verranno scelti: un Presidente, quattro Vice-presidenti (l'uno per ciascuna sezione), due Segretari, un Tesoriere.

Art. 4°. — La rinnovazione delle cariche della Direzione ha luogo ogni due anni, dopo l'adunanza generale, di cui all'Art. 14°.

La rielezione è ammessa.

Art. 5°. — L'Assistente ecclesiastico della Direzione Diocesana è nominato dall'Emo Card. Vicario. Ha diritto d'intervenire a tutte le adunanze ordinarie e straordinarie, tanto della Direzione e delle sezioni, quanto generali, ed ha facoltà di sospendere qualsiasi deliberazione per riferirne all'Emo Card. Vicario.

Non ha voto deliberativo.

Art. 6°. — La Direzione Diocesana si divide in quattro sezioni:

a) Sezione per la Unione Popolare,

b) Sezione per la Unione Economico-Sociale,

c) Sezione per la Unione Elettorale,

d) Sezione per la Società della G. C. I.,

ciascuna delle quali si compone di sei membri, e corrisponde ai centri nazionali di cui all'Art. 2°.

Art. 7°. — L'ordine di precedenza dei Vice-presidenti è dato dall'ordine delle sezioni come all'Art. 6°.

Art. 8°. — Ciascuna sezione dovrà riferire alla Direzione le deliberazioni prese, che diverranno esecutive dopo l'approvazione della Direzione stessa, tranne il caso d'urgenza, in cui le deliberazioni dovranno soltanto essere ratificate.

Il Presidente della Direzione avrà il diritto d'intervenire alle adunanze di ciascuna sezione e vi avrà voto deliberativo.

Gli atti di ciascuna sezione saranno firmati dal Presidente della Direzione e da quello della sezione.

Art. 9°. — La Direzione Diocesana si adunerà ordinariamente non meno di una volta al mese, e straordinariamente tutte le volte che lo crederà opportuno il Presidente, o che ne verrà fatta domanda da un quarto dei suoi membri.

Per la validità delle deliberazioni è necessaria la presenza della metà più uno dei membri della Direzione, salvo i casi d'urgenza da pronunziarsi dall'ufficio di presidenza.

In ogni caso le deliberazioni son prese a maggioranza assoluta di voti fra i presenti.

Art. 10°. — Oltre alle adunanze ordinarie e straordinarie dei suoi membri di cui all'Art. 9° ed a quella generale biennale per le elezioni di cui all'Art. 14°, la Direzione Diocesana terrà, secondo le circostanze,

adunanze di tutti i Presidenti delle associazioni cattoliche aderenti, e almeno una volta l'anno riunirà in assemblea generale i soci appartenenti a tutte le associazioni suddette.

Art. 11°. — La Direzione Diocesana curerà che nel territorio di ogni parrocchia sorga qualche associazione cattolica.

Le Associazioni di carattere strettamente parrocchiale sono sotto la speciale dipendenza del parroco.

Art. 12°. — Tutte le associazioni cattoliche, qualunque sia il loro scopo ed il loro nome, e che abbiano il loro statuto approvato dall'Autorità Ecclesiastica, pure rimanendo libere nella esplicazione del loro programma speciale, debbono aderire alla Direzione Diocesana.

Questa adesione importa l'obbligo:

a) di mantenere con la Direzione continuate relazioni e di concorrere a cooperare all'attuazione di quanto essa crederà di proporre;

b) di inviare ogni anno una relazione del proprio operato;

c) di contribuire per le spese diocesane e generali una quota annua non inferiore a lire dieci.

Soltanto le associazioni, che avranno adempiuto a questi doveri, avranno il diritto di partecipare all'adunanza biennale per l'elezione dei componenti la Direzione Diocesana.

Art. 13°. — Nessuna associazione cattolica potrà promuovere azioni o manifestazioni di carattere generale senza la preventiva approvazione della Direzione Diocesana.

Art. 14°. — Per l'elezione dei membri della Direzione Diocesana uscenti di carica per compiuto quadriennio, si convocheranno in assemblea generale i Presidenti delle associazioni cattoliche aderenti.

I membri della Direzione Diocesana che sono Presidenti di qualche associazione particolare potranno delegare il loro voto, come tali, a persona di loro fiducia appartenente all'associazione cui presiedono.

I Presidenti che non possono intervenire all'adunanza potranno delegare nel medesimo modo il loro voto.

Art. 15°. — L'elezione viene fatta con quattro votazioni, una per ciascuna sezione, e scrivendo in ogni scheda tre nomi. Se dovesse eleggersi l'intera Direzione se ne scriveranno sei.

Alla elezione della sezione per l'Unione Popolare hanno diritto di prendere parte i Presidenti di tutte le associazioni cattoliche aderenti.

Alla elezione della sezione per l'Unione Economico-Sociale hanno diritto di prender parte i Presidenti di tutte le associazioni di carattere economico-sociale, ed i Presidenti delle varie opere o istituzioni cattoliche d'indole economica, nonchè i Presidenti di sezioni o commissioni

che compiono un lavoro sociale anche in associazioni d' indole diversa. Alla elezione della sezione per la Unione Elettorale hanno diritto di prender parte i componenti l' ufficio di presidenza generale ed i Presidenti rionali della Unione Romana per le elezioni amministrative.

Alla elezione della sezione per la Società della Gioventù Cattolica Italiana, hanno diritto di prender parte i Presidenti dei Circoli e delle Associazioni Giovanili aggregati alla Società della G. C. I. ed i Presidenti delle Sezioni Giovanili, di Associazioni o Comitati che siano aggregati alla suddetta Società.

Per le delegazioni del voto resta fissato quanto è stabilito nell'Articolo 14°.

Risultan eletti per ciascuna sezione i tre che hanno riportato maggior numero di voti, essendo però il numero dei voti la metà più uno dei presenti.

Occorrendo, si procederà ad una seconda votazione.

Art. 16°. — Sono eleggibili, per le sezioni delle tre Unioni, gli ascritti ad associazioni cattoliche aderenti, i quali abbiano compiuto venticinque anni di età. Sono eleggibili nella sezione per la Società della G. C. I. gli ascritti a circoli, o sezioni aggregati alla Società della G. C. I.

Art. 17°. — La Direzione Diocesana provvede direttamente a surrogare i membri che per ragione qualsiasi cessassero dal loro ufficio prima del tempo stabilito.

Qualora contemporaneamente uscissero dalla Direzione più di sei membri, sarà convocata un' assemblea generale per procedere a forma dell'Art. 14° ad una elezione suppletiva.

Art. 18°. — I mezzi finanziari della Direzione Diocesana provengono:

a) dalle quote annue delle associazioni cattoliche aderenti;

b) da offerte fisse e straordinarie.

Art. 19°. — Per reggere, promuovere e coordinare l' azione cattolica femminile nella Diocesi di Roma viene costituita una Commissione Diocesana di sei signore.

Tale Commissione sarà eletta dalle associazioni femminili e dalle sezioni femminili delle altre associazioni cattoliche, e sarà retta con le stesse norme che regolano la Direzione Diocesana.

Ad ogni adunanza della Commissione Diocesana femminile ha diritto d' intervenire l'Assistente Ecclesiastico ed il Presidente della Direzione, od un suo rappresentante.

Art. 20°. — Qualunque modificazione al presente statuto dovrà essere approvata dalla maggioranza assoluta dei componenti la Direzione Diocesana in due adunanze ordinarie successive, e riportare la sanzione dell'Autorità Ecclesiastica.



ACTA ROMANI PONTIFICIS

CONSTITUTIO APOSTOLICA

De promulgatione legum et evulgatione actorum S. Sedis.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Promulgandi pontificias Constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in Ecclesia catholica fuit modus; a pluribus tamen saeculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam Urbis affixa locis, praesertim ad Vaticanae ac Lateranensis Basilicae valvas. Quae autem Romae, tamquam in christianae reipublicae centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea ubique gentium promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant. Verum, quum promulgandae legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere; idcirco factum est, ut, vel anteactis temporibus, non omnes Apostolicae Sedis leges ac Constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis Urbis affixae locis promulgarentur. Recentius, sacrarum praesertim Congregationum operâ, quibus Romani Pontifices, ad leges iam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta Sanctae Sedis eiusque decreta, in Officio a secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur. Publici sic iuris effecta, dubitari quidem nequit, quin acta ipsa rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis, contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite approbata a Pontifice Maximo. Huic tamen promulgandi rationi etsi plena vis esset, solemnitas illa deerat, quam par est supremae auctoritatis actis accedere. Eâ de causa complures Episcopi, non modo a Nobis, sed a Nostris etiam Decessoribus, quum saepe

alias, tum novissime in postulatis circa ius canonicum in codicem redigendum, flagitarunt, ut a suprema Ecclesiae auctoritate Commentarium proponeretur, in quo novae promulgarentur ecclesiasticae leges, et Apostolicae Sedis acta vulgarentur.

Re igitur mature perpensa, adhibitisque in consilium aliquot S. R. E. Cardinalibus, Antistitum, quos diximus, excipienda vota rati, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, edicimus, ut, ineunte proximo anno MDCCCCIX, Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis, aut maioris administri eius Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eâque unica, ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum. Volumus praeterea in idem Commentarium cetera Sanctae Sedis acta referri, quae ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat; eique rei perficiendae sacrarum Congregationum, Tribunalium et aliorum Officiorum moderatores opportune consulere.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, III Kalendas Octobres, Pontificatus Nostri sexto.

A. Card. Di Pietro
Datarius

R. Card. Merry del Val
a Secretis Status

VISA

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

V. Cugnonius

EPISTOLA

Pii PP. X circa coronationem simulacri S. Cordis Iesu.

VENERABILI FRATRI
LEONI GAUTHEY
EPISCOPO NIVERNENSI

Venerabilis Frater,

Me taedet preces tuas exaudire non posse eo quod S. Rituum Congregatio ultimis hisce diebus incongruum declaravit imaginibus divini Cordis Iesu coronas imponere, et tantum permisit, ut (si populorum pietas hoc devotionis tributum exhibere desideret) corona ad simulacri pedes deponatur: quod quidem et tu meo nomine facere poteris.

Ceterum de festis in reparationem indictis summopere gaudeo, et dum quaeque salutaria a tua praedicatione a Domino adprecor, tibi facultatem concedo impertiendi benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria pro confessis et sacra communione refectis.

Fidelibus vero, qui devote triduanae praedicationi intervenerint, indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum, et tercentorum dierum in Domino concedo quoties in contemplatione divini simulacri hanc invocationem: *Cœur sacré de Jésus, ranimez la foi dans le diocèse de Nevers,* devote recitaverint.

Auspicem vero divinae gratiae et praecipuae benevolentiae meae testem, tibi, Ven. Frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertio.

Ex aedibus Vaticanis, die 9 Iulii 1908.

PIUS PP. X



ALLOCUTIO

A Pio X die 7 Sept. 1908 habita ad peregrinos Galliae.

L'emozione che, voi Monsignore Arcivescovo, provate con i vostri connazionali avanti al Vicario di Cristo è anche profonda in me. Ogni volta che vedo dei pellegrini, venuti anche dai paesi i più lontani, per fare omaggio al Vicario di Cristo, la mia emozione è veramente profonda. Ma nello stesso modo che vi è differenza tra stella e stella, così io provo davanti ai varî pellegrinaggi diverse emozioni e la mia commozione è sempre vivissima ogni volta che vedo i figli della Francia. Questo mio sentimento è naturale in quanto che un padre soffre sempre delle sofferenze dei suoi figli e tanto più ne soffre se essi sono innocenti. Ora questa è la vostra sorte; questa è la sorte avversa che vi fa perseguitati in un paese cattolico sì da dover lottare per mantenere la fede e conservare nella vostra patria la devozione alla Chiesa, che fu e deve essere sempre la gloria più bella della Francia. Il Signore Iddio permette le tribolazioni per provare la virtù; e voi siete appunto in una terra di dolori, in un luogo di lagrime, dove vi è gioco forza di combattere per seguire gli esempî del Salvatore e per participare ai suoi trionfi.

Mi congratulo coi sacerdoti della Francia che fermi al loro posto, sicuri della loro missione, hanno combattuto e combattono per mantenere la fede della loro patria, difendere il vessillo della religione. Iddio vi guardi nella vostra opera e vi dia la forza nelle vostre lotte che certamente saranno coronate da successo. Ringrazio in modo speciale gli istitutori e le istitutrici, che per supplire alle congregazioni religiose ed ai monasteri, espulsi in omaggio a quella libertà tanto decantata e calpestata da quelli stessi che l' hanno sempre sulle labbra, hanno preso impegno delle scuole private.

Muovono a compassione questi figli del popolo che domandano il pane dell' intelletto a cui nessuno pensa; muo-

vono a compassione questi figli del popolo che chiamati da Dio al retaggio del paradiso, ne sono allontanati sventuratamente da mille inciampi; essi muovono finalmente a compassione perchè anche nelle loro famiglie trovano tanti ostacoli alla eterna salute.

Dio benedica il vostro operato e ve ne dia ricompensa egli stesso con i suoi doni più eletti. A voi tutti figli della cattolica Francia, domando di unire le vostre preghiere, i vostri sforzi, la vostra attività per mantenere viva la fede; che mai venga il giorno nel quale distrutte le chiese, la fede debba esulare in altri paesi per trovare un rifugio.

In questi giorni, mentre il Santissimo Sacramento viene esaltato nella Inghilterra protestante, in Francia la libertà viene calpestata da una forza brutale, in servigio di quelli che fanno guerra a Dio, a tutto danno della Francia stessa.

Deploriamo tanta nequizia, e spargiamo lagrime di sangue sulla perfidia di quelli che governano la Francia e che sono degni di compassione e preghiamo il Signore che alfine tocchi il loro cuore.

EX SECRETARIA BREVIUM

Praefectura Marochiensis erigitur in Vicariatum Apostolicum.

PIUS PP. X

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Romani Pontifices qui universa in Ecclesiam sibi divinitus commissa auctoritate pollent, catholicas Missiones non modo ubique gentium instituere, sed prout maior regionum humanitas vel auctus fidelium numerus postulaverint eas potioribus iuribus honoribusque ditare consueverunt. Cum vero Missio Marochiensis, curis apostolicis Fratrum Ordinis Mi-

norum S. Francisci Assisiensis iamdiu concredita ac plurium Martyrum sanguine decorata, tales fructus dedisset, ut res catholica in praesentiarum ibidem prospere se habeat: Nos, supremi eiusdem Ordinis Ministri precibus benigne exceptis atque omnibus rei momentis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis attente perpensis, Apostolicam illam Praefecturam in Vicariatum Apostolicum evehendam esse censuimus. Quare omnes et singulos quibus hae litterae Nostrae favent, a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, praesentium tenore, Praefecturam Apostolicam Marochiensem in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis, iisdemque servatis confiniis erigimus atque instituimus. Decernentes praesentes litteras firmas, validas, efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat et spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque omnibus etiam speciali ac individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIV Aprilis MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL,
a secretis Status.



EX SECRETARIA STATUS



Protocollon inter S. Sedem et Hispaniam.

Sua Santità il Sommo Pontefice Pio X e Sua Maestà Cattolica il Re D. Alfonso XIII, desiderando vivamente venire ad un comune accordo circa la necessità di introdurre qualche modificazione al Concordato del 1851, in quello che si riferisce alla condizione del culto, del clero, ha nominato a tale oggetto suoi plenipotenziarî:

Sua Santità il Sommo Pontefice, Sua Eccellenza Monsignor Aristide Rinaldini, Arcivescovo di Eraclea, Gran Croce del Reale e Insigne Ordine di Carlo III e di quella di Leopoldo del Belgio, Nunzio Apostolico del Regno di Spagna ecc. ecc.

Sua Maestà il Re Cattolico di Spagna, l'Eccellentissimo Sr. D. Faustino Rodriguez San Pedro, Gran Croce del Reale ed Insigne Ordine di Carlo III e di quella di S. Giacomo e della Spada di Portogallo, Senatore del Regno e Ministro di Stato ecc. ecc.

I quali dopo aver scambiato i loro pieni poteri nella debita forma, han convenuto di formulare il seguente Protocollo:

Art. 1. In conformità del Concordato del 1851 sarà creata dentro un mese dal giorno della ratifica di questo Protocollo, una Giunta o Commissione mista, la metà dei cui membri nominata da Sua Santità e l'altra metà dal Governo di Sua Maestà Cattolica.

Art. 2. Presidente di questa Giunta o Commissione mista sarà il Rmo Arcivescovo di Toledo.

Art. 3. Detta Giunta o Commissione mista avrà le attribuzioni segnenti:

a) Di studiare una nuova divisione e circoscrizione

delle diocesi di tutta la Penisola e isole adiacenti e relative parrocchie;

b) di proporre, se in seguito ai risultati dei suoi lavori la Commissione lo reputerà opportuno ed utile, la soppressione di una o più diocesi o circoscrizioni: e queste proposte dovranno essere fatte conforme allo scopo indicato dall' articolo seguente;

c) di esaminare attentamente e lungamente la possibilità e la maniera di realizzare sul bilancio del culto e del clero altre economie che, senza turbare gravemente le condizioni della Chiesa in Ispagna, siano di sollievo al pubblico tesoro;

d) di esaminare e proporre allo stesso modo le misure giudicate più pratiche e più opportune per migliorare la condizione economica delle parrocchie rurali.

Art. 4. Le proposte della Commissione serviranno di base e di punto di partenza alla Santa Sede e al Governo spagnuolo per giungere ad un accordo definitivo sui punti indicati dal Protocollo.

Art. 5. Questo Protocollo sarà ratificato e le ratifiche verranno scambiate in Madrid nel più breve tempo possibile.

I Plenipotenziari hanno firmato il presente Protocollo e autenticato con il loro sigillo in Madrid ai 12 di Luglio del 1904.

(L. S.) Aristide Rinaldini, Arcivescovo di Eraclea, Nunzio Apostolico.

(L. S.) Faustino Rodriguez S. Pedro.

Questo Protocollo è stato debitamente ratificato e le ratifiche sono state scambiate a Madrid a li 13 di Luglio del 1908.



ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

IACIEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Circa dispensationem irregularitatis propter epilepsiam.

Supplex libellus. Acolythus Ioseph Patané Finocchiaro, dioeceseos Iaciensis, quamvis ab infantia semper bona valetudine gavisus esset, tamen in Seminario dioecesano obnoxius fuit catarrho interaneo vulgo *gastricismo* vocato, ex cuius non perfecta sanatione ortum duxisse videntur in eodem iuvene, tunc 18 aetatis suae annum attingente, quidam convulsivi motus, qui pro epilepticis habiti sunt. Valetudinis igitur curandae causâ orator in paternam domum se recepit, ubi, non amplius studiis mancipatus, brevi convaluit, atque dein in Seminarium rediit. Verum mense Aprili 1907, dum ipse secundo theologiae curriculo operam navaret, iterum in comitialem morbum prolapsus est; quapropter denuo domesticos lares repetiit, quin tamen graves accessus reiterentur. Cum autem acolythus Patané plus quam ab anno in hoc vitae genere versetur, cumque ipse in aetate 24 annorum sit constitutus, Episcopus per supplicem libellum die 4 Maii currentis anni huic S. C. oblatum, et medicorum testimoniis corroboratum, petiit dispensationem praefatae irregularitatis.

Animadversiones. Sequentes rationes obicem parere possunt concessioni dispensationis ab irregularitate in casu. Siquidem morbo caduco laborantes iuxta praescriptum sacrorum canonum ita districte arceantur ab obeundo altaris ministerio, ut ex. gr. caput *In tuis litteris 1, caus. 7, quaest. 2* decreti Gratiani decernat de clerico iam ad sacerdotium promoto, « quod si frequenter hoc morbo *(comitiali)* tangitur, ab oblatione et missarum celebratione modis omnibus pro-

hibeatur », hac insuper reddita ratione, quia « indecens est et periculosum ut in consecratione Eucharistiae morbo victus epileptico cadat ». Quod a fortiori valere debet de clerico promovendo. Imo res magis ingravescit si advertatur quod in casu epilepsia originem habere dicitur, saltem ex parte, ex morbo articulari vulgo *gotta,* qui in familia oratoris haereditarius videtur.

Neque heic suffragari videntur speciales circumstantiae, quales profecto essent magna utilitas vel necessitas dioecesis ob cleri defectum, vel extraordinariae oratoris dotes intellectuales ac morales. Scimus enim in Italia, praesertim vero in Sicilia, clerum adeo numerosum existere; hinc quamvis Episcopus testetur defectum cleri in loco nativo oratoris, tamen huic defectui provideri poterit per alium presbyterum aliunde v. gr. ex civitate episcopali vocatum. Item Episcopus fidem tantum facit de communibus iuvenis qualitatibus, quae, quum in quolibet Dei ministro reperiri debeant, animum Principis movere non solent ad gratiam elargiendam.

Fortasse consultius esset comperendinare gratiam usque dum certo innotesceret de perfecta recuperata a iuvene sanitate. Licet enim vis morbi comitialis in clerico Patané sit diminuta, non tamen totaliter evanuisse videtur; hinc cum non adhuc perfecte convaluerit, tutius fortasse foret respondendum: *Modo non expedire*, quemadmodum factum fuit in *Lugdunen.* 26 Aug. 1905 (1).

Attamen validiora apparent momenta quae petitae dispensationis gratiam hic et nunc concedendam suadent. Nam iam supra citatus decreti Gratiani canon, de presbytero epilepsia laborante agens, ita prosequitur: « Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum sacrificare iam non interdicimus ». Tempus vero ad dignoscendum, utrum epilepticus dici possit sanatus, est

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 38, pag. 338.

integer annus, nempe, uti expresse habet can. *Communiter 3, dist. 33* eiusdem decreti Gratiani, « quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniatur liberatus ». Ita unanimiter docent doctores, v. gr. Ferraris *(Bibl. can., Irregularitas, n. 12)* et Reiffenstuel *(lib. 1 Decret., tit. 20, n. 19)*. Iamvero acolythum Patané saltem iam ab anno convaluisse testes sunt praesertim duo medici curantes. Ita in *Bononien.* diei 23 Febr. 1907 concessa fuit dispensatio ab irregularitate diacono Damiani, qui, a decimo aetatis suae anno morbo caduco laborans, primitus duorum vel trium mensium spatio, postea vero rarius et postremo nonnisi ab anno obnoxius fuit. Utique iniuncta fuit etiam lex ut ipse perseveraret in ipsa valetudine curanda, sed, praeterquamquod haec lex etiam in themate addi potest, subintelligenda videtur in quolibet huius generis rescripto (1).

Caeterum morbus epilepticus, quo correptus fuit acolythus Patané, potius levis et sanabilis naturae esse videtur: convulsiones enim ab eo passae non ita graves fuerunt ut omnes actus externi patientis impedirentur per virium corporis deficientiam, prouti medici testantur. Unde arguitur etiam heic non agi de morbo ingenito sed acquisito, qui proinde facilius sanari potest, praesertim si praescripta remedia adhibeantur. Nec regeratur medicorum testimonia non esse iurata, ac proinde in nullo calculo habenda esse: nam, praeterquam quod agitur non de uno vel altero perito sed de quinque in arte peritis qui substantialiter eadem referunt, quique proinde maiori ratione non sunt praesumendi falsum dicere velle ut oratori faveant, eorum testimonia uti veritati consona habentur ab Episcopo, et confirmantur a locali parocho. Neque valide opponi potest decreta dilatio gratiae in citata *Lugdunen.*; tunc enim agebatur de diacono, qui adhuc obnoxius erat convulsionibus epilepticis tempore saltem nocturno.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 221.

Demum in casu pro gratiae concessione militat saltem utilitas dioecesis, quum bonum vel unius paroeciae redundet in utilitatem universalem, et de coetero dioecesis Iaciensis, excepta forsan urbe episcopali, laborare videtur deficientia cleri. Praeterea Episcopus dicit acolythum Patané bonis qualitatibus moralibus et intellectualibus instructum esse, necnon zelo ostenso in pueris addiscendis; ideoque oratorem benignitati S. Sedis commendat.

Responsum. Sacra Congregatio Concilii in plenario coetu diei 27 Iunii 1908 respondit: *Ad mentem* (1).

HILDESHEMIEN.

FRUCTUUM BENEFICII EX SALIS FODINIS

Quaenam emolumenta ex salis fodinis derivantia pertineant ad beneficium et quaenam ad beneficiarium.

Factiseries. In Hannoverana provincia, sub ditione imperii Borussici, plures censentur fundi qui sub altitudine soli inveniuntur continere fodinas salis, germanice nuncupati *kali*. Cum fundorum possessores graves expensas sufferre nequeant pro his altissimis fodinis sive investigandis sive eruendis, hinc institutae sunt ad hoc mercatorum societates, quae curant praedictum salem investigare, eruere et vendere. Hae societates cum fundorum possessoribus, quibus ex iure civili vigenti in praefata provincia harum fodinarum proprietas spectat, contractus ineunt cessionis et emptionis, et sequentia eisdem respective spondent emolumenta, nempe: 1°. certam aliquam pecuniae summam possessoribus fundorum solvendam statim post contractuum subscriptionem tamquam praemium initae stipulationis, et iterum statim post salis inventionem tamquam tributum gaudii de felici eventu; 2°. praeterea a die initi contractus usque ad terminum, quo

(1) Omnibus attentis videtur S. Congregationem petitam dispensationem ab irregularitate sub quibusdam cautelis concessisse (*N R*.).

sales inventi et erui coepti fuerint, solvitur possessoribus a societatibus annuus quidam census, qui nomen habet census temporis expectationis, seu compensatio pro mora danda; cuius solutio ideo stipulatur, ne societates nimis differant fodinae institutionem; 3°. demum a termino quo sales inventi et erui coepti fuerint, solvitur census annuus qui nomen habet *census salis eruti*, et cuius quantitas pendet a quantitate salis eruti.

Iamvero cum inter hos fundos ditatos salis fodinis non pauci adfuerint fundi beneficiorum parochialium, Episcopus Hildeshemiensis, utens facultatibus sibi a S. Sede concessis pro alienatione bonorum ecclesiasticorum, nec non accedente consensu Gubernii iuxta leges Borussicas, permisit ut singuli respectivi parochi, horum fundorum possessores, cum enunciatis societatibus dictos contractus inire valerent. At nunc idem Episcopus nonnulla movet dubia circa horum emolumentorum seu fructuum ex fodinarum cessione provenientium pertinentiam: proindeque quaerit an praemium sive post contractus stipulationem sive post salis inventionem, et census temporis expectationis pro mora dandus, nec non census salis eruti, pertineant ad beneficiatum aut ad beneficium; seu aliis verbis, disceptatur cuinam stipulata superius pecuniaria emolumenta cedere seu adiudicari debeant, an parochis fundorum possessoribus, vel potius collegio seu administrationi fundorum parochialium, quae ea conferat in beneficii dotem.

Animadversiones. Profecto quod haec emolumenta cedant favore parochorum, sequentia motiva suadere videntur. Parochi enim seu beneficiati eodem iure in primis censentur ac usufructuarii. Iam vero quod hae fodinae sive lapidum sive metalli aut similium, tum excavatae et existentes tempore incepti ususfructus tum post noviter inventae, pertineant ad ususfructuarium clare edocetur in *leg. 9 ff. de usufructu et quemadm.*: « Item si fundi ususfructus sit legatus, quidquid

in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructuarii est, sic tamen ut boni viri arbitratu fruatur. Et si lapides in eo fundo sint, earum quoque ususfructus ad eum pertinet. Sed si lapidicinas habeat, et lapidem caedere velit, vel cretifodinas habeat vel arenas, omnibus his usurum Sabinus ait, quasi bonum patremfamilias. Quam sententiam puto veram ». Deinde eadem lex pro novis instituendis fodinis durante usufructu ita decernit: « Sed si haec metalla post usumfructum legatum sint inventa, cum totius agri relinquatur ususfructus, non partium, contineantur legato ». Hoc idem clarius continetur in *lege 13, § 5 ff.* eodem tit.: « Inde est quaesitum an lapidicinas vel cretifodinas vel arenifodinas ipse *(ususfructuarius)* instituere possit? Et ego puto etiam ipsum instituere posse, si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicinarum et huiusmodi metallorum inquirere poterit: ergo et auri et argenti et sulphuris et aeris et ferri et ceterorum fodinas, vel quas paterfamilias instituit, exercere poterit, vel ipse instituere, si nihil agriculturae nocebit ».

Pro harum legum explicatione et illustratione conferri possunt tum Voet ad *Pandectas lib. 7, tit. 1, n. 24,* tum Richerius *Universa Iurisp., tom. 3, n. 1577,* qui concludunt tum incoeptas fodinas tum noviter durante usufructu repertas ad usufructuarium pertinere. Ex hisce itaque textibus videretur posse argui, quod commoda ex enunciatis supra salis fodinis derivantia pertineant ad parochos. Verum quia praedictae excavationes salis aliquibus casibus fundum deteriorem reddere possunt, tunc parochi de hac deterioratione fundo allata tenentur, uti tradunt Castillo *De usuf., cap. 37, n. 7,* et Garzias in tractatu *De expens. et melioram., cap. 22, n. 47*: « Tertius casus est si talis sit lapidicina..... et ex ea effossum...... non renascatur; tunc quidem in emphyteuta, vassallo, marito, Praelato, Episcopo, rectore et in aliis id genus possessoribus, qui dominium utile obtinent ad quos non

solum fructus, verum proventiones et emolumenta commodaque pertinent, dicendum est marmora illa effossa et reliqua metalla etiam non renascentia ad eos pertinere, qui tamen expensas de suo facient, et si fundum fecerint peiorem de damno tenebuntur ».

Neque hic invocari posset theoria de thesauro, qui in fructu non est et ad dominum fundi pertinet iuxta *leg. un. Cod. de thesauro*: nam thesaurus non est pars fundi, uti sunt fodinae salis et caeterarum rerum, cum thesaurus iuxta *leg. 31 ff. de acq. rer. dominio* sit « vetus depositio pecuniae, cuius memoria non extat, ita ut dominum iam non habeat ». Si itaque ex Romano iure fodinae, sive incoeptae sive noviter inventae in fundo, pertinent ad eius usufructuarios, idem dicendum videtur de beneficiatis relate ad fodinas existentes in fundis suae praebendae, quorum ipsi sunt usufructuarii. Profecto circa hoc punctum de fodinis in fundis beneficialibus extantibus nulla adest dispositio canonici iuris: hinc recurrit regula tradita in *cap. 1 et 2 de novi operis nuntiat.* de applicatione iuris civilis Romanorum: « Sicuti leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum instituta canonum Principum constitutionibus adiuvantur ».

Ulterius in themate expendi oportet, quod emolumenta provenientia ex huiusmodi contractibus a beneficiorum possessoribus stipulatis cum dictis societatibus pro salis excavatione sunt triplicis generis: alia habent rationem praemii, ut ea quae solvuntur tempore initi contractus vel tempore inventae salis fodinae; alia induunt speciem compensationis damni, uti census temporis expectationis; alia demum constituunt correspectivum pretii salis eruti, uti census salis eruti. Iam vero de duabus prioribus speciebus emolumentorum non videtur posse dubitari, quod ea spectent ad beneficiatos, siquidem non habent rationem pretii salis eruti, sed ex alia causa tribuuntur. Tota itaque difficultas coarctaretur ad censum pro sale eruto. Verum ex superius expositis cum sit

demonstratum, quod huiusmodi fodinae habentur in fructu relate ad usufructuarios, consequens est ut etiam pretium, ex earum venditione retractum, ad eosdem pertineat.

Ex adverso vero observari potest, quod beneficiarius non in omnibus aequiparari potest usufructuario, praesertim inspecto iure romano. Ita tradit Castillo *de usufructu, cap. 79, n. 8*: « Sed neque de iure communi praedicta aequiparatio usufructuarii et beneficiarii videtur secura, quoniam fructuarius libere de fructibus disponit, ut certissimum est, beneficiatus vero alio et diverso more ». Aliae differentiae videri possunt apud Schmalzgrueber *lib. 3, tit. 39, n. 148*. Unde ex facta comparatione beneficiati cum usufructuario nihil deduci posse videtur. Id eo vel fortius tenendum quia usufructuariis iuxta modernas leges inhibitum est novas instituere fodinas. Ita Codex gallicus *art. 588*, cui respondet *art. 494* Codicis italici: « L' usufruttuario non ha però diritto sulle miniere, « cave, o torbiere non ancora aperte, nè sul tesoro che si sco« prisse durante l' usufrutto, salve le ragioni che gli potessero « competere come ritrovatore ». Equidem Episcopus Hildeshemiensis in suis precibus exponit, quod « ex iure civili communi in Hannoverana provincia vigente proprietas salium in profunditate terrae existentium ad possessores fundi pertinet », sed verbum *possessores* in themate videtur referri posse ad dominos fundorum, quales profecto dici nequeunt beneficiarii. Cum itaque salis fodinae uti in themate haberi non possunt uti in fructu beneficiati fundum possidentis in quo illa existunt, consequitur ut quidquid ex illis proveniat sive ratione pretii salis eruti, sive aliis enunciatis titulis, non spectet ad eumdem beneficiatum, sed potius ad beneficii dotem cuius favore emolumentum inde proveniens accedit.

Unde Aichner *(Compend. iuris eccles., § 231)* loquens de beneficiatis haec habet: « Ratione substantiae beneficii sui hi non habent dominium, sed hoc ad piam causam scilicet ad ipsum beneficium spectat. Ad substantiam pertinent etiam

emolumenta extraordinaria v. g. thesaurus in fundis beneficialibus inventus, statuae aliaeque antiquitates pretiosae e solo erutae, magna et extraordinaria effossio lapidum, arenae. Pecunia in eiusmodi rerum pretium soluta non ad beneficiatum spectat, sed favore beneficii investiri debet. Etenim tales res e solo effossae non censentur esse in fructu beneficii sed potius partes ex substantia separatae, quae frugiferae pro beneficiatis fieri possunt et debent ».

Huc pertinent tres decisiones relatae ab ephemeride *Acta S. Sedis, vol. 4, pag. 165.* Prima est resolutio edita a S. C. EE. et RR. sub die 6 Martii 1868. Inibi agebatur de societatibus pro viis ferreis, quae pro his extruendis effossionem lapidum effecerant in parte montana fundi possessi a canonico Poenitentiario. Per hanc excavationem et exportationem lapidum fundus non deterior sed potius fertilior evaserat. Quaesitum est de pertinentia pretii, scilicet, « an, quomodo et ad quem pertinet pretium in casu », et S. C. respondere censuit: « Pecuniam solutam in pretium magnae et extraordinariae effossionis lapidum, arenae et cretae spectare beneficio et investiendam esse, et ad mentem »; quae fuit ut ex investiendo pretio subtraheretur congrua summa pro expensis factis et pro amissione fructuum naturalium. Aliae duae resolutiones editae fuerunt ab hac S. C. in ***Praenestina*** diei 17 Dec. 1796, et in ***Romana*** diei 25 Ian. 1834. In prima decretum fuit pretium retractum ex statuis inventis in fundis canonicalibus antiquae erectionis esse restituendum et investiendum favore massae antiquae. In altera item decisum fuit pretium derivatum ex venditione nonnullorum monumentorum magni valoris, quae effossa fuerant ex fundis Capituli Lateranensis, ex integro spectare mensae capitulari.

Ex his decisionibus hoc colligere licet quod sive agatur de extraordinaria effossione lapidum aut alterius materiae magni valoris, sive de aliis rebus pretiosioribus in fundis beneficialibus inventis, hae uti in fructu considerari nequeunt,

sed potius ut pars fundi eius dotem efformans, ideoque respectivum pretium beneficiato non spectat, salva indemnitate pro expensis factis vel ex deterioratione fundi aut ex amissione fructuum naturalium. Neque valide Episcopus in casu censet has decisiones applicari non posse; quia in decisione S. C. EE. et RR. diei 6 Martii 1868 « agebatur de magna et extraordinaria effossione lapidum, arenae et cretae, quae fortuito casu reperta et unicâ magnâ effossione eruta ac vendita sunt; ita ut eiusmodi extraordinaria effossio non tam fructuum perceptioni quam alienationi partis fundi vel thesauri aequiparanda videretur; dum in nostris casibus initio contractus incertum omnino est, num quid salis inveniatur; atque si sales reperiantur non sequi solet una extraordinaria effossio sed sensim per multos annos aut per plura decennia sales methodo artificiosa salisfodinarum in lucem proferentur usque ad exhaustionem venarum, quae situ et quantitate valde inter se differunt ». Verum respondetur quod haec differentia est tantum accidentalis, scilicet in eo posita quod dum lapidum fodina in primo casu exhauritur unicâ et extraordinaria effossione, in praesenti casu salisfodinae pluribus effossionibus exhauriuntur: sed in utroque semper manet quod pars fundi alienetur, proindeque eius pretium cedere debet in dotem beneficii. Certe res alia esset si huiusmodi salisfodinae in fundi meliorationem converti possent, ut fieri solet de novis inventis aquarum venis quae horticulturae fructus augescunt: sed cum id de salisfodinis praedicari non valeat, quae aliam prorsus habent destinationem et consequenter cum ex earum venditione seu annua effossione a beneficiatis annuus pecuniae census exigatur, hoc emolumentum, salva semper indemnitate ex deterioratione fundi pro dicta effossione, cedere debet collegio administrativo beneficiorum parochialium, ut eorum favore locum habeat investimentum.

Decisio. Emi Patres S. Congr. Concilii in plenario conventu diei 27 Iulii 1908 responderunt:

Censum salis eruti spectare ad beneficium et investiendum esse in illius augmentum; reliqua emolumenta cedere favore beneficiarii.

VICTORIEN.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Dispensatur super irregularitate ob defectum visus.

Supplices preces. Bernardinus Irco y Garralda, acolythus e dioecesi Victoriensi in Hispania, et quintum sacrae theologiae curriculum peragens, cupit ad s. ordines ascendere, a quibus arcetur ob defectum facultatis visivae ex laesionibus retinae pigmentariae exortum, « vi cuius haud facile sit ei, in loco ubi parum lucis existat nec aliquo instrumento optico instructus, bene legere aut videre, quamvis optime videat ac legat ubi lux copiosa non deest ». Hinc die 2 Martii p. e. deprecatur SSmum ut dignaretur cum eo super irregularitate ob defectum visus benigne dispensare. Episcopus vero dioecesanus declarat, « vera esse exposita, et attentis optimis moribus, quibus orator ornatus apparet, simulque profectibus in scientiis ecclesiasticis ab eo peractis, enixe oratorem pro gratia » commendat. Hisce precibus acceptis, haec S. C. eidem Episcopo rescripsit, ut exhiberet tum votum magistri caeremoniarum, ex quo constaret num et quaenam admiratio oritura sit in sacris functionibus ob enunciatum defectum, tum etiam votum peritorum circa gravitatem defectus et probabilitatem ulterioris progressus. Quod revera factum est.

Animadversiones. Nullum dubium heic agi de vera irregularitate ex defectu corporis, quum id eruatur ex cap. *Presbyterum, de clerico aegrotante,* nec non ex cap. *Thomas, de corpore vitiatis,* atque sancitum inveniatur in pluribus causis

penes hanc S. C. agitatis. Potius inspiciendum est, num, attenta praesertim actuali Ecclesiae disciplina et praxi, oporteat expetitam ab irregularitate dispensationem elargiri. Iamvero gratiae concessioni obstare videtur fides scripta medici, qua declaratur, generatim loquendo huius generis defectus tractu temporis et praesertim in iis, qui studiis assiduam operam impendunt, penitus destruere facultatem visivam. Verum si perpendatur ex una parte quod id nonnisi post multos annos evenire posset, ex altera vero quod orator suum studiorum curriculum iam feliciter emensus sit, fortasse iudicium periti non undequaque obstaret, quominus oblatae preces benigno favore excipiantur. Equidem diffitendum non est, Ecclesiam facilius dispensationem indulsisse cum promotis quam cum promovendis; attamen non desunt exempla, quibus dispensatum fuit etiam cum clerico in iisdem saltem adiunctis constituto ac acolytho de quo est sermo. Ita in *Lavallen.* 14 Maii 1870, in *Faventina* 15 Febr. 1879, in *Maioricen.* 30 Maii 1891, in *Augustana* 17 Iunii 1899, et praesertim in *Hipporegien.* 23 Iunii 1900.

Iamvero in casu actuali medicus, quamvis meliorationem visus impossibilem esse edicat, tamen fidem facit, hunc in praesenti statu permanere posse, opportunis adhibitis curis. Caeterum acolythus Irco etiam ex attestatione magistri caeremoniarum, conspicillis munitus, legere valet absque populi admiratione Sacrum in Missali ordinariis uti videtur characteribus impresso, atque una simul perspicit Hostiae fragmenta.

Exempla autem denegationis gratiae indigitantur in *Neapolitana* 17 Sept. 1814 et in *Vercellen.* 28 Iulii 1860, aliisque. Sed notandum quod in prima causâ res erat de clerico qui tanta nervorum opticorum debilitate laborabat, ut vix lucem a tenebris secernere valeret; in altera vero de clerico, qui ita facultatis visivae debilitate praepeditus erat, ut nedum in Missali legere non posset, verum etiam nonnisi calicem, patenam, Hostiam et pallam conspiceret. Nuper vero,

nempe in *Cervien.* 19 Maii 1906, ideo rescriptum ***non expedire*** editum fuisse videtur, quia agebatur de defectu facultatis visivae valde imminutae ob debilitatem nervi optici, et de clerico provectae aetatis nempe 47 annorum.

In themate praeterea Episcopus maxime commendat pietatem et ingenium oratoris, atque insuper litteris diei 8 Aprilis 1908 addit « eum et familiam suam in extrema egestate constitutos esse, valdeque difficile futurum ei media comparare, quibus vitae necessitatibus aliter subveniat». Equidem haec ultima ratio non multum in calculo tenenda est, sed ex alia parte non videtur praecise oratoris culpae vertendum, si ipse, usque ad emensa sua studia ecclesiastica, permansit in Seminario, ad s. ordinationem se praeparans eamque expectans.

Decisio. Emi Patres S. Congr. Concilii in plenario conventu diei 27 Iulii 1908 responderunt:

Pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi, facto verbo cum SSmo.

EX S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

Conceditur facultas ordinandi sodales instituti dioecesani ad titulum mensae communis.

Romae, 3 Maii 1907.

Reverendissime Domine,

Precibus annuens a te, Revme Domine, huic sacrae Congregationi sub die 1 proxime elapsi Februarii porrectis, et ab Emo Archiepiscopo Parisiensi commendatis, per praesentes tribuitur tibi facultas ordinandi sodales istius cui praees instituti a Domina Nostra de Sion nuncupati, ad titulum mensae communis, pro decem casibus. Quominus enim ordinari

queant ad titulum missionis obstat praxis exigendi ab his qui hoc titulo ordinantur iuramentum non ingrediendi in Religionem.

Omnia interim bona tibi a Domino precor.

Reverentiae Tuae

Addictissimus servus
Fr. H. M.ª Card. GOTTI, *Praefectus*.
Aloisius Veccia, *Secretarius*.

De ratione transmittendi Missas ad Ecclesias orientales.

Cum plures Praelati enucleatas instructiones postulaverint circa modum quo transmitti possint Missae ad Ecclesias rituum orientalium, haec S. C., ad tramites recentiorum decretorum, has distinctas normas proponit ab omnibus adamussim servandas:

1°. Si qui velint Missas, quarum exuberet copia, ad Ecclesias rituum orientalium mittere, hoc praestare possunt non modo per hanc S. C., uti praecipitur in decreto *Recenti* (1) S. C. Concilii die 22 Maii 1907 sed etiam per R̃mos Delegatos Apostolicos in regionibus orientalibus constitutos. Quo in casu, necesse est significare Delegatis Apostolicis quot Missae et quae stipendiorum summa tradi debeant Praelatis orientalibus intra cuiusque Delegationis ambitum exsistentibus.

2°. Nullatenus licet eleemosynas mittere ad viros laicos qui postea eas distribuant sacerdotibus Missas celebraturis.

3°. Neque licet celebrationem Missarum directe committere presbyteris orientalibus.

4°. Vetitum etiam est eleemosynas directe mittere ad Superiores congregationum religiosarum orientalium.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 344.

5°. Immo neque licet Missas directe committere Praelatis orientalibus, qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales.

6°. Si vero agatur de Antistitibus habentibus iurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna ab Episcopis et sacerdotibus ad ipsos Antistites directe mitti possunt pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat iis subiectorum, uti declaravit S. C. Concilii die 18 Martii 1908. Ne autem ex pluribus locis simul, multae eleemosynae confluant in unam et eamdem dioecesim (quod nimiam dilationem in Missis celebrandis secum ferret); ideo qui committit eleemosynas alicui Praelato orientali, certiorem faciat de numero Missarum etiam Delegatum Apostolicum regionis ad quem spectat vigilare ut Missae, ea qua par est sollicitudine, celebrentur.

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 15 Iulii 1908.

Fr. H. M. Card. Gotti, *Praefectus.*
Aloisius Chiesa, *Officialis.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

TAURINEN.

Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Bosco, sacerdotis fundatoris piae Societatis Salesianae.

Supremus humanae familiae auctor et rector Deus, sicut aliis temporibus ita nostris, christianae societati peculiari cura consulit, opportunis subveniens auxiliis ac remediis, per selectos viros luminosa atque actuosa virtute conspicuos, qui percurrentes viam suam salutarem vitalemque spiritum et ca-

lorem omnibus impertire visi sunt. Inter hos, saeculo nuper elapso, divina providentia in praesidium et ornamentum Ecclesiae suae misit sacerdotem Ioannem Bosco qui sanctorum virorum Iosephi Calasanctii, Vincentii a Paulo, Ioannis Baptistae de la Salle aliorumque similium vestigiis inhaerens, cum pia Societate Salesiana ab eo instituta cumque aliis variis operibus hominum saluti procurandae ac praesertim iuventuti religione, studiis et artibus instituendae se totum devovit, omnibus omnia factus ut omnes faceret salvos. Marialdi apud Castrumnovum in Astensibus ex probis piisque parentibus Aloisio et Margarita Occhiena ortus est Dei Famulus, die 16 Augusti 1815. Post triennium, patre demortuo, sub matris viduae, quae labore, gravitate ac virtute liberis praelucebat, singulari cura et tutela succrevit puerulus domi degens et cunctis amabilis agrestibus operibus victum sibi comparabat. Decennis, ingenii memoriaeque specimine dato, a R. D. Colosso oppidi natalis cappellano uti hospes et alumnus acceptus, ad litterarum rudimenta addiscenda admissus fuit. Brevi post, magistro vita functo, ad agrestem et pastoritiam artem reversus, aliquo tempore suam impendit operam; studiis tamen non omnino intermissis. Verum pia genitrix filii votis obsecundans eum Castrumnovum decem millia passuum dissitum quotidie mittebat, ubi dum a parocho loci latini sermonis primordiis erudiebatur, simul municipales scholas diligenter frequentabat. Postea Cherium translatus omnes et singulas gymnasii classes, singulari honore ac praemio pluries donatus, felici exitu absolvit; itemque bonos sodales in virtute firmare, malosque ad bonam frugem reducere sategit. Ad hunc finem Ioannes eos iuvenes in coetum quem a laetitia nuncupaverat, statis diebus et horis, pro exercitationibus aetati, honestati ac religioni congruis, congregabat; huiusque industriae fructus fuit etiam adolescens ex iudaismo ad fidem catholicam conversus cum magno sodalium gaudio. Quae vitae ratio veluti praeparatio habenda est ad nobilio-

rem statum super quo quum anceps esset Servus Dei, opportunum ipsi advenit auxilium tum parochi Castrinovi rev. Cinzano, tum potissimum Ven. Cafasso cuius consilia et exempla ex tunc sequi coepit. Vertente an. 1834, viginti aetatis annos agens, Castrinovi in ecclesia parochiali S. Michaelis Arch., in festo titulari, clericalem habitum induit; simulque quaedam salutaria monita scripsit et ante imaginem Deiparae Virginis perlegit, cum proposito ea fideliter adimplenda. Operâ vero ipsius Ven. Cafasso, Cherii seminarium archiepiscopale ingressus est, ubi sex annos philosophiae ac theologiae operam dedit, speciali praemio quotannis cohonestatus. Historiae quoque ecclesiasticae, ac linguis graecis, hebraicis et gallicis aliisque studuit disciplinis. Maxime laetabatur quod cum quibusdam sodalibus ferventioribus, inter quos Aloisius Comotto laude et mentione dignus, a suis superioribus obtinuerat ad sacram synaxim, praeter morem, pluries in hebdomada accedere. Interim apostolatum quem Marialdi et Castrinovi inceperat, Cherii intra seminarii parietes prosequutus est erga pueros et adolescentes tam internos quam externos. Subdiaconatus et diaconatus ordinibus rite susceptis, quum ad presbyteratum promoveretur, paucis ante diebus, nova ac perfectiora sibi proposuit adimplenda quae scripto tradidit. Sacerdotio auctus Augustae Taurinorum ad S. Francisci Assisiensis primum Sacro operatus est, adsistente sacerdote Iosepho Cafasso, iterum in ecclesia B. M. V. a consolatione, tertium et quartum Cherii; die autem Sanctissimo Corpori Christi dicata, Castrinovi, magna confluente populi multitudine. Vespere dum paternam domum repetit, transiens per locum ubi suum apostolatum pro pueris olim praesenserat, Deo gratias agit, laudesque tribuit cum psalmo 112 *Laudate pueri Dominum*. — Pia Margarita Ioannem sacerdotem iucundo ac materno affectu excipiens, ad Christum pro nobis passum excogitandum et imitandum eum hortatur, nihilque postulat a filio quam preces iugemque

sui memoriam ad altare Domini. Anno 1841 Augustas Taurinorum se contulit, et, auctore ac duce Cafasso, in collegio ecclesiastico S. Francisci Assisiensis per triennium theologiae morali et sacrae eloquentiae incubuit, simulque sacerdotalia munia obivit etiam in carceribus et nosocomiis. Ad pueros autem derelictos iuvenesque informandos, diebus festis in ecclesiis, oratoriis aliisque in locis coetus habebat. Pluribus exortis difficultatibus et obstaculis, eisque tandem, Dei ope, superatis, veluti in portum se recepit in domum vici *Valdocco* prope Taurinum. Quam domum seu potius speluncam, unius hebdomadae spatio, in decens aedificium convertit, die dominica 12 Aprilis an. 1846 idem Dei Famulus, habita licentia, solemni ritu lustravit atque Deo Optimo Maximo in honorem S. Francisci Salesii dicavit. Huiusmodi oratorium et ipsum rectorem pluribus privilegiis Taurinensis Archiepiscopus auxit, et ipse Rex Carolus Albertus in fidem suam et tutelam excepit. Deinceps alia duo aperuit oratoria, unum Aloisio Gonzaga, alterum Angelo tutelari, sacra, in quibus quingenti et ultra iuvenes adnumerabantur. Scholas quoque diurnas, nocturnas et dominicales ad iuvenes artifices excolendos instituit; et, affluentibus discipulis, aliquos elegit atque instruxit, qui in oratoriis et in scholis praeceptoris munus gererent. Mense Aprilis an. 1847, miseriis atque aerumnis quorumdam adolescentulorum permotus, in domunculam quam prope oratorium praecipuum conduxerat et ubi cum matre domicilium habebat, eos libenter hospites recepit; illisque quae ad cultum victumque quotidianum erant necessaria, Margarita coadiuvante, suppeditabat. Huic humili casae referenda sunt initia hospitii a S. Francisco Salesio nuncupati quod an. 1851 triginta adolescentulos, et ampliata domo, an. 1860 quadringentos, atque an. 1870 octingentos habebat hospitio receptos. Hos vero iuvenes apud magistros in officinis urbanis collocabat ut varias artes discerent et exercerent; quas officinas Ioannes saepe saepius adibat de suorum iuvenum

agendi ratione atque in arte profectu sciscitari curabat. Postea eorum moribus religionique melius consulens in ipso hospitio ab an. 1855 officinas aperuit. Quos ex illis maiori ingenio et virtute praestantiores et idoneos reperiebat, ad litterarum et scientiarum studia destinabat. Ipse erat horum magister, mox alios adhibuit cooperatores ex ecclesiasticis professoribus et theologis, quum seminarium dioecesanum esset clausum et Taurinensis Antistes Fransoni in exilium missus. Historia oratorii et hospitii usque ad an. 1870 complures sacerdotes e proprio gremio egressos recensebat sacris muneribus ornatos et valde utiles archidioecesi Taurinensi aliisque dioecesibus regionis Pedemontanae. In iuvenibus instituendis Ioannes Bosco prae oculis habitâ divina sententia *Initium sapientiae timor Domini* methodum praevenientis industriae, vigilantiae et caritatis secutus est; simulque studuit ut, occupationibus nonnunquam intermissis, animus aptis honestisque ludis recrearetur. Hinc scholas populares gymnasticis musicisque exercitiis adornavit. Ne opus ad iuventutis utilitatem erectum lapsu temporis evanesceret, sed stabile fixumque permaneret, Servus Dei praehabito consilio virorum prudentum atque ipsius Ven. Cafasso, libenter etiam annuente, vivae vocis oraculo, Romano Pontifice Pio IX, Augustae Taurinorum anno 1859 Societatem Salesianam instituit et ex omnium capitularium sententia titulo rectoris maioris gubernavit. Quam Societatem in dies adauctam ac diffusam Apostolica Sedes an. 1864 laudavit et commendavit, atque anno 1869 decreto die 1 Martii edito approbavit et confirmavit. Interim Congregationem Filiarum Mariae, deinceps adiecto titulo Auxiliatricis, quam ex puellis sui oppidi *Mornese,* dioecesis Aquensis, pius sacerdos Dominicus Pestarino constituerat, ipso rogante veluti filialis adoptionis titulo Ioannes excepit atque institutori, demortuo an. 1872, alterum praesidem ex suis sodalibus salesianis suffecit. Ita religiosa puellarum Familia Mariae Auxiliatricis quasi secundus Ordo ha-

bitus est Salesiani Instituti cui brevi post accessit, veluti tertius Ordo, pia unio cooperatorum utriusque sexus, die 9 Maii an. 1876 ab Apostolica Sede adprobata atque privilegiis indulgentiisque ditata. Inde ephemerides salesianae et lecturae catholicae, historicae, litterariae et populares etiam pro scholis ad unionem et caritatem omnium sodalium cum sana doctrina fovendam atque augendam et ad improborum atque haereticorum insidias erroresque avertendos. Tandem commemorare iuvat missiones per Europae atque Americae regiones propagatas et florentes; opus, cui vulgo *Figli di Maria* nomen est, adultorum ecclesiasticis vocationibus excolendis cum suis quinquaginta et ultra domibus; plures ecclesias ornatissimas diversis in regionibus erectas inter quas eminent ecclesia Taurinensis B. M. Virginis Auxiliatricis et templum parochiale Romae in Castro Praetorio, flagitante Leone XIII, extructum et Sacratissimo Cordi Iesu dicatum cum peramplo hospitio variis litterarum et artium scholis aucto. Non defuerunt Servo Dei angustiae et contradictiones quas cum debito obsequio, singulari patientia et animi fortitudine, Deo adiuvante, superavit; tamen hisce afflictionibus assiduisque laboribus fractus die 20 Decembris an. 1887 in morbum incidit qui fere quadraginta dies perduravit, gradatim ingravescens. Sacramentis Ecclesiae rite susceptis, ipsum invisentibus apta et salutaria monita dabat, suosque intimos RR. DD. Rua et Cagliaro rogabat, ut extrema sua consilia Salesianis communicarent. Cardinali Alimonda Archiepiscopo Taurinensi se morientem suamque congregationem enixe commendavit. A Cardinali Richard Archiepiscopo Parisiensi Romae ad suam dioecesim iam redeunte, benedictionem obtinuit eo pacto ut Ipse Parisiensem Antistitem cum fidelibus sibi commissis benediceret; prouti vir obediens egit. Perdurante aegritudine fere quotidie divinam Eucharistiam sancte receperat, et postremo in festivitate S. Francisci Salesii; saepiusque ingeminabat: *Fiat voluntas tua - In manus tuas*

Domine - Maria Mater gratiae - Diligite inimicos vestros - Quaerite regnum Dei - Alter alterius onera portate. - Exemplum bonorum operum. Adventante autem die 31 Ianuarii an. 1888 summo mane, ad signum campanae Beatissimam Virginem salutavit exclamans: *Viva Maria,* et paulo post, hora fere quinta, adstantibus superioribus et alumnis praecipuis totius Societatis qui dilecti sui legiferi patris et magistri discessum precibus lacrimisque prosequebantur, Ioannes Bosco pie obdormivit in Domino. Nuncio mortis vix evulgato, tota civitas maximo moerore ac luctu affecta est. Innumeri cives et exteri confluxerunt ad cadaver invisendum sacra veste indutum et publice expositum in ecclesia S. Francisci Salesii ubi solemnes exequiae persolutae sunt. Ipsum vero cadaver ad collegium sacrarum expeditionum paulo ante apertum apud Salicis vallem, delatum et solemni pompa exceptum, ibidem honorifice tumulatum fuit. Interim sanctimoniae fama quam Servus Dei in vita acquisierat, post obitum adeo percrebuit ut de ea inquisitiones ordinariae adornatae et sacrorum Rituum Congregationi exhibitae sint. Quum vero omnia in promptu essent, et, revisione scriptorum rite peracta, nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset, instante Rmo Dño Ioanne Baptista Marenco congregationis Salesianae Procuratore et Postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis quorumdam Emorum S. R. E. Cardinalium, complurium Rmorum Sacrorum Antistitum necnon Capitulorum cathedralium et Praepositorum Ordinum religiosorum, Emus et Revmus Dñus Cardinalis Iosephus Calasanctius Vives y Tuto huiusce causae Ponens seu relator, in ordinariis sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde san-

ctae fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 23 Iulii 1907.

Facta postmodum de praedictis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam sacrae eiusdem Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis causae Venerabilis Servi Dei Ioannis Bosco, sacerdotis fundatoris piae societatis Salesianae, die 24, eisdem mense et anno.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

✝ D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

TRIDENTINA

Decretum confirmationis cultus seu declarationis casus excepti in honorem Servi Dei Romedii Confessoris, Sancti nuncupati.

Saeculo quarto vertente, in oppido Thaur, olim Tridentinae nunc Brixinensis dioeceseos, ex antiqua et nobili familia ortus est Romedius. A christianis conspicuisque parentibus pie institutus ac divina protectione munitus, ea virtutis et pietatis praebuit indicia quae, succrescente aetate, maiora portendebant incrementa. Adolescens relicta domo ac mundo valedicens in solitudinem se recepit, orationis et contemplationis suavitatem cum corporis afflictatione coniungens. Neque huius vitae austerae et absconditae ratio prohibuit quominus pii quidam iuvenes Abraham, qui cognominabatur Adeodatus, et David in socios adsciti, veluti primi surculi, arbori sanctimonia florenti insererentur. Parentibus orbatus, audiens Dominum in Evangelio dicentem: « Vade et vende omnia quae habes et da pauperibus et veni sequere me », peramplas opes haereditarias, partim egenis distribuit, partim ecclesiis Tridentinae et Augustensi donavit. Una cum sodali-

bus Tridentum adiit, sanctum Episcopum Vigilium invisurus. Huic sacro Antistiti suum aperuit animum, eoque probante romanum iter statim aggressus est. Peregrinus in Urbe coenobia, templa et martyrum memorias devote lustravit, atque omnibus, quae ad suam pietatem fovendam augendamque conferre poterant, diligenter expletis, Summi Pontificis praesentia et benedictione maxime laetatus est. Tridentum reversus, eremiticae vitae amantissimus, apud Castrum Tavoni in Anaunia regione una cum sociis sese abdidit, ibique in vertice montis sacellum extruxit. Divinis rebus iugiter intentus, Romedius etsi pauper et humilis, vitae tamen operumque sanctitate emicuit; quam Deus prodigiorum testimonio comprobasse traditur. Interim supremum diem sibi appropinquare sentiens, dilectis sociis aeternae salutis et christianae perfectionis praecepta et monita paterno affectu in memoriam revocavit. Totus autem in Deum mente et corde, veluti in extasim, raptus, terrenum exilium cum caelesti patria commutavit die decimaquinta Ianuarii. Fama sanctitatis Servi Dei in vita et post obitum, miraculis, uti fertur illustrata, adeo percrebuit, ut Ipsimet ecclesiasticus et publicus cultus statim adhibitus fuerit, in dies auctus et ad haec usque tempora perseverans. Quum vero R. D. Antonius Petrus Casagrande, Prior ecclesiae seu sanctuarii a S. Romedio nuncupati, intra fines Tridentinae dioeceseos, et huius causae Postulator, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, per decretum sacrorum Rituum Congregationis, die 10 Novembris 1906 obtinuerit, ut in ordinariis eiusdem sacrae Congregationis comitiis proponi ac discuti possit dubium de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII super praefato cultu Servi Dei Romedii Confessoris et Sancti nuncupati, absque praevia constructione formalis processus ordinarii cum subsequenti sententia; dummodo huiusmodi casus exceptus documentis in forma authentica productis probaretur, idem Postulator exquisita documenta cum informatione et congruentibus litteris postula-

toriis huic sacro Consilio subiicere curavit simulque decretum confirmationis cultus humiliter expetivit. Ex his documentis praeter ea quae superius relata ad ortum, vitam et obitum Servi Dei attinent, quae ad cultum eidem concessum et exhibitum spectantia eruuntur. In primis recensetur festum cum officio et missa in honorem eiusdem Romedii Brixinensi dioecesi ab Apostolica Sede, die 7 Martii 1795, indultum. Quod festum item in civitate ac dioecesi Tridentina sub ritu duplici maiori constanter celebratum patet ex pluribus antiquis et recentioribus calendariis, propriis et synodalibus statutis ipsius civitatis et dioecesis. Itaque, instante praelaudato Priore sanctuarii S. Romedii et causae Postulatore, attentisque supplicibus votis Rm̃i Episcopi et Principis Tridentini et cleri ac fidelium totius dioecesis, infrascriptus Cardinalis Seraphinus Cretoni S. R. C. Praefectus, loco et vice Em̃i et Rm̃i Dñi Cardinalis Andrea Steinhuber eiusdem causae Ponentis seu relatoris, in ordinario sacrorum Rituum Congregationis coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: *An constet de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Em̃i ac Rm̃i Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post relationem ipsius infrascripti Cardinalis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde sanctae fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuerunt: *Confirmandum esse cultum, si Sanctissimo placuerit.* Die 23 Iulii 1907.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per ipsum infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 24, eisdem mense et anno.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



ORDINIS FRATRUM MINORUM

Indultum Missae votivae de S. Familia in ecclesia Nazarena S. Ioseph.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, clementer referens supplicibus votis reverendi patris fratris Roberti Razzóli, ex Ordine Fratrum Minorum, custodis Terrae Sanctae, Reverendissimi Patris Procuratoris generalis eiusdem Ordinis commendationis officio communitis, ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatis, benigne indulgere dignatus est, ut in ecclesia S. Ioseph, quae erecta est ubi Domus Nazarena eiusdem sancti Patriarchae traditur exstitisse, Missa votiva de sancta Familia Iesu, Mariae, Ioseph, celebrari valeat cunctis diebus, quibus respective Missae votivae in sanctuariis Terrae Sanctae primi ordinis, iuxta Apostolicum indultum diei 31 Augusti 1895 permittuntur: servatis ceterum Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 Novembris 1907.

Card. S. Cretoni, *Praefectus*.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Conceditur Missa votiva de Mysteriis Viae Dolorosae D. N. I. C. in oratoriis Hierosolymitanis eiusdem Viae.

Quum anno superiore ab Apostolica Sede festum cum Officio et Missa propriis universo Ordini Fratrum Minorum concessum sit de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi; reverendus pater frater Robertus Razzóli ex eodem Ordine custos Terrae Sanctae, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum humillimis precibus

flagitavit, ut Hierosolymis in sacellis in decursu Viae Dolorosae erectis, ubi singula Mysteria, quae mente recoluntur, adimpleta fuere, eiusmodi Missa votiva de eiusdem Mysteriis celebrari valeat, prout ibidem, ex Apostolico indulto diei 31 Augusti. 1865 celebrantur respectivae Missae votivae in sanctuariis minoris ordinis.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, attento commendationis officio Reverendissimi Procuratoris generalis memorati Ordinis, privilegium Missae votivae de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi concedere dignata est iuxta preces, excepto omnino sacello quod exstat in Statione, ut aiunt, decimaquarta eiusdem Viae Dolorosae; attamen pro omnibus sacerdotibus in unico altari exstante in singulis sacellis: et pro sacerdotibus tantum peregrinis vel peregrinantium ducibus, ubi habeantur plura altaria: servatis Rubricis ceterisque clausulis in memorato indulto appositis pro sanctuariis minoris ordinis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 13 Novembris 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*



Addenda in Martyrologio Romano.

Quinto Idus Octobris *(11 Oct.)*

Ad calcem post verba *Veronae sanctae Placidiae Virginis*: « Calotii, in dioecesi Astensi, olim Papiensi, Sancti Alexandri Sauli, Episcopi confessoris e congregatione Clericorum Regularium Sancti Pauli, genere, virtutibus, doctrina et miraculis clari ».

Decimoseptimo Kalendas Novembris *(16 Oct.)*

Ad calcem post verba *Ratum habuit et confirmavit*: « Muri in Lucania, Sancti Gerardi Maiella Confessoris laici professi congregationis Sanctissimi Redemptoris, quem miraculis clarum Pius decimus Pontifex Maximus Sanctorum albo accensuit ».

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto sacrorum Rituum Congregationis Secretario, suprascripta Ellogia de S. Alexandro Sauli Episcopo Confessore, et S. Gerardo Maiella Confessore approbare dignatus est, ac Martyrologio Romano respective inserenda benigne indulsit. Die 9 Septembris 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*.
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.



EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI



Novae in Reipublicae de Venezuela dioecesibus finium circumscriptionis, administrationis atque sedis episcopalis translationis.

Aetatum decursu eae in populorum moribus, in legibus, in civitatum constitutionibus, quandoque in physicis ipsis regionum conditionibus immutationes fiunt, ut quae instituta prius fuerunt, vel penitus aboleri vel saltem reformari novisque rerum adiunctis aptari omnino debeant. Quod quidem licet populorum imperium quodcumque respiciat, peculiari quadam ratione spirituale animarum regimen attingit. Quare Christi Ecclesia caelestem Patrem imitata, qui fortiter et suaviter disponit omnia, quoties id temporum locorumque adiuncta requirere visa sunt, vel novas dioeceses erigere, vel

novis ipsas finibus circumscribere, vel etiam erectas supprimere non destitit eum in finem ut rei sacrae procuratio salubrius atque utilius in Domino geri potuerit.

Cum itaque in Republica de Venezuela recentiori aevo plura evenerint, quae commutationes quasdam in dioecesium ibi existentium statu et finibus requirere videantur, SSmus D. N. Pius PP. X pro spirituali sua in universam Ecclesiam sollicitudine, exquisita antea, uti rei gravitas expostulabat, S. R. E. Cardinalium, qui Negociis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt, sententia, omnibus mature perpensis, atque suppleto quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, quod bonum faustumque et felix sit Dei gloriae Religionisque incremento benevertat, limitibus, quibus actu Reipublicae de Venezuela dioeceses continentur, Apostolica autoritate suppressis, dioeceses easdem novis finibus circumscribere atque alia opportune sancire in eum, qui sequitur, modum decrevit.

I. Primum itaque Sanctitas Sua archidioeceseos Sancti Iacobi de Venezuela seu Caracensis, quae unica in universa Republica de Venezuela extat metropolitana ecclesia territorium hasce complecti voluit regiones seu status: foederalem in primis, quem vocant, districtum, in quo Caracensis ipsa civitas, totius Reipublicae urbs princeps, existit, atque status Araguensem et de Miranda, itemque insulam nomine Margarita seu foederale territorium a Christophoro Columbo nuncupatum. Caracensis proinde seu Sancti Iacobi de Venezuela archiepiscopalis ecclesia ad Boream mare continebitur, quod ex Antillis insulis nomen desumit, ad ceteras vero partes iisdem prorsus finibus, quibus status Araguensis et de Miranda a statibus Bermudensi, Guaricensi, Zamorensi et de Carabobo respective in civilibus distinguuntur.

II. Zuliensis episcopalis ecclesiae fines, qui iidem omnino sunt ac illi, quibus regio seu status Zulia vulgo nuncupata

limitatur, Beatitudo Sua nullo modo immutari voluit, eius tamen regimen in administrationem Episcopo Emeritensi in Indiis pro tempore commisit.

III. Ecclesiae cathedralis Emeritensis in Indiis fines, Sanctitas Sua latius protendere censuit, ita ut ipsa, praeter statum de Trujillo, territoria quoque integre complectatur statuum Emeritensis et Tachirensis, quorum provinciae quaedam eidem in praesens iam subiiciuntur. Ecclesia porro Emeritensis in Indiis ad Boream lacu de Maracaibo circumscribitur, per quos status de Trujillo civiliter a statu Lara separatur; ad Occasum Zuliensi dioecesi seu Zulia statu finietur; ad Meridiem iisdem finibus, qui Venezuelensem Rempublicam a Columbiana dividunt; ad Orientem vero iis ipsis, qui status de Trujillo, Emeritensem et Tachirensem a statibus Larensi, Zamorensi et Guaricensi iuxta civilem circumscriptionem, respective secernunt.

IV. Pariter voluit Beatitudo Sua dioecesim de Calabozo universa territoria complecti, quibus secundum civilem circumscriptionem, regiones seu status Zamorensis et Guaricensis constituuntur, ac proinde ad Boream ipsa finibus circumscribetur archidioecesis Caracensis et statuum Zamorensis, de Carabobo et Larensis, ad Occidentem finibus dioecesis Emeritensis in Indiis, ad Meridiem vero et Orientem finibus status Guaricensis, qua parte territorium statuum Bermudensis et Bolivarensis attingunt.

V. Pari modo episcopali ecclesiae de Guyana regiones universas adsignavit Sanctitas Sua, ex quibus Bolivarensis et Bermudensis status civiliter constituuntur, nec non territoria foederalia, uti aiunt, Christophori Columbi, de Delta-Amacuio de Amazones et de Surnari. Ipsa igitur ad Septemptrionem Antillarum mare limitabitur, et finibus archidioecesis Caracensis ac dioecesium de Calabozo et Emeritensis in Indiis, ad reliquas oras vero finibus politicis qui actu exsistunt inter Venezuelensem Rempublicam et finitimas re-

giones, Guyanam scilicet Anglicae dominationi subiectam ad Orientem, Rempublicam Brasilianam ad Meridiem, et Rempublicam Columbianam ad Occidentem.

VI. Demum Sanctitas Sua territorium dioecesis de Barquisimeto, de Carabobo tamen, uti intra, in posterum nuncupandae, ita denuo circumscribi mandavit, ut e territoriis constituatur statuum seu regionum Larensis, de Falcon et de Carabobo. Dioecesis igitur de Barquisimeto seu de Carabobo fines hi erunt: ad Boream Antillarum mare, ad Occasum lacus de Maracaibo, ad Meridiem status de Trujillo seu Emeritensis in Indiis dioecesis, ad Hortum limites, quibus status Lara et de Carabobo a statibus Zamorensi et Araguensi separantur.

VII. Quum indicta nova hac in dioecesi de Barquisimeto circumscriptione, opportunum visum sit episcopalem eius sedem alio transferre, eadem Sanctitas Sua, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium, adsensu, suppresso prius atque extincto civitatis episcopalis de Barquisimeto statu et conditione iuribusque demptis, cathedralitatis titulo seu causa, huic civitati atque ecclesiae honori S. Francisci Assisiensis in ipsa sacrae, attributis atque pertinentibus, de Apostolicae potestatis plenitudine, urbem status de Carabobo principem, Valentiam nuncupatam, in civitatem episcopalem dioecesis, olim de Barquisimeto, nunc vero de Carabobo nuncupandae, cum iisdem prorsus iuribus, honoribus, privilegiis et praerogativis, quibus civitas de Barquisimeto fruebatur, ceteraeque civitates in Venezuelensi Republica, episcopali sede insignitae et earum cives fruuntur et gaudent, erexit atque constituit.

VIII. Ecclesiam honori Deiparae de Succursu in eadem civitate Valentia dicatam, quae matricis quoque ecclesiae titulo gloriatur, parochialem uti antea extituram in cathedralem eiusdem dioecesis de Carabobo erigere Beatitudo Sua dignata est, et in ea Sedem ac dignitatem episcopalem

constituere pro Episcopo dioecesis de Carabobo, qui eidem ecclesiae eiusdem civitati et dioecesi praesit, synodum convocet et omnia insignia, iura, officia et munia episcopalia habeat et exerceat, cum suis Capitulo, mensa episcopali, ceterisque cathedralibus, pontificalibus, insignibus, iurisdictionibus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis et indultis personalibus et mixtis, quibus aliae in Venezuelensi Republica existentes cathedrales ecclesiae, eademque suppressa cathedralis ecclesia sub invocatione S. Francisci Assisiensis in civitate de Barquisimeto existens, earumque Praesules, non tamen titulo oneroso aut ex peculiari indulto, gaudent et gaudere poterunt, attributis quoque in hunc finem ecclesiae huic sub invocatione Deiparae de Succursu redditibus et bonis omnibus, quae ecclesiae S. Francisci Assisiensis utpote cathedrali pertinebant.

IX. Cathedrale quoque Capitulum ex ecclesia sub invocatione S. Francisci Assisiensis in ecclesiam Deiparae de Succursu, in novam dioecesis de Carabobo cathedralem erectam, eadem Beatitudo Sua transferendum decrevit, ea tamen lege ut canonicales praebendae ceteris suppressis ad quinque reducantur, ad decanatum nempe, quae prima et unica erit Capituli dignitas, atque praebendas lectoralem, doctoralem, magistralem et poenitentiariam cum iisdem iuribus, redditibus atque oneribus, quae sive ex fundatione sive Apostolicis constitutionibus, Concilii praesertim Tridentini decretis, ipsis imposita sunt.

X. Alumnorum sacrorum pariter Seminarium in neo-erectae dioecesis de Carabobo episcopali civitate erit erigendum, omni cura ab Episcopo adhibita ut in eo alumnorum pietas, morum probitas et sana doctrina, ex Angelici Doctoris fontibus hausta, foveatur et tradatur.

XI. Ne vero ex nova hac dioecesium in Republica de Venezuela exsistentium circumscriptione fidelibus damnum ullum obveniat, praecipit Beatitudo Sua, ut documenta omnia

vel personas vel loca respicientia, quae ad novam inductam finium designationem ab una in aliam dioecesim transierunt, ab archivio in quo huc usque asservata sunt, extrahantur, atque debita forma Cancellariae tradantur dioecesis, cui per praesens decretum aggregata vel subiecta fuere, in eadem in posterum custodienda.

XII. Cetera autem omnia dioecesium Reipublicae de Venezuela conditionem attinentia, quae consistoriali hoc decreto immutata non sunt, vult Sanctitas Sua ut firma et rata maneant. Expresse tamen sibi et Apostolicae Sedi eadem Sanctitas Sua potestatem reservat novas dispositiones quoad earumdem Venezuelensium dioecesium fines vel statum decernendi, quotiescumque id in Domino expedire visum fuerit. Quod si circa praemissa qua difficultas vel controversia deinceps oriatur, ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae rebus accurate perpensis prout de iure decernet.

XIII. Ad praemissa demum exsequenda Beatitudo Sua deputari voluit R. P. D. Ioannem Baptistam Castro Archiepiscopum metropolitanae ecclesiae S. Iacobi de Venezuela cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, iussitque hisce de rebus praesens fieri consistoriale decretum perinde valiturum ac si supra iisdem Apostolicae Litterae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris expeditae fuissent, et inter acta referri sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, die XII Februarii anno Domini MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli,
S. C. Cons. et Secr. S. Coll. Substitutus.

AMAZONUM

IN BRASILIANA REPUBLICA

Dismembrationis et erectionis in Abbatiam Nullius.

E Brasilianae Reipublicae dioecesibus nulla quidem forsan latior ea quae Amazonum appellatur, quaeque, uti fertur, fere bis centena chilometrorum quadratorum millia in latitudinem metitur. Territorii autem amplitudini itinerum quoque accedit asperitas; quamobrem fit ut in dioecesis huius regionibus sive civilis sive rei sacrae procuratio, innumeris implexa difficultatibus, salutares quos deberet parere nequeat fructus. Haud sane mirum si inibi non paucis in locis cives ad humanitatem exculti nondum sint, fidemque ipsam christianam necdum noverint.

Gravissimis hisce malis SSmus D. N. Pius PP. X pro Apostolica sua in universam Ecclesiam sollicitudine occurrere volens, cum dioecesis Amazonum in plures alias dividi dioeceses nunc non possit, certam quamdam eiusdem territorii partem, quae a flumine cui adiacet *Rio Branco* appellatur, exquisita antea S. R. E. Cardinalium, qui Negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt sententia, a dioecesi ipsa Amazonum seiungere atque regimini et iurisdictioni coenobii, cui nomen a Beata Maria Virgine de Monteserrato, Ordinis sancti Benedicti, in civitate Fluminis Ianuarii existentis subiicere, in Abbatiam Nullius erigendam statuit.

Quod igitur bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae atque christiano nomini propagando benevertat, Sanctitas Sua, potestate utens sibi et Apostolicae Sedi reservata in litteris Apostolicis, quarum initium *Ad universas Orbis Ecclesias* quinto Kalendas Maii anno Domini 1892 datis, libere novam ineundi in Brasilianae Reipublicae dioecesibus circumscriptionem, quandocumque id in Domino expedire visum fuerit,

totam regionem *Rio Branco* appellatam, coenobio Ordinis Sancti Benedicti a Beata Maria Virgine de Monteserrato in civitate Fluminis Ianuarii nuncupato adnectere atque in Abbatiam Nullius erigere in eum qui sequitur modum decrevit.

I. Primum itaque Beatitudo Sua universam regionem, quae *Rio Branco* vulgo appellatur, quaeque limitibus infra describendis continetur, a territorio dioecesis Amazonum, ad quod hactenus pertinuit, de Apostolicae potestatis plenitudine divisit, separavit ac seiunxit, ipsamque coenobio cui nomen a Beata Maria Virgine de Monteserrato, Ordinis Sancti Benedicti, in civitate Fluminis Ianuarii existenti, in territorium attribuit, atque in Abbatiam a Beata Maria Virgine de Monteserrato pariter nuncupandam, sub regimine et iurisdictione Abbatis pro tempore coenobii eiusdem, erexit et constituit, ita ut idem coenobium cum adnexo territorio deinceps ad omnes iuris effectus sit vere et proprie Nullius dioecesis, Sedique Apostolicae immediate subiectum.

II. Novae huius Abbatiae Nullius territorium iis qui sequuntur finibus circumscribetur. Ad Septentriones atque Occasum, a Republica de Venezuela; ad Septentriones pariter atque Orientem, a Guyana Anglica; ad Meridiem vero ipsum, ad scaturigines usque se protendet aquarum, quae in flumen *Rio Branco* influunt, usque dum tamen flumen in aliud *Rio Negro* nuncupatum interfluit.

III. Monasterii ecclesiam honori Beatae Mariae Virginis de Monteserrato dicatam, Sanctitas Sua in ecclesiam abbatialem erectae ut supra Abbatiae Nullius, sub eadem Beatae Mariae Virginis de Monteserrato invocatione, constituit, et in ea sedem et dignitatem abbatialem ad instar episcopalis dignitatis erexit et instituit pro uno Abbate, a coenobii titulo designando, qui eidem ecclesiae et monasterio eidemque regioni de *Rio Branco* praesit, et iura omnia, officia et munia habeat et exerceat cum sua mensa et Capitulo, iisdemque honoribus et praerogativis, quibus Praesules cathedralium

ecclesiarum in Brasiliana Republica utuntur et gaudent, iis tamen exceptis quae titulo oneroso aut ex indulto peculiari obtenta fuerint, aliisque quae de iure privative ad Episcopos pertineant, atque expresse hoc decreto non concedantur.

IV. Abbati noviter erectae Abbatiae Nullius sub titulo Beatae Mariae Virginis de Monteserrato praeter caetera alia iura et privilegia Abbatibus Nullius dioecesis Ordinis Sancti Benedicti communia, atque ius Sacramentum Confirmationis ministrandi ipsius subditis tantum, ita ut alienis nec de Ordinariorum consensu conferre valide illud possit, Beatitudo Sua privilegium concessit utendi pileolo et birreto coloris violacei, quo Abbates Nullius eiusdem Ordinis Sancti Benedicti ex Apostolico indulto frui solent.

V. Quum monasterii Beatae Mariae Virginis de Monteserrato Abbas, in Abbatem Nullius hoc decreto constitutus, totius sit Congregationis Benedictinae Brasilianae Abbas generalis, Beatitudo Sua, ne novae dignitatis accessione ipse a muneribus eidem commissis obeundis impediatur, eumdem a lege residentiae intra Abbatiae limites dispensandum benigne censuit, ita ut quoties id rerum adiuncta requisierint, atque opportunum ipse in Domino iudicaverit, caetera eiusdem Ordinis Sancti Benedicti monasteria in Brasiliana Republica existentia invisere possit, in iisque ad tempus commorari. Ne quidquam tamen detrimenti ex Pastoris absentia rei sacrae procurationi in Abbatia obveniat, Abbas res suas ita disponat, ut in ea per aliquod anni spatium continuo residere queat, eiusque territorium peragrare, atque una cum Vicario generali duos alios monachos deputet, quos ad consultoris munus adsumet, qui in Abbatiae territorio constanter residere debebunt, ut fidelium necessitatibus semper praesto esse possint.

VI. Quum vero necessarium omnino sit, ut congruis proventibus et redditibus dotationi novae huius Abbatiae Nullius consulatur, Sanctitas Sua pro Abbatis mensa, Capituli

et clericorum Seminarii dote ac divini cultus expensis, redditus et bona omnia assignat et attribuit, quibus coenobium ipsum Beatae Mariae Virginis de Monteserrato actu potitur et gaudet, aliaque quae in posterum obtinebit. Cum enim Abbatiae huius institutio ad christianam fidem propagandam humanitatemque ipsam promovendam quam maxime pertineat, eadem Sanctitas Sua minime dubitat quod fideles opportuna conlaturi sint subsidia, quibus Abbatiae eiusdem necessitatibus consuli possit.

VII. Novae huius Abbatiae Nullius Capitulum a monachis coenobii B. Mariae Virginis de Monteserrato, qui solemnem emiserint professionem, constituetur, iisque Sanctitas Sua onera imponit eademque iura et privilegia concedit, ad quae tenetur quibusque fruuntur monachi Capitulorum aliarum Abbatiarum Nullius dioecesis ex Ordine Sancti Benedicti.

VIII. Clericorum pariter Seminarium, quo citius fieri possit, ad normam et iuxta sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta erit erigendum, in quo excipiantur clerici, quos Abbas neo-erectae Abbatiae Nullius admittendos esse censuerit. Et quoniam adest in Urbe Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo praeclari Evangelii praecones et animarum rectores ipsis sub oculis Romanorum Pontificum exculti sunt et excoluntur, praecipit Sanctitas Sua ut, quemadmodum ab aliis Americae Latinae dioecesibus, ita etiam a neo-erecta Abbatia Nullius cum primum fieri poterit, bini in eo non intermissa vice collocentur adolescentes in Ecclesiae spem alendi.

IX. Ad omnes autem praecavendas difficultates quae oriri possent, statuit Sanctitas Sua ut sacerdotes qui ad sacras vel profanas disciplinas clericis in Seminario neo-erectae Abbatiae Nullius tradendas assumpti fuerint, quique intra Seminarii ambitum resederint, eodem quo monachi exemptionis iure fruantur, atque coenobii Beatae Mariae Virginis de Monteserrato Abbati veluti proprio Ordinario in omnibus subiiciantur.

X. Statuit quoque Beatitudo Sua ut omnia et singula documenta loca respicientia quae novae Abbatiae Nullius Beatae Mariae Virginis de Monteserrato secundum hoc consistoriale decretum addicta et attributa sunt, quaeque actu in Cancellaria dioecesis Amazonum servata reperiuntur, ab ea extrahantur, et Cancellariae neo-erectae huius Abbatiae Nullius tradantur, in ea in perpetuum custodienda.

XI. In hac nova Abbatia Nullius erigenda et finibus supra descriptis eidem attribuendis Sanctitas Sua expresse Sibi et Apostolicae Sedi potestatem reservavit dismembrationes quascumque seu novam ipsius Abbatiae circumscriptionem libere decernendi quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, nullo in id Abbatis et Capituli abbatialis ecclesiae assensu exquisito, neve ulla attributa territoriali compensatione.

XII. Attamen si quando territorium *Rio Branco* nuncupatum ita dividi auspicato contingat, ut nova intra eius limites erigenda sit dioecesis, placuit Sanctitati Suae disponere, ut certa quaedam territorii pars, illa nempe quae ad dexteram fluminis *Rio Branco* protenditur, Ordini Sancti Benedicti sub iurisdictione vel Abbatis generalis totius congregationis Benedictinae Brasilianae vel alterius Abbatis Nullius pariter dioecesis prout Apostolica Sedes decernendum censuerit, subiecta semper remaneat.

XIII. Caetera vero omnia, quae res, iura et personas respiciunt, quorum expressa in hoc consistoriali decreto mentio habita non est, statuit Sanctitas Sua firma et rata omnia secundum canonicas leges et catholicae Ecclesiae dispositiones manere debere. Quod si qua difficultas aut controversia quoad praemissa deinceps in erecta Abbatia Nullius oriatur, ea ad Apostolicam Sedem deferenda erit, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernendum curabit.

XIV. Habita ratione conditionis temporum, statuit quoque Sanctitas Sua noviter erectam Abbatiam Beatae Mariae Virginis de Monteserrato in florenos auri de Camera triginta

tres cum tertia floreni parte taxari, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae describi.

XV. Ad praemissa demum exequenda, SSmus D. N. deputari voluit R. P. D. Alexandrum Bavona, Archiepiscopum titularem Pharsalensem et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronuntiandi super quacumque oppositione in executionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad sacram hanc Congregationem Consistorialem transmittendi exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, iussitque hisce de rebus praesens edi decretum consistoriale perinde valiturum ac si super iisdem Apostolicae Litterae sub plumbo vel sub annulo Piscatoris datae fuissent, et inter acta referri sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die 15 Augusti anno Domini 1907.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli
S. C. Cons. et Secr. S. Coll. Substitutus

DE GUADALAXARA ET DE AGUASCALIENTES
IN MEXICANA REPUBLICA

Dismembrantur et uniuntur paroeciae " Ojuelos „ et " Paso de Sotos „ nuncupatae.

Litteris ad Apostolicam Sedem, die XV Novembris anno MCMIV datis, R. P. D. Iosephus Maria a Iesu Portugal, dioecesis de Aguascalientes Episcopus, obsequiose exposuit dioecesim eamdem sex tantum constare paroeciis, in iisque insuper tam paucos numerari sacerdotes, ut fidelium necessitatibus vix sufficiant, adeo ut cathedrale ipsum Capitulum

constitui hactenus non potuerit, ne paroeciae suis rectoribus orbarentur. Ratus proinde idem Antistes fore ut, protensis dioecesis eiusdem de Aguascalientes finibus, numerum quoque augeri contingat presbyterorum, qui et spirituali fidelium saluti curandae dent operam, et aliis dioecesis muneribus officiisque inserviant, SSmum D. N. Pium Papam X humiliter exoravit, ut e finitimae archidioecesis de Guadalaxara territorio certas quasdam paroecias Apostolica auctoritate seiungere vellet, easque unire episcopali ecclesiae de Aguascalientes.

Hac vero super re sententia prius, uti par erat, exquisita fuit R. P. D. Iosephi de Iesu Ortiz metropolitanae ecclesiae de Guadalaxara Archiepiscopi, qui, metropolitano audito Capitulo, se graves ob causas votis Antistitis dioecesis de Aguascalientes accedere non posse declaravit, remque Apostolicae Sedis iudicio submisit. Quamobrem R. P. D. Iosepho Ridolfi Archiepiscopo titulari Apamen. et in Mexicana Republica Delegato Apostolico demandare opportunum visum est, ut de eiusmodi negotio accurate videret, ac vota, si fieri posset, utriusque Praesulis componere curaret. Res quidem Apostolico Delegato bene cessit, eius namque opera id assequi datum est, ut Archiepiscopus archidioecesis de Guadalaxara paroecias *Ojuelos* et *Paso de Sotos* vulgo nuncupatas se libenter dioecesi de Aguascalientes cessurum sponderet.

Cum autem de hisce omnibus per me infrascriptum sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substitutum accurata relatio Sanctitati Suae facta fuerit, eadem Sanctitas Sua, cunctis quae consideranda erant mature perpensis, propositam paroeciarum separationem firmam ratamque habere decrevit.

De Apostolicae itaque potestatis plenitudine, Beatitudo Sua, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu,

paroecias vulgo *Ojuelos* et *Paso de Sotos* cum omnibus et singulis in iisdem existentibus et commorantibus, a territorio Metropolitanae ecclesiae de Guadaxalara separavit et divisit: easdemque pariter, ut supra, cum omnibus et singulis in ipsis existentibus et commorantibus, territorio cathedralis ecclesiae de Aguascalientes adiunxit et univit, ita ut in posterum supradictae paroeciae iurisdictioni Episcopi de Aguascalientes pro tempore sint subiectae, prout hactenus iurisdictioni Metropolitani archidioecesis de Guadalaxara subiectae fuerunt. Hanc vero paroeciarum separationem ita exsequendam voluit Sanctitas Sua, ut presbyteris in earum territorio residentibus detur optio eligendi, intra tempus ab exsecutore infra designando statuendum, quanam in dioecesi suum figere velint domicilium. Si qui proinde inter eos in archidioecesi de Guadalaxara permanere malint, quum in aliam dioecesim transire de Aguascalientes, id ipsis sit licitum.

Documenta demum paroecias easdem vel personas in ipsis commorantes respicientia eadem Sanctitas Sua ab una in aliam Cancellariam, dioecesis nempe de Aguascalientes, transferre mandavit: cum clausulis necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad praemissa autem exequenda Sanctitas Sua deputari iussit R. P. D. Iosephum Ridolfi Archiepiscopum titularem Apamensem et in Mexicana Republica Delegatum Apostolicum cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam nec non definitive pronunciandi super qualibet oppositione in executionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses, peractae exsecutionis exemplar, authentica forma exaratum propriaque manu subscriptum, ad sacram hanc Congregationem transmittendi, et praesens hisce super rebus edi mandavit consistoriale decretum, perinde valiturum ac si litterae Apostolicae sub plumbo vel sub anulo

Piscatoris super iisdem expeditae fuissent, et decretum ipsum inter acta referri sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die xxx Novembris an. Domini MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli
S. C. Cons. et Secr. S. Coll. Substitutus.

DE AGUASCALIENTES

TERRITORII SEU FINIUM

Declaratur paroeciam "de Asientos„ ad dioecesim de Aguascalientes pertinere.

Beatissime Pater,

In Bulla erectionis huius dioecesis de Aguascalientes dicitur quod omnes paroeciae huius Status ad hanc pertinent dioecesim; in eis paroecia *de Asientos* invenitur. Attamen pars huius paroeciae est in Statu civili de Zacatecas, sed ecclesia parochialis est intra limites huius Status de Aguascalientes. Quaero itaque humillime a Sanctitate Tua, an praedicta paroecia *de Asientos* in tota sua integritate ad hanc dioecesim de Aguascalientes pertineat, vel tantum pars quae intra huius Status limites inclusa reperitur?

Sacra Congregatio Consistorialis, attentis expositis, declarandum censuit paroeciam cui nomen *de Asientos* ad dioecesim de Aguascalientes integre pertinere.

E Secretaria Consistoriali, die xx Novembris anno Domini MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli
S. C. Cons. Substitutus.

Conceditur ut archidioecesis Auxitana denominari possit etiam titulo trium episcopalium sedium iam suppressarum.

Romanos Pontifices quovis tempore Apostolicas curas in id intendisse, ut secundum fidelium necessitates novae excitarentur episcopales sedes, ecclesiastica demonstrant documenta. Quod si quandoque accidit ut dioeceses supprimere ac delere debuerit, id nonnisi aegre ad maiora vitanda mala, atque publicis adacti calamitatibus fecerunt. Quemadmodum sub initio saeculi elapsi evenisse in Gallia constat, ubi post ea quae anno 1799 patrata erant, quaeque divina humanaque omnia subverterant, Pius PP. VII ne religio penitus collaberetur, conventione inita cum Napoleone qui tum temporis primus erat Reipublicae Consul, inter alia dioecesium quoque numerum imminuere coactus est. Verum ne dioeceses quae deletae fuerant hominum memoria exciderent, curavit Pontifex ut titulus saltem earum quae praestantiores erant servaretur, atque denominationi adiiceretur dioecesium quibus adnexae fuerant.

Haec rememoratus R. P. D. Ricard Auxitanae ecclesiae Metropolitanae Archiepiscopus, litteris ad Apostolicam Sedem nuper datis retulit intra suae archidioecesis fines tres existere civitates quibus vulgo nomen *Lectoure, Condom, Lombez,* quae episcopali sede ad finem usque saeculi decimi octavi insignitae, in conventione anni 1801 Apostolicam Sedem inter atque Napoleonem inita suppressae fuere, easque tum ob viros illustres qui ipsas et doctrina et rebus praeclare gestis nobilitarunt, tum ob cathedralium ecclesiarum quae adhuc extant magnificentiam dignas edixit quae ex earum saltem denominatione recolerentur, ideoque SSmum D. N. Pium PP. X supplicavit ut Auxitana ecclesia in posterum ti-

tulis quoque trium earumdem episcopalium sedium denominari posset.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto sacrae Congregationis consistorialibus rebus expediendis praepositae Substituto, omnibus mature perpensis, attentis expositis, calamitatibus quoque attentis, quibus in praesens Galliarum ecclesia affligitur, ut paternae suae benevolentiae pignus tum Auxitano Archiepiscopo praeberet tum fidelibus Auxitanae eiusdem archidioecesis, iis praesertim qui in civitatibus Lectoriensi, Condomiensi ac Lombesiensi commorantur, oblatas preces benigne excipiens de Apostolica potestatis plenitudine decrevit ut in posterum Auxitana ecclesia Metropolitana titulis quoque designetur trium earumdem episcopalium sedium atque Auxitana, Lectoriensis, Condomiensis et Lombesiensis nuncupetur, itemque eius Archiepiscopus Auxitanus, Lectoriensis, Condomiensis et Lombesiensis audiat.

Cum clausulis necessariis et opportunis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesens autem super praemissis Beatitudo Sua fieri mandavit consistoriale decretum perinde valiturum ac si super iisdem Litterae Apostolicae sub plumbo vel sub annulo Piscatoris expeditae fuissent et inter acta referri sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hoc die, XXIX Iunii anno Domini MCMVIII.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli
S. C. Cons. et Secr. S. Coll. Substitutus.



EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM



Concessio militibus facta pro receptione in confraternitatem S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo.

Beatissime Pater,

P. Praepositus generalis Carmelitarum Discalceatorum ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit quod milites praesertim ex natione Gallica in plurimis versantur difficultatibus ad opera religionis peragenda, nullum plerumque habentes sive in xenodochiis, sive in castris tempore belli sacerdotem qui illos adiuvet ad pie vivendum sancteque moriendum. Quapropter valde commotus illorum misera conditione, rogat Sanctitatem Vestram quatenus concedere dignetur ut confraternitati S. Scapularis B. V. Mariae de Monte Carmelo aggregentur, illiusque indulgentias et gratias lucrari valeant, dummodo praefatum scapulare iam prius rite benedictum sibimetipsis imponant, necnon aliquas fundant preces ad B. V. Mariam, sicque in eiusdem B. Virginis protectione constituantur, contrariis quibuscumque non obstantibus (1).

Et Deus etc.

Iuxta preces in Domino.

Die 4 Ianuarii 1908.

PIUS PP. X

(1) Dispensatur igitur in casu ab impositione Scapularis per sacerdotem rite delegatum facienda, necnon ab inscriptione in codicem confraternitatis. Caeterum Scapulare pro prima vice benedici debet a sacerdote facultatem habente, qui uti poterit ad libitum formula longiori vel breviori usque ad orationem *Accipe,* uti videre est in Appendice ad Rituale Romanum *(N. R.)*.



Sanantur irregularitates admissae in instituendis sod bus Filiarum Mariae.

Beatissimo Padre,

Agostino Veneziani, Procuratore generale della c gazione della Missione, prostrato al bacio del sacro umilmente implora la sanatoria di tutte le irregolari corse per qualsiasi causa nell' istituzione delle pie as zioni delle Figlie di Maria, che seguono gli statuti di quelle delle Figlie della carità ed hanno la medagl *racolosa* come distintivo.

Che della grazia ecc.

S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis pı sita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tis, petitam sanationem, quatenus opus sit, benigne co sit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregat die 18 Martii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret*

Indultum favore archiconfraternitatis Iesu Christi mori

Beatissimo Padre,

Agostino Veneziani, Procuratore generale della Miss prostrato al bacio del sacro piede, umilmente implora, quegli ascritti all'arciconfraternita della S. Agonia, che sede nella chiesa della Casa madre della congregazion Parigi, i quali sono per qualsiasi ragione impediti di tare la chiesa o l'oratorio dell' associazione, possano gu

gnare le indulgenze accordate agli ascritti, visitando qualunque altra chiesa od oratorio pubblico.

Che della grazia ecc.

Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio PP. X sibi tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 18 Martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia adnectitur preci ad SS. Cor Iesu pro Pontifice.

PREGHIERA

Cuor Santissimo di Gesù, con ardente animo umilmente fiducioso, noi ti supplichiamo pel Vicario tuo, il santo nostro Padre Pio X, al quale in terra volesti affidati i tuoi amori e i tuoi dolori! O Gesù buono, Tu ti degnasti di fare speciale promessa pei sacerdoti al tuo Cuore devoti, assicurandoli del dono di commuovere i cuori più induriti e di lavorare apostolicamente con meraviglioso frutto: deh! quella tua promessa attua appieno nel Pontefice della tua Eucaristia e del tuo Cuore adorabile! E, poichè Egli è l'universale Sacerdote Sommo, dàgli virtù di commuovere gl' induriti cuori dell' universale umana famiglia!.... Con la parola sua, che è ispirazione del tuo Cuore divino, commuova di luce gl' induriti per ignoranza, commuova di umiltà gl' induriti per superbia ribelle, commuova d'amor santo gl'induriti nelle terrene cupidigie, commuova di operante vigore i deboli, gl'infingardi, i tepidi!.... Oh! Cuore dolcissimo, rinverdisci in lui le gioie della sacerdotale unzione, addolcisci le

pene del pontificale governo, e Tu gli affretta l'adempimento dell'apostolico suo desio di *ristorare ogni cosa in Te!* Deh! che il Padre Santo, il quale tanto intese la carità del tuo Cuore nei desiderî dell'unione Eucaristica, veda, per l'opera sua, compiuto l'altro tuo desiderio e la preghiera del Cenacolo: *Ut sint unum!* Sì, Cuore di potenza e di misericordia infinita, tutti intorno a Lui aduna coloro, che a Te il Padre tuo commise, e Tu al tuo Vicario, perchè tutti siamo uniti tra noi per la carità che solo affratella, uniti col Pontefice per l'obbedienza che sola fa liberi..... uniti con Te, come Tu sei uno col Padre. Così sia!

Ex audientia SSmi, die 12 Aprilis 1908.

SSmus D. N. Pius div. prov. PP. X omnibus christifidelibus suprascriptam precem devote recitantibus, quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum; recitantibus vero coram exposito SS. Sacramento, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit. Iis insuper qui toto mense Iunio eamdem precem quotidie recitaverint atque sacramentali poenitentia expiati ac SS. Communione refecti, ultima die mensis praedicti, publicum oratorium visitaverint nec non iuxta intentionem Suae Sanctitatis oraverint, plenariam indulgentiam dignatus est elargiri. Omnes denique has indulgentias animabus etiam in Purgatorio detentis applicabiles declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus, et absque ulla Brevis expeditione. In quorum fidem etc.

Casimirus Card. Gennari.

Praesentis concessionis exemplar delatum est ad hanc Secretariam S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria, die 27 Maii 1908.

Ios. M. Can. Coselli, *Substitutus.*

Sanationes defectuum in admissione ad tertium Ordinem et in erectione Stationum Viae Dolorosae D. N. I. C.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Procurator generalis Ordinis Fratrum Minorum, praevio sacrorum pedum Tuorum osculo, humillime implorat indultum, quo in radice sanentur, ob defectus essentiales, saepius nullae et irritae:

I°. admissiones ad habitum, tyrocinia et professiones sodalium Tertii Ordinis saecularis sancti Patris Francisci;

II°. erectiones Stationum Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi, sive in ecclesiis, sive in oratoriis tam publicis quam privatis, sive in aliis locis habitae.

Quum itaque huiusmodi defectus, qui neque semper detegi valent neque detecti congrue possunt ac facile reparari, quamplurimos christifidelium innumero indulgentiarum gratiarumque spiritualium lucro reddant exsortes; hinc humillimus idem orator congruum de Apostolicae potestatis plenitudine remedium invocat, et se fore consecuturum sperat.

Et Deus etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X sibi tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 23 Maii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Indulgentia extenditur omnibus fidelibus pro prece ad B. M. V. Reginam Angelorum.

Beatissimo Padre,

La s. m. di Leone XIII con rescritto della S. C. delle Indulgenze del 17 Luglio 1895 benignamente annesse l'indulgenza di trecento giorni applicabile ai defunti alla recita della preghiera seguente, composta dal Servo di Dio Ven. Luigi Edoardo Cestac da lucrarsi una volta al giorno dai membri dell'Istituto da lui fondato. Ora Bernardo Nardi, Vescovo Titolare di Tebe, Postulatore della causa del Venerabile, prostrato ai piedi di Vostra Santità umilmente supplica che voglia degnarsi di estendere tale indulgenza a tutti i fedeli che reciteranno la stessa preghiera con le tre invocazioni.

PRIÈRE

Auguste Reine des Cieux et Maîtresse des Anges, vous qui avez reçu de Dieu le pouvoir et la mission d'écraser la tête de Satane, nous vous le demandons humblement, envoyez les légions célestes pour que, sous vos ordres, elles poursuivent les démons, les combattent partout, répriment leur audace et les refoulent dans l'abîme.

Qui est comme Dieu?

Saints Anges et Archanges, défendez-nous, gardez-nous.

O bonne et tendre Mère, vous serez toujours notre amour et notre éspérance.

O divine Mère, envoyez les Saints Anges pour me défendre et ropousser loin de moi le cruel ennemi.

Sacra Congregatio Indulgentiarum utendo facultatibus a SS. D. N. Papa Pio X sibi tributis benigne annuit pro gratia

iuxta precem. Praesenti in perpetuo valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 8 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

Conceditur separari decades coronae VII Gaudiorum Deiparae.

Beatissime Pater,

Fr. Bonaventura Marrani, Procurator generalis FF. Minorum, se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit, enixeque Apostolicum flagitat indultum, quo liceat christifidelibus, in recitatione coronae VII Gaudiorum Deiparae, decades separare, intra tamen unius eiusdemque diei naturalis spatium, quin indulgentiae dictam coronam recitantibus a RR. PP. concessae amittantur.

Et Deus etc.

SS. D. N. Pius PP. X, in audientia habita die 22 Iulii 1908 ab infrascripto Cardinali Praefecto sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 22 Iulii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

EX S. CONGREGATIONE STUDIORUM



Litterae gratulatoriae in favorem Pontificii Archigymnasii Comillensis.

Reverendissimi Patres,

Relationem sane gravem proximi triennii de isto Archigymnasio, quam, die solemni Immaculatae Conceptioni dicato, dedistis, diligenter perlegimus magnamque ex ea percepimus laetitiam. Quae enim ad perfectam Archigymnasii formam consequendam valent, a Vobis in tota studiorum ratione mirifice efficiuntur, atque servantur. Quod Nobis, quippe qui nihil potius habeamus quam ut sacrorum alumni sacris praesertim doctrinis penitus imbuantur, prout haec tempora postulant, periucundum fuit, firma spe freti vestra summa studia quae in ipsum confertis, uberrimos fructus religioni et patriae per totam Hispaniam ac transmarinas regiones olim eidem obnoxias, in dies allatura.

Illud etiam sacro huic Consilio studiis regundis plane satisfecit, vestra cura in alumnis bonis artibus erudiendis, ex quibus potissimum latinae litterae et lingua, quam iidem qui ad philosophiam et sacras disciplinas instituendi sint, omnino calleant oportet.

Quod vero Nostrum cumulavit gaudium est ratio et via qua in docendo proceditis. Enimvero Vos veterem consuetudinem institutumque quod maiores magna peritia adepti, posteritati commendarunt, quo nihil sapientius, nihil perfectius, prout quotidianus usus plane docuit, ad alumnos quam optime fingendos atque erudiendos extat, cum in bonis tunc in gravioribus artibus omnino persequi perspeximus. Atque adeo humanioribus litteris, a prima scilicet puerili institutione usque ad rhetoricam, quinque annos, philosophiae tres, s. theo-

logiae quattuor, in qua res dogmatica bis in die, mane et vespere, traditur, iuri canonico tres cum matutina pariter et vespertina lectione recte tribuitis.

Hinc frequentiores scholae, iuvenum numero per singulos annos aucto; hinc iis, qui gradibus academicis in tribus Facultatibus ibidem ornati domum revertere, docendi munus commissum; hinc denique is Archigymnasii status, qui ornamento et praesidio Ecclesiae civitatique vertat, ut in votis conditoris, clarissimi viri fuit. Ipsi nimirum vehementer optamus, ut hanc rationem et viam omnes ubique, vel qui secus sentiant, sequantur.

Quapropter lubentissime hoc S. Consilium Vobis vestrisque sive in moderando sive in docendo adiutoribus et maximas laudes tribuit gratulationemque facit et a Deo O. M. enixe precatur, ut istud studiorum domicilium, ab Apostolica Sede in totius Hispaniae Americaeque Latinae iuvamen constitutum atque Archigymnasiorum more conditum, id incrementi assequatur quod vestra perpetua et sapienti industria dignum sit.

Nos porro in audientia diei XV proxime praeteriti mensis de omnibus quae retulistis Summum Pontificem certiorem fecimus; qui quidem vobis caeterisque moderatoribus, magistris ipsisque discipulis Apostolicam benedictionem, peculiaris benevolentiae testificationem, peramanter impertit.

Quibus significatis, debita cum observantia permanemus.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Studiorum, V Id. Mart. 1908.

Vestrum studiosissimi
FRANCISCUS Card. SATOLLI, *Praefectus*

Ascensus Dandini, *a Secretis.*

Rectori et sodalibus
Pontificii Archigymnasii Comillensis.

Normae pro alumnis S. Theologiae in Universitate catholica Friburgensi.

Reverendissime Pater,

Quum Nobis perspectum sit optime, omni ex parte, sacrae theologiae disciplinam in isto Archigymnasio tradi, uberesque esse fructus qui percipiuntur, nihil Ipsi prius habuimus, quam ut Vobis his litteris gratulationem faceremus.

Verum si maxime interest sacrorum alumnos sana et interiori doctrina abundare, pariter viros ecclesiasticos decet, imbui iisque virtutibus, quae sunt potissimum cleri.

Quapropter, ut hi non minus probitate et pietate, quam scientia floreant, vehementer moderatores hortamur, ut singulari diligentia in alumnis atque in singulis domibus sive conturberniis, apud quae habitant, vigilent. Neque exquirere dubitent de moribus singulorum, nullo excepto, sive sint discipuli, sive auditores eosque reprehendere qui de recta via deflecterent, re ad Episcopum suae dioecesis delata.

Quo porro id quod volumus plenius assequamur, sacrae theologiae disciplinae sive Facultati, cuius est non solum sacram theologiam sive theorice sive practice, uti aiunt, docere aliis omnino exclusis, sed etiam vigilare, legem suademus, qua ipsi vigilantiae rite atque efficienter prospiciat et consulat his praecipuis capitibus praescriptis:

a) ne quis sine speciali venia sui Episcopi extra contubernium sive convictum theologicum vitam degat;

b) ne domus ulla aperiatur, ad recipiendos alendosque iuvenes, qui in Archigymnasio Friburgensi apud Helvetios sacrae theologiae operam navant sine venia ipsius Facultatis, cuius est constitutiones de vigilantia adprobare et ratas habere;

c) ut omnes clerici quotannis in quovis convictu theologico habitent, exercitiis spiritualibus vacent iis diebus a decano Facultatis sacrae theologiae indicendis.

Ceterum ipsi bona spe freti quae supra diximus religiose servatum iri significamus gratissimum Nobis Vos facturos, si quotannis de alumnorum moribus et vita ad sacrum hoc Consilium studiis regundis retuleritis.

Summa cum observantia Nos profitemur

Vobis addictissimos
F. Card. SATOLLI, *Praefectus*
Ascensus Dandini *a secretis.*

Romae quinto calendas Maii 1908.

Reverendissimo Patri
Patri Gallo Mariae Manser,
Praefecto sive Decano sacrae theologiae Facultatis in Archigymnasio Friburgensi apud Helvetios, eiusque adiutoribus.
Friburgum.

EX SACRA POENITENTIARIA

De censuris propter bona ecclesiastica in Galliis usurpata.

Ordinarius Lucionensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentes difficultates humillime proponit:

1°. Locatarios qui, conductione inita cum administratore civili vel cum alio iniusto detentore, bona ecclesiastica usurpata occupant atque fructus ex eis percipiunt excommunicationem incurrere a Conc. Trident. latam (Sess. XXIII, cap. XI de Reform.) plerique auctores docent, quidam tamen negant.

2.° Executores, qui per applicationem legis civilis, ecclesiastica bona occupant et vendunt, eadem feriri censura declaravit S. Poenitentiaria 13 Nov. 1863 dicens: « Attentis occupationibus..... quibus regius oeconomatus operam suam praestare tenetur, quaeque absque ecclesiasticarum censurarum incursu fieri nequeunt..... ». Sed eadem S. Congr. respondit 17 Sept. 1906 (1) excommunicationem non incurrere eum qui libere *accepit* munus alicuius communitatis religiosae bona secundum novam gallicam legem expediendi, cum tamen talis liquidatoris munus sit spolium exsequendi atque bona occupandi et vendendi nomine Gubernii, immo et in proprios usus, salarii colore, partim convertendi.

3.° Emptores fructuum, qui sibi acquirunt, etiam in quantitate notabili, fructus naturales ex bonis ecclesiasticis usurpatis provenientes minime incurrere praedictam censuram plures dicunt.

Ut tuto dirigantur conscientiae tum fidelium tum pastorum in hisce difficultatibus versatae, praedictus Ordinarius enixe postulat sequentium dubiorum solutionem:

I. Utrum locatarii, qui, conductione inita cum administratore civili aut cum alio illegitimo detentore, bona ecclesiastica occupant, excommunicationem a Conc. Trid. latam incurrant, vel tantum peccent contra iustitiam et teneantur ad restitutionem?

II. Utrum, non obstante mente S. Poenitentiariae 13 Novembris 1863, exsecutores seu liquidatores, qui usurpationem consummando bona ecclesiastica aut religiosa occupant et vendunt atque ex iis quaestum absumunt, ab excommunicatione immunes sint?

III. Utrum emptores fructuum naturalium ex bonis ecclesiasticis usurpatis provenientium, si tamen hos fructus percipiant in notabili quantitate, eamdem censuram incurrant vel saltem ad restitutionem teneantur?

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 40, pag. 254.

S. Poenitentiaria, mature consideratis expositis, circa praemissa respondet:

Ad I. Locatarios excommunicationem incurrere, et ad restitutionem, iuxta normas a theologis traditas, teneri.

Ad II. Liquidatores quatenus nomine Gubernii bona usurpata administrant, eorumque venditionem procurant, non incurrere censuram; si vero partem bonorum immobilium sibi retineant, eam incurrere.

Ad III. Emptores fructuum naturalium, qui publicae venditioni exponuntur, absolvi posse, imposita eisdem aliqua eleemosyna in favorem congregationum ad quas bona pertinent, quatenus emerint pretio quod inferius sit iusto.

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 5 Augusti 1907.

A. Carcani, *Regens.*
F. Cherubini, *Substitutus.*



ORDO SERVANDUS
IN SACRIS CONGREGATIONIBUS TRIBUNALIBUS OFFICIIS ROMANAE CURIAE

NORMAE PECULIARES

Cap. I.

DE AMBITU COMPETENTIAE SINGULORUM OFFICIORUM SANCTAE SEDIS

1°. Secundum praescripta Constitutionis *Sapienti consilio,* Officiorum Sanctae Sedis competentia partim territorium, partim vero materiam afficit.

a) Congregationi Sancti Officii, in suae competentiae rebus, territorii limites nulli sunt.

b) Consistorialis munia sunt circumscripta regionibus iuri communi obnoxiis, in quibus ipsa suam et cum aliis non

---

(Traduzione)

REGOLAMENTO
PER LE SACRE CONGREGAZIONI TRIBUNALI OFFICI DELLA CURIA ROMANA

NORME SPECIALI

Capo I. — Dei limiti della competenza dei singoli dicasteri della Santa Sede

1°. In conformità delle prescrizioni della Costituzione *Sapienti consilio,* la competenza dei dicasteri della Santa Sede è in parte territoriale ed in parte per materie.

a) Il S. Offizio, per le cose di sua competenza, non ha limiti territoriali.

b) La Concistoriale ha le sue attribuzioni circoscritte alle regioni soggette al diritto comune, nelle quali per tutto ciò che riguarda il re-

communem habet competentiam circa ea omnia, quae ad regimen dioecesanum, ad Seminaria, ad Episcoporum aliorumque Ordinariorum electionem, ad Apostolicas visitationes, ad relationes de statu dioecesum referantur.

c) Congregationi de disciplina Sacramentorum in iis, quae matrimonium spectant, competunt quoque loca Congregationi de Propaganda Fide obnoxia, ad memoratae Constitutionis normam. Circa cetera Sacramenta competentiam habet circumscriptam regionibus iuri communi subiectis.

d) Concilii et Studiorum Congregationibus, in ipsarum competentiae negotiis, certi locorum assignati sunt limites, quemadmodum Consistoriali.

e) Congregatio religiosorum Sodalium praecipuam et propriam habet competentiam in religiosos ubicumque versantur, atque in rebus omnibus, quae statum, disciplinam, studia et sacram ipsorum Ordinationem spectant, salvo iure Congregationis de Propaganda in religiosos qua missionarios.

f) Propagandae Fidei Congregatio iurisdictionem locis

---

gime diocesano, i Seminari, l'elezione dei Vescovi e degli altri Ordinari, le visite Apostoliche, le relazioni sullo stato delle diocesi, ha competenza propria ed esclusiva.

c) La Congregazione circa la disciplina dei Sacramenti, per tutto ciò che risguarda il matrimonio, ha competenza anche nei luoghi soggetti alla Congregazione di Propaganda, secondo la norma data nella detta Costituzione. Per gli altri Sacramenti ha una competenza limitata al territorio soggetto al diritto comune.

d) Le Congregazioni del Concilio e degli Studi, nelle materie di loro competenza, hanno un limite territoriale come la Concistoriale.

e) La Congregazione dei Religiosi ha una competenza propria ed esclusiva sui religiosi in qualsiasi luogo, e per tutte le materie che toccano lo stato, la disciplina, gli studi e la sacra Ordinazione dei religiosi, salvo il diritto della Congregazione di Propaganda sui religiosi in quanto missionari.

f) La Congregazione di Propaganda ha competenza territoriale limitata ai luoghi ed alle cose, secondo detta Costituzione.

et rebus circumscriptam habet, iuxta memoratae Constitutionis praescriptum.

g) Congregationibus Indicis, Rituum, pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Caeremoniali, itemque Tribunalibus tum interni tum externi fori, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites.

2°. Etsi, abrogata iurium cumulatione in Sanctae Sedis Officiis, sua cuique negotio sit constituta sedes; nihilominus, quia in peculiaribus casibus dubitationi aut errori locus esse potest, firma manet antiqua lex, qua, delato et excepto ab aliquo Officio supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente sive ad iustitiam, nemini ulla de causa licet aliud suo marte Officium ad eumdem finem adire; sed opus est adsensu Officii ipsius quocum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii.

Quaevis concessio ab Officio alio profecta, contra memoratam legem, irrita esto.

3°. In expostulationibus ad Sanctam Sedem, si libellus

---

g) Le Congregazioni dell'Indice, dei Riti, degli Affari ecclesiastici straordinari e la Cerimoniale, così pure i Tribunali, sia di foro interno che di foro esterno, non hanno limiti territoriali per le materie di loro competenza.

2°. Sebbene, per l'abolizione delle competenze cumulative nei dicasteri della Santa Sede, ogni affare abbia la sua sede propria in cui deve esser trattato; tuttavia, nei casi particolari essendo possibile il dubbio o l'errore, rimane ferma l'antica regola che, presentata ed accettata un' istanza per un affare, sia di grazia sia di giustizia, in un dicastero, niuno per qualsiasi motivo può di suo arbitrio per lo stesso oggetto adirne un altro; ma a tale effetto si richiede un atto del dicastero prevenuto, od un decreto della Congregazione Concistoriale che ne autorizzi la trasmissione.

Qualsiasi concessione ottenuta in altro dicastero, contravvenendo a questa regola, è di niun valore.

3°. Nei casi di ricorsi alla Santa Sede, se il libello è stato presen-

ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus Auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem, ordinarius eiusdem *Congressus*, de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum.

Horum primum si accidat, iudicium quaestionis reservatur sacrae Congregationi cui competit, ad normam Const. *Sapienti consilio.*

Alterum si fiat, quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam iuris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo.

Cap. II.

DE IIS QUAE PLENAE CONGREGATIONI RESERVANTUR ET CONGRESSUI TRIBUUNTUR

1°. In sacris omnibus Congregationibus communiter iudicio Patrum Cardinalium, quibus ipsae constant, (vel, uti vulgo dicitur, plenae Congregationi) est reservata solutio dubiorum omnium aut quaestionum de iure interpretando; exa-

---

tato alla S. Rota, il Decano coi due Uditori più anziani; e se a qualche Congregazione, il rispettivo Congresso, esamineranno se la cosa sia di tale natura che debba trattarsi in via soltanto amministrativa e disciplinare, o in via strettamente giudiziaria.

Nel primo caso, il giudizio della vertenza deve riservarsi alla sacra Congregazione, cui compete, secondo la Cost. *Sapienti consilio.*

Nel secondo caso, la questione deve rimettersi ai propri giudici e tribunali per essere ivi risolta secondo le norme del diritto comune, salvo sempre il modo speciale di procedere della Segnatura Apostolica.

Capo II. — Di ciò che è riservato alla piena Congregazione e di ciò che compete al Congresso

1°. In tutte le sacre Congregazioni in generale è riservato al giudizio dei Cardinali, che le compongono, (o, come suol dirsi, alla piena Congregazione) la risoluzione di tutti i dubbi e le questioni di massima; l'esame delle controversie amministrative e disciplinari di natura più grave

men controversiarum ordinis administrationem ac disciplinam spectantis, vel per se vel ob adiuncta graviorum; disceptatio de gratiis ac facultatibus maioris momenti, iisdemque vel per se vel ratione modi insuetis; acta denique omnia publici ordinis atque communis, sive praeceptiones ea sint sive praescriptiones.

2°. Ad Congressum pertinet ea praeparare quae ad plenam Congregationem erunt deferenda; deliberata exsequi post approbationem Summi Pontificis; eadem casibus aptare similibus, ubi res perspicua sit, obvia, nullique obiecta controversiae; largiri, pro potestate a Pontifice Maximo facta, facultates, gratias, indulta, quae consueta sint et facilia; providere ut quae in Officio geruntur, omnia rite procedant secundum normas tum communes tum peculiares huius legis, et Constit. *Sapienti consilio*.

---

in sè o per le circostanze; l'esame delle grazie e facoltà di maggior importanza, od insolite in sè o nel modo; ed infine ogni istruzione o disposizione di ordine pubblico generale.

2°. Spetta al Congresso preparare quanto deve portarsi in piena Congregazione; curare l'esecuzione delle risoluzioni, dopo avuta l'approvazione del Sommo Pontefice; applicarle nei casi simili, quando però la cosa sia chiara, ovvia e non ammetta dubbio; concedere, secondo il potere avuto dal Santo Padre, le facoltà, le grazie e gl'indulti che siano consueti e non presentino difficoltà; e provvedere al buon andamento del dicastero, secondo le norme generali e speciali del presente regolamento, ed in conformità al disposto della Cost. *Sapienti consilio*.

Cap. III.

DE MODO TRACTANDI NEGOTIA NON STRICTE IUDICIALIA

Art. I. - *Quando agitur de rebus gratiae.*

1°. Si gratiae, seu facultates, dispensationes, indulta, quae quis a Sancta Sede postulet, ius aliis quaesitum laedant; ii, quorum interest, aut directo aut per Ordinarios suos ante concessionem audiendi sunt.

2°. Gratiae, quas quis pro se a Sancta Sede oretenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur. Nemo tamen potest cuiuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet.

3°. Gratiae, quae a Sancta Sede scripto conceduntur, communiter ab ipsa directo promanant per personas et Officia iure recognita. Quandoque vero supplex oratoris libellus ad Ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum, per personas et Officia memorata remittitur, cum facultatibus

---

Capo III. — Del modo di trattare gli affari non strettamente giudiziali

Art. I. - *Quando si tratta delle cose di grazia.*

1°. Se le grazie, ossia le facoltà, le dispense e gl'indulti, che alcuno chiede alla Santa Sede, ledono il diritto proprio dei terzi; gl'interessati debbono prima della concessione, o direttamente o per mezzo dei loro Ordinari, essere intesi.

2°. Le grazie, che alcuno in suo vantaggio ottiene a voce dalla Santa Sede, valgono nel foro della coscienza per il petente. Niuno però può sostenere, contro chicchessia, l'uso d'un privilegio senza regolarmente provarlo.

3°. Le grazie, che si conseguono dalla Santa Sede in iscritto, d'ordinario sono concesse direttamente dalla medesima per mezzo delle persone e degli Offici legittimi. Talora poi l'istanza dell'oratore, per mezzo delle dette persone ed Offici, viene rimessa all'Ordinario o ad altra per-

cumscriptam.

Quum preces ad Ordinarium cum facultatibus remittuntur, eius aequo iudicio rectaeque conscientiae imploratae gratiae largitio permittitur, habita ratione formae rescripti, rerum Sanctae Sedi expositarum, et opportunitatis gratiae concedendae.

Ubi vero ab ipsa Sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt, aut formâ gratiosa aut commissoria.

4°. Si formâ gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen Ordinario sunt, qui ea suo *recognitionis* rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi; aut si comprobare conditiones quasdam oporteat, uti loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus.

Si vero commissoria formâ rescripta expressa sint, opus habent exsecutore. Nec licet Ordinario exsecutionem detre-

---

sona ecclesiastica in suo luogo, con le facoltà di concedere, in tutto od in parte e dentro certi limiti, la grazia richiesta.

Quando le preci sono rimesse all'Ordinario con le facoltà, spetta al giusto discernimento ed alla coscienza del medesimo concedere ciò che si chiede, tenendo conto del tenore del rescritto, delle cose esposte alla Santa Sede, e della convenienza della concessione.

Quando la grazia è concessa direttamente dalla Santa Sede, i rescritti possono essere redatti, o in forma graziosa o in forma commissoria.

4°. Se in forma graziosa, per la loro stessa natura non richiedono il decreto *esecutoriale* dell'Ordinario. Debbono però essere presentati al medesimo per il *visto,* nelle cose di ordine pubblico, come per indulgenze di carattere generale, per reliquie da esporsi alla pubblica venerazione, ecc.; o per verificare talune condizioni, come per es. la decenza del locale negli oratorii privati, ecc.

Se in forma commissoria, i rescritti hanno bisogno del decreto esecutoriale. Ma l'Ordinario non può esimersi dal farlo, meno il caso 1°. che

ctare, nisi forte horum alterutrum occurrat, ut, aut manifesto vitiosae, hoc est obreptitiae vel subreptitiae sint preces, aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit indulti concessio. Haec si accidant, Praelatus, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciet Apostolicam Sedem.

5°. Pro recognitionis testimonio, quo rescripta muniuntur, ut est in superiore *num. 4°.*, nulla est repetenda compensatio. Necessariae tamen impensae sarciri possunt, quales ex. gr. occurrunt ad loci cognitionem in sacelli usum adhibendi, aut ad fidei comprobationem circa aliquam sacram reliquiam.

6°. Servatis, tum quae superiore *num. 4°.* statuta sunt circa rescriptorum exsecutionem, tum necessariis conditionibus ad sacras indulgentias lucrandas; a die III mensis Novembris MDCCCCVIII, quo die incipient vim legis habere praescripta in Constitutione *Sapienti consilio*, gratiae ac dispensationes omne genus a Sancta Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati.

le preci siano evidentemente viziose, cioè orrettizie o surrettizie; 2°. che la persona, cui è stata concessa la grazia, sia talmente indegna, da far sì che la concessione ad essa dell'indulto riesca di scandalo agli altri. Verificandosi ciò, il Prelato, sospesa l'esecuzione, dovrà farne sollecita relazione alla Santa Sede.

5°. Per il visto, di cui al *num. 4°.* precedente, non si può esigere alcun compenso. Ma se fossero necessarie delle spese, p. e. onde recarsi a verificare la decenza dei locali destinati ad uso di oratorio, o per constatare l'autenticità di qualche reliquia, si può esigerne il rimborso.

6°. Salvo il disposto del *num. 4°.* precedente circa l'esecutoriale dei rescritti, e salve le condizioni necessarie per l'acquisto delle sacre indulgenze; dal 3 Novembre 1908, in cui cominciano ad avere effetto le disposizioni della Costituzione *Sapienti consilio*, le grazie e dispense di qualsiasi genere concesse dalla Santa Sede, anche a chi fosse colpito da censura, sono valide, meno per coloro che fossero nominatamente scomunicati, o nominatamente sospesi *a divinis* dalla stessa Santa Sede.

7°. In causis apud sacras Congregationes administrationis ac disciplinae tramite agitandis, remota litis contestatione, exclusa auditione testium nullisque scriptis patronorum receptis habebitur quaestio; audientur tamen semper partes quorum interest, ab iisque producta documenta excutientur.

8°. Ut ii, quorum interest, suam causam dicere valeant, erunt praemonendi, vel per suos Ordinarios vel directo, ad iuris communis normas.

9°. Quod si pro re sua typis edere ac distribuere scriptum suum aliquod vellent, facere hoc poterunt, servatis normis statutis in *can. 29 Legis propriae* S. Romanae Rotae, congrua congruis referendo.

10°. Quaestione semel instituta penes Congregationem aliquam administrationis ac disciplinae tramite, et a partibus admisso aut saltem non recusato hoc agendi modo; his iam

---

ART. II. — *Quando si tratta delle cause d'ordine disciplinare ed amministrativo.*

7°. Nelle questioni, che si trattano presso le sacre Congregazioni in via disciplinare ed amministrativa, il procedimento si svolgerà senza contestazioni, senza audizione di testimoni e senza scritture di avvocati; sentite però sempre le parti interessate, ed esaminati i documenti da esse prodotti.

8°. Affinchè gl'interessati possano dedurre le loro ragioni, dovranno avvertirsi, per mezzo dei rispettivi Ordinari o direttamente, secondo le norme del diritto comune.

9°. Se essi vorranno, a tutela dei loro diritti, stampare e distribuire qualche loro scritto, lo potranno fare, osservate le norme stabilite al *can. 29* della *Legge propria* della S. Romana Rota, secondo le esigenze del caso.

10°. Iniziato presso qualche Congregazione l'esame di una questione in via disciplinare ed amministrativa, ed accettato questo provvedimento

non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere.

Eoque minus, deliberata re atque ad sententiam deducta, fas erit hoc agere.

Est nihilominus Congregationi sacrae facultas, quovis in stadio quaestionis, ad iudices ordinarios causam deferre.

CAP. IV.

DE DIEBUS QUIBUS CARDINALIUM COETUS COADUNANTUR AC DE MODO PROCEDENDI PLENARUM CONGREGATIONUM

1°. Stati dies habendis coetibus Patrum Cardinalium erunt

dies Lunae	pro SS. CC.	Propagandae Fidei, et Indicis;
» *Martis*	»	Rituum, Caeremoniali, et Studiorum;
» *Mercurii*	pro S. C.	Sancti Officii;
» *Iovis*	pro SS. CC.	Consistoriali, et pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis;
» *Veneris*	»	Sacramentorum, et religiosorum Sodalium;
» *Sabbati*	pro S. C.	Concilii, et pro Signatura Apostolica.

---

o almeno non contradetto dalle parti, non è lecito alle medesime iniziare per lo stesso titolo un'azione in via giudiziaria.

E tanto meno ciò potranno fare, dopo emanata una decisione.

Può però sempre la sacra Congregazione, in qualunque stadio del procedimento, rimettere la vertenza ai giudici ordinari.

CAPO IV. — DEI GIORNI DELLE PIENE CONGREGAZIONI E DEL MODO DI PROCEDERE IN ESSE

1°. I giorni propri per le adunanze degli Emi Padri sono

Lunedì	per le SS. CC.	di Propaganda, e dell'Indice;
Martedì	»	dei Riti, Cerimoniale, e degli Studi;
Mercoledì	per la S. C.	del Sant'Offizio;
Giovedì	per le SS. CC.	Concistoriale, e degli Affari ecclesiastici straordinari;
Venerdì	»	dei Sacramenti, e dei Religiosi;
Sabato	per la S. C.	del Concilio, e per la Segnatura Apostolica.

In Officiis, quae unum eumdemque suis conventibus agendis habent constitutum diem, ipsorum Moderatores consilia inter se inibunt de iisdem habendis per hebdomadas diversas.

2°. Si quaestio eiusmodi sit, quae plenae Congregationis iudicium postulet, conficiendum erit officiale folium, compendio collectam quaestionem exhibens, cum adiecto brevi summario ac dubiis ad excutiendum propositis.

In gravioribus aut difficilioribus sive de facto sive de iure quaestionibus, singularum Congregationum Moderatores curabunt unius vel alterius Consultoris rogare sententiam, officiali folio adiiciendam.

3°. Folia officialia, Consultorum *vota*, quidquid proelo edi debeat nomine Officiorum Sanctae Sedis, documenta ipsa aut defensiones, quae partes exhibere velint, ubi agatur de criminum aut matrimonii causis prudentius cautiusque tractandis, haec omnia Vaticanis typis imprimenda tradentur. Cetera aliis etiam officinis committi poterunt, quae a Cardinali a secretis Congregationis Consistorialis in suo Congressu probatae sint, et in quibus cautum sit circumspectioni pro variis casibus necessariae.

Nei dicasteri, che hanno assegnato egual giorno per le riunioni Cardinalizie, i Moderatori cureranno di intendersi fra loro, onde possibilmente tenerle in settimane diverse.

2°. Nel caso che la questione sia di tale natura da richiedere il giudizio della piena Congregazione, si dovrà compilare un *foglio d'officio* riassuntivo della questione, con un breve sommario addizionale e coi dubbi da discutersi in proposito.

Nelle questioni di maggior gravità o difficoltà, sia in fatto che in diritto, sarà cura dei Moderatori delle singole Congregazioni di richiedere il voto di uno o due Consultori, da aggiungersi al foglio d'officio.

3°. I fogli d'officio, i voti dei Consultori, e quanto debba stamparsi per conto dei dicasteri della Santa Sede, e le stesse memorie o difese, che le parti credessero dover presentare, nelle cause criminali o matrimoniali d'indole delicata, saranno affidate per la stampa alla tipografia Vaticana. Il resto potrà essere commesso anche ad altra tipografia, che sia stata approvata dal Cardinale Segretario della Congregazione Conci-

4°. Scripta typis impressa Patribus Cardinalibus dispertientur decem saltem ante diebus quam Congregatio habeatur.

5°. Qui typis edita folia scriptave alia receperint, quae, sive positivo praecepto sive rei delicatiore natura, postulant secreti religionem, de arcano servando erunt maxime solliciti; idque, non per dies tantum rei studio tributos, sed etiam posthac, quamdiu impressa ea folia scriptave domi retinuerint.

Iidem curare debebunt, ut, post obitum, ea documenta suo quaeque Officio inviolata restituantur.

Hac lege aeque obstringuntur uniuscuiusque Officii administri, Consultores ac Patres Cardinales.

Easdem qui chartas alio deferat, debitis modis ac tutiore via transmittendas curabit.

6°. Nulla fit immutatio in recepto more, quo sacrae Congregationes quaedam in certis negotiis, aliquot ante dies quam Patrum Cardinalium cogatur coetus, convocant Consultorum collegium, ut eorum sententiam rogent.

---

storiale nel suo Congresso, e dove sia garantita quella riservatezza che può essere secondo i vari casi necessaria.

4°. Le stampe dovranno distribuirsi ai Cardinali almeno dieci giorni prima della Congregazione.

5°. Sarà poi stretto dovere di ognuno che riceve stampe o carte le quali, o per positivo precetto o per la loro delicata natura, richiedono il segreto, di curare che questo segreto sia gelosamente custodito; e ciò non solo durante i giorni dello studio, ma anche in seguito, qualora queste stampe o carte dovessero più a lungo rimanere in sua casa.

Provvederà anche, affinchè, in caso di morte, le dette stampe o manoscritti siano rimessi inviolati all'Officio cui spettano.

Questa regola vincola egualmente Officiali, Consultori e Cardinali di ogni dicastero.

Chi poi trasmette le carte segrete, ha l'obbligo di curare che la trasmissione sia fatta nei modi debiti e per via sicura.

6°. Nulla si muta dall'uso, vigente in talune sacre Congregazioni e per taluni affari, di convocare, alcuni giorni prima dell'adunanza Cardinalizia, il corpo dei Consultori per richiederli del loro parere.

Summam hanc sententiarum postulare poterunt semper Moderatores Congregationum aut Patres Cardinales aliis etiam in causis, praeter ordinarias, modo sint maioris momenti.

7°. In Patrum Purpuratorum coetibus primus sermonem instituet Cardinalis Ponens, seu relator, si aderit; eo absente, aut post ipsum, Cardinalis priorem obtinens locum; subinde ceteri ex ordine; denique Cardinalis Praefectus aut eius vice fungens.

8°. Quae sacrae Congregationi aut plerisque illorum, qui interfuerunt, decernenda visa sint, ea, constanti lege, cui derogabitur nunquam, exarari scripto debebunt, perlegi et pro contione approbari.

Eadem servabitur lex in Consultorum conventibus.

9°. Si nihil obstet, sententia, in quam sacer Ordo devenit, a Praelato a secretis in suo Officio evulgabitur; et de ea scriptum aut typis impressum exemplar tradetur omnibus eiusdem Congregationis Cardinalibus in Urbe residentibus.

10°. Sententia evulgata, parti oneratae licet intra dies decem novae audientiae beneficium flagitare. Cardinali autem

---

È poi sempre in facoltà dei Moderatori delle Congregazioni o degli Emi Padri delle medesime, anche in altre cause oltre quelle di uso, purchè di grave entità, richiedere questo parere collettivo.

7°. Nelle adunanze Cardinalizie ha per primo la parola il Cardinale Ponente, o relatore, se vi sia; ed in mancanza del Ponente, o dopo di lui, il Cardinale che ha la precedenza; quindi gli altri per ordine; ed infine il Cardinale Prefetto, o chi ne fa le veci.

8°. Le risoluzioni, a cui la sacra Congregazione o la maggioranza degli intervenuti stimasse dover venire, per regola imprescindibile debbono essere scritte, lette ed approvate seduta stante.

Egual regola si dovrà tenere nelle adunanze dei Consultori.

9°. Quando nulla osti in contrario, le risoluzioni, dopo l'adunanza Cardinalizia, saranno pubblicate nella relativa Segreteria; e quanto prima ne sarà data copia scritta o stampata ai singoli Cardinali della rispettiva Congregazione residenti in Curia.

10°. Avvenuta la pubblicazione, la parte, che si sente gravata, entro dieci giorni può chiedere il beneficio della nuova udienza. E spetta al

Praefecto, audito Congressu, arbitrium erit eius beneficii concedendi aut recusandi, prout rerum adiuncta suaserint.

Quod si Patrum Cardinalium deliberatio secumferat clausulam *amplius non proponatur*, non poterit novae audientiae beneficium concedi, nisi ab ipsa Congregatione universa.

11°. Expensae, quas partes in causis agendis coram sacris Congregationibus obierint, generatim repeti non possunt.

Attamen cum pars vocata ad suum ius persequendum, per contumaciam defuerit, si postea velit rem iudicatam referre, hoc est, causam denuo cognoscendam proponere, debebit aut se de contumacia purgare, aut congruam pecuniae summam deponere, qua impensae sarciantur diligentem partem aut Sanctae Sedis Officium rursus gravaturae.

Item si quis absque legitima causa temere postulet ut quaestio in plena Congregatione proponatur, Cardinalis Officii praeses una cum suo Congressu exigere ab instante poterit, ut congruam summam ad eumdem finem, ut supra, deponat.

Cardinale Prefetto, udito il Congresso, il concederla, o meno, secondo le circostanze.

Se però la risoluzione dei Cardinali fosse munita della clausola *amplius non proponatur*, il beneficio della nuova udienza non potrà concedersi che dalla stessa piena Congregazione.

11°. Le spese, che le parti incontrano nelle cause innanzi alle sacre Congregazioni, in generale non sono rifattibili.

Però quando una parte, invitata ad esporre le sue ragioni, è rimasta contumace, se poi chiede una revisione del giudizio, deve, o purgare la sua contumacia, o depositare una somma congrua per indennità delle spese di giudizio, cui la parte diligente o l'Officio della Santa Sede devono nuovamente andare incontro.

Egualmente se alcuno senza motivo legittimo temerariamente pretenda che la sua causa sia portata all'esame della piena Congregazione, il Cardinale capo del dicastero col suo Congresso potrà esigere che l'istante depositi allo stesso fine una congrua somma.

CAP. V.

DE RELATIONIBUS SUMMO PONTIFICI AGENDIS

1°. In relationibus Pontifici Summo faciendis iuxta memoratam Constitutionem, curae erit, pro implicatioribus saltem negotiis, scriptum rei compendium prae oculis habere quod deinde in tabulario adservabitur una cum resolutione, appositis die et anno subscriptoque nomine referentis.

2°. Si Romano Pontifici visum fuerit aliquid a sacra Congregatione deliberatum immutare, de hac re certiores fient Emi Patres in proximo coetu, ad ipsorum normam.

CAP. VI.

DF MUNERE VARIORUM ADMINISTRORUM COMMUNITER

1°. Praelatus, ad quem, quovis nomine, moderatio Officii a secretis proxime spectat, ut est *num. 2°., cap. I. Norm. comm.* huius legis, providebit ut negotia, qua par est celeritate ac diligentia expediantur, secundum normas constitutas.

CAPO V. — DELLE RELAZIONI DA FARSI AL SOMMO PONTEFICE

1°. Nelle relazioni da farsi al Sommo Pontefice secondo il prescritto di detta Costituzione, si curerà d'avere, almeno per gli affari più complicati, un foglio riassuntivo da conservarsi in Atti con la decisione, la data e la firma di colui che ha fatto la relazione.

2°. Se il Romano Pontefice giudicasse dover modificare qualche risoluzione di una sacra Congregazione, nella prima adunanza susseguente ne sarà dato conto agli Emi Padri, per loro norma.

CAPO VI. — DEL COMPITO DEI VARI OFFICIALI IN GENERALE

1°. Il Prelato che, sotto qualsiasi nome, presiede immediatamente alla Segreteria del dicastero a forma del *num. 2°., cap. I. Norme gener.* di questo regolamento, deve provvedere affinchè nella spedizione degli affari tutto proceda colla dovuta sollecitudine e diligenza, secondo le regole stabilite.

Ad eum pertinet maiorum praesertim negotiorum tractatio, et cura ut, quae ad eadem referuntur, epistolae ac rescripta redigantur.

Ipse Consultoribus committit studium causarum, seu *positionum,* de quibus dicant rogati sententiam; eosdem convocat quoties oportet, eorumque coetibus praeest.

Interest Congregationibus Patrum Cardinalium, notat formâ praescripta quae ipsi decreverint, et ad Sanctissimum Patrem refert statis diebus, quibus ei facta sit Ipsum adeundi potestas.

Pro Cardinali Officii praeside, si desit, Congressus habet ac moderatur. Salvis autem peculiaribus cuiusque Officii normis, communiter eius actis cum Cardinali subscribit.

Administrationi pecuniae advigilat, eamque dirigit secundum legis huius praescripta *num. 7°., cap. XI. Norm. comm.* Prudenti eiusdem iudicio relinquitur decernere, utrum praestet, ad eos, qui directam petierint expeditionem negotii tributo gravati, rescriptum, tamquam rem creditam, transmittere, an postulare ut ante solvatur.

A lui in modo speciale appartiene lo studio delli affari di maggior importanza, e la cura di redazione delle relative lettere e dei rescritti.

Egli commette ai Consultori lo studio delle ponenze, per le quali è richiesto il loro voto; li convoca quando è necessario, e ne presiede le adunanze.

Interviene alle Congregazioni dei Cardinali, ne nota le risoluzioni secondo la forma prescritta, e ne fa relazione al Santo Padre nelle udienze che gli saranno assegnate.

In mancanza del Cardinale capo del dicastero, tiene e presiede i Congressi; e, salve le regole speciali di ciascun dicastero, in generale firma col Cardinale gli atti del medesimo.

Sorveglia e regola l'amministrazione secondo le prescrizioni del *n. 7°., cap. XI. Norme gener.* di questo regolamento. Al suo discreto giudizio appartiene stabilire, qualora alcuno abbia chiesto la spedizione diretta di un affare, e l'atto sia gravato da tassa, se debba inviarsi il rescritto in credito, oppure chiedersi preventivamente l'importo.

Iuxta praescriptum Constit. *Promulgandi,* quae hac ipsa die vulgatur ac praesentis legis pars, moderatoribus *Commentarii officialis de Apostolicae Sedis actis* ipse tradere tenetur exemplaria decretorum Officii sui, quae promulgari debent. Quae vero utiliter evulgari possunt, eisdem tradet, Cardinali Officii praeside consentiente. In utroque casu, ea subsignabit, aut ab alio administro subsignari iubebit, in fidem et testimonium veritatis.

Si quae cum aliis S. Sedis Officiis communicari aut eisdem tradi debeant, et in omnibus ubi gravius aut urgentius quid accidat, Cardinalem praesidem semper conveniet.

2°. Fungentes pro Praelato a secretis, aut Substituti, debent, non solum praescriptas officii sui partes exsequi omnes, sed etiam adiumento esse Praeposito in iis omnibus quae ipse postulet, eiusque absentis aut impediti vice munus implere.

3°. Studii adiutores, seu informatores *(minutanti),* debent

a) in suae quisque causae, seu positionis, studio versari, in iisque praeterea quas ipsis Officii Praepositi cognoscendas

---

Secondo il prescritto della Costit. *Promulgandi,* che viene pubblicata con la stessa data di questa parte del regolamento, egli deve comunicare alla direzione del *Bollettino ufficiale degli atti della Sede Apostolica* i decreti che sono da promulgarsi: e, d'intesa con il Cardinale capo del dicastero, le comunicherà anche quelli che possono utilmente pubblicarsi; ed in ambi i casi li firmerà, o li farà firmare da un altro officiale, in segno e prova di autenticità.

Dovrà sempre riferirsi al Cardinale capo, se vi sia qualche cosa da partecipare o da inviare a qualche altro dicastero della Santa Sede, e per quanto accada d'importante o richieda uno speciale provvedimento.

2°. I Sottosegretari, o Sostituti, non solo debbono soddisfare ai doveri particolarmente loro imposti nel regolamento speciale del dicastero, ma altresì coadiuvare il loro Superiore in tutto ciò di cui fossero da lui richiesti, e supplirlo in caso di assenza o d'altro impedimento.

3°. Gli aiutanti di studio *(minutanti)* debbono

a) studiare le ponenze di loro spettanza, o comunque loro commesse dai Superiori del dicastero, e farne una breve sintesi cioè un *ri-*

committant; eas in epitomen cogere distincto in folio, quod velut indicem positionis exhibeat actorumque seriem, quae deinceps adiecta sunt. Eo compendio non egent expostulationes aut supplices preces paucis contentae verbis, et quae forte longius non protrahentur;

b) interesse Congressui, ut de commissis ad cognoscendum negotiis referant, suamque sententiam proponant, cauto primum, ut, exceptis urgentioribus casibus aut positionibus, de quibus in litt. *a*, relatio semper fiat ex scripto ante compendio; deinde, ut in maioribus ac difficilioribus causis positio cum adiecto compendio, ante quam cogatur coetus, ad Praelatum Officio praepositum deferatur, ab ipso vel per se vel per alium primi ordinis administrum expendenda, quo plenius atque facilius possit de causa penitus cognita in Congressu dicere;

c) epistolas et rescripta de rebus ad suam positionem pertinentibus, aut sibi commissis, ductu maiorum administrorum exarare, et statuere quomodo sint transmittenda, utrum et quodnam sive ordinarium sive speciale tributum solvendum sit, an fiat exemptioni locus;

---

stretto in foglio separato, che serva come indice della ponenza, e dia a conoscere quanto di mano in mano è venuto ad aggiungersi alla medesima. Sono però esenti dal ristretto quei ricorsi o quelle istanze che risultino di poche parole, e che non abbiano probabilmente un seguito;

b) intervenire al Congresso per riferire sugli affari studiati e proporre il proprio voto, avvertendo 1°. che, eccetto casi di urgenza o di ponenze di cui alla lettera *a*, il rapporto è da farsi sempre da un ristretto precedentemente scritto; 2°. che per gli affari di maggior difficoltà ed importanza, la ponenza col suo ristretto deve prima del Congresso passarsi al Prelato superiore del dicastero, affinchè possa egli stesso, o qualche altro degli Officiali maggiori in suo luogo, esaminarla, e così parlarne nel Congresso stesso con piena competenza;

c) minutare, dipendentemente dagli Officiali maggiori, le lettere ed i rescritti delle ponenze di propria spettanza, o loro commesse, fissando

d) officiale folium et summarium documentorum maioris momenti conficere, quum res erit ad plenam Congregationem referenda; eius imprimendi curam suscipere, typicas formas emendare. In hoc autem redigendo folio vigentem consuetudinem retinebunt; et, ubi res postulaverit, inserent iuris et facti animadversiones vel necessarias vel utiles ad iustam solutionem quaestionis.

4°. Adiutoribus, et, si fieri potest, etiam scriptoribus sua cuique negotia erunt, materiae aut regionis ratione divisa.

5°. Adiutores laurea doctoris oportet esse insignitos in sacra theologia et in iure canonico.

Iidem in Congregationibus praesertim, quorum negotia regionis ratione divisa sunt, unam saltem callebunt ex his linguam: gallicam, germanicam, anglicam, hispanicam, lusitanam. Curabunt autem Praepositi ut in Officio a secretis sermones hi omnes intelligantur; cuius rei gratiâ opportunum erit, candidatis, etiam ad alia inferiora officia, tamquam conditionem proponere, ut vel unam ex memoratis linguis, pro casibus ac necessitate sciant.

---

il modo di spedizione, la tassa ordinaria o speciale, o la condonazione della medesima;

d) compilare il foglio d'officio ed il Sommario dei documenti di maggior importanza, quando la cosa debba portarsi in piena Congregazione, e curarne la stampa correggendo le bozze. Nel redigere poi questo foglio si atterranno alla prassi vigente; ed in ogni caso dovranno farvi quelle osservazioni di diritto e di fatto, che fossero necessarie od utili per la giusta risoluzione della causa.

4°. Gli aiutanti, e possibilmente anche gli scrittori, avranno un'attribuzione di affari, divisa per materia o per territorio.

5°. Gli aiutanti dovranno essere forniti di laurea in teologia ed in diritto canonico.

Nelle Congregazioni, dove le attribuzioni sono divise per territori, dovranno conoscere almeno una delle seguenti lingue: francese, tedesca, inglese, spagnuola, portoghese. Sarà poi cura dei Superiori di provvedere, che nella Segreteria tutte queste lingue siano conosciute; potendo

6°. Scriptorum amanuensium est, Officii epistolas et rescripta e positione exscribere, et quae paucis recepto usu indicata sint verbis, ea fusius evolvere.

Curam omnem adhibebunt, ut quavis menda scriptura careat; nec subscribendam tradent, nisi prius attente perlegerint. Huic diligentiae qui desit identidem, praebere poterit causam, cur in ipsum severius animadvertatur. Absoluta scriptione, nomen suum et cognomen initialibus litteris positioni adiicient in confecti operis testimonium.

Epistolae ac rescripta redigentur communiter in foliis, quae inscriptum gerant suae Congregationis nomen, induentque formam ex instituto Romanae Curiae vigentem.

7°. Qui conficiendis tabulis, seu *protocollo,* dant operam, in librum et in parvam rubricam documenta referent actaque Officio exhibita; relatarum in album rerum indicium, vulgo *oculum,* folio vel positioni apponent; rite digestum habebunt librum *rerum notabilium;* positiones in tabularium nondum

---

a tale effetto porre come condizione, per l'ammissione al concorso anche per gli altri offici inferiori, di sapere una delle medesime, secondo i casi e la necessità.

6°. Agli scrittori incombe l'obbligo di copiare le lettere ed i rescritti del dicastero minutati nella ponenza, e di svolgere quelli che fossero accennati con brevi parole convenzionali di uso.

Essi porranno ogni studio, perchè lo scritto riesca interamente corretto; nè lo manderanno alla firma, senza averlo prima attentamente esaminato. Le mancanze al riguardo, se ripetute, potranno dar motivo a provvedimenti disciplinari anche severi. Eseguito lo scritto, dovranno colle iniziali del loro nome e cognome segnare la ponenza relativa, come prova dell'avvenuta esecuzione.

Regolarmente tutti gli atti dovranno essere redatti sopra fogli portanti il nome della Congregazione, da cui emanano, ed avere la forma tradizionale attualmente in uso nella Curia Romana.

7°. Ai protocollisti spetta registrare nel libro di protocollo e nella rubricella i documenti ed atti presentati al dicastero; fare il richiamo della registrazione eseguita (volgarmente l'*occhio*) sul foglio o fascicolo registrato; tenere in regola il libro *rerum notabilium,* ed in ordine egual-

relatas ordine disponent, eas dividentes pro sua quamque dioecesi et pro annorum ac mensium serie, secundum progredientem protocolli numerum.

8°. Tabulario addicti, eidem recte ordinando vacabunt; positiones resument; utrumque indicem conficient, alterum, litterarum ordine digestum, referentem petentium nomina, aut eorum contra quos expostulatum sit, in causis alicuius momenti; alterum ordine materiae, res maiores complectentem quae anni decursu actae sint; denique, muniti scripto mandato in actis adservando, petita documenta exscribent, eaque exempla cum primo concordare declarabunt.

9°. Ad officium expeditionis pertinent ratiocinator, et distributor qui etiam arcarii fungetur munere.

10°. Ratiocinatoris erit in menstruum folium referre (de quo huius legis *num. 4°., cap. XI. Norm. comm.*) rescripta omnia taxationi obnoxia, indicata dioecesi, numero protocolli ac pecunia Sanctae Sedi solvenda, a maioribus administris aut adiutoribus taxata; ex ea taxatione supputare, servatis normis in memoratis locis huius legis descriptis aliisque seorsim exhi-

---

mente le ponenze che non siano passate all'archivio, dividendole per diocesi, per anni e per mesi, secondo il numero progressivo di protocollo.

8°. Gli archivisti debbono tenere in ordine l'archivio; fare le riassunzioni delle ponenze; compilare i due registri di archivio, contenenti, il primo per ordine alfabetico il nome delle persone ricorrenti, o contro cui vi sia ricorso nei casi di qualche entità; il secondo, l'indice per ordine di materie delle cose più importanti trattate di mano in mano entro l'anno; e finalmente, coll'ordine scritto dei Superiori, che deve conservarsi in atti, dar copia dei documenti di cui fossero richiesti, e dichiararne la conformità con l'originale.

9°. All'officio di spedizione appartengono il computista, ed il distributore, il quale compirà anche l'officio di cassiere.

10°. L'officiale computista deve registrare nel foglio mensile (di cui al *num. 4°., cap. XI. Norme gener.* di questo regolamento) tutti i rescritti tassati, indicando la diocesi, il numero di protocollo e la tassa stabilita per la Santa Sede dagli Officiali maggiori o dagli aiutanti; computare,

bendis, expensas procurationis et exsecutionis, si id negotii fuerit Ordinario commissum; in tergo rescripti, vel distincto in folio secundum praescripta *num. 6°.* memorati *cap. XI,* impresso signo vim pecuniae solvendam notare; eamque, ubi de maiore agatur pecuniae summa, exprimere integris litteris.

11°. Distributoris munus erit,

a) partibus quarum interest aut ipsarum procuratoribus seu agentibus, acta, litteras, rescripta distribuere; pecuniam exigere Sanctae Sedi debitam, si quae sit, eamque in arcae folio notare.

b) Prospiciet ut epistolae et fasciculi actorum, in Urbe distribuenda, ad eos, ad quos pertinent, apparitorum adhibita operâ mittantur: quae vero extra Urbem ex officio mittenda sunt, ea per publicos cursores transmittantur.

c) Litteras et rescripta, quae occlusa mittenda sunt iuxta *num. 6°.* memorati *cap. XI,* praeposita nominis et loci inscriptione, obserabit.

---

in base a questa secondo le norme ivi date ed altre da darsi a parte, l'agenzia, e la tassa per l'esecutoriale dell'Ordinario (se questa abbia luogo), e notare con apposito bollo tutte queste tasse sul dorso del rescritto, o in un foglio separato secondo il prescritto del *num. 6°.* del *cap. XI* suddetto; segnarle in tutte lettere, quando le tasse siano di una qualche considerevole entità.

11°. Compito del distributore è

a) di distribuire alle parti interessate od ai loro procuratori od agenti, gli atti, le lettere ed i rescritti, esigendo la tassa dovuta alla Santa Sede, se vi sia, e segnandone l'importo sul foglio di cassa;

b) di curare la spedizione delle lettere e dei plichi da distribuirsi in Curia, servendosi dell'opera degli uscieri; e di trasmettere per posta quanto debba inviarsi d'officio fuori di Roma;

c) di chiudere e fare gl'indirizzi necessari delle lettere e dei rescritti che, secondo il *num. 6°. del cap. XI* sopra citato, debbono essere consegnati in busta chiusa.

d) Ante vero quam acta tradat vel mittat, inspiciet sintne ipsis rite subscripta nomina; eaque sigillo munienda curabit, secundum Officii normas.

e) Acta taxationi obnoxia nunquam dimittet ante solutam pecuniam, nisi scripta Praepositorum accedat auctoritas. Quam si cautelam neglexerit, in se periculum recipiet, expletoque mense, de suo restituet.

f) Distributoris quoque munus est, Praepositorum auctoritate. officiales curare sumptus pro necessaria tabularii seu *cancellariae* supellectili sive comparanda sive instauranda.

g) Tandem si quis Ordinarius petierit ad se directo aliquid mitti, simulque aliquam pro expensis pecuniae vim ad Sanctam Sedem expedierit, distributoris erit missam ad Officium a secretis pecuniam servare, cuius partem administrationi oeconomicae S. Sedis debitam, impetrata gratiâ, tradet; reliquum arbitrio mittentis adhibendum retinebit.

Ad hunc finem, accepti et expensi tabulas peculiares habeat, omnium rationem Praelato a secretis sub exitum men-

---

d) Prima però di consegnare o spedire questi atti, vedrà se essi siano debitamente firmati, e curerà che siano muniti del sigillo, secondo le norme del dicastero.

e) Non dovrà mai rilasciare atti gravati da tassa in credito, senza un'autorizzazione scritta dei Superiori. Venendo meno a questa regola, egli assume la responsabilità della somma mancante, ed alla fine del mese deve del suo indennizzare l'amministrazione.

f) A lui anche spetta di provvedere con l'approvazione dei Superiori, per le piccole spese di cancelleria e per gli acconcimi del dicastero.

g) Finalmente per quegli affari, per i quali qualche Ordinario abbia chiesto la spedizione diretta ed abbia inviato l'importo dovuto alla Santa Sede per le spese, sarà compito del distributore di conservare il denaro spedito alla Segreteria, per versarne, concessa la grazia, la parte dovuta all'amministrazione della S. Sede, e tenere il resto a disposizione del mittente.

A questo effetto avrà un registro speciale per notare gl'introiti e gli esiti, ed alla fine di ogni mese dovrà dar conto di tutto al Prelato supe-

sis redditurus. Pecunia vero in Officii arca, distincto loco, servetur.

12°. In Officiis, ubi propter negotiorum numerum unus distributionis administer non sufficiat, alius adiicietur. Munia superius recensita prudenti Moderatorum arbitrio, inter utrumque dividentur, ita ut uni cura sit praesertim distributionis litterarum, alteri rescriptorum et perceptionis taxatae pecuniae.

13°. Tabularii, protocolli, expeditionis et scriptionis administri censentur inter se pares. Patet igitur iis transitus de uno in aliud officium ex prudenti Moderatorum iudicio, nullo ulterius indicto certamine.

14°. A mox recensitis officiis ad munus adiutoris nullus datur adscensus. Quare, vacuo adiutoris officio, peculiare certamen indicetur.

15°. Etsi, quod supra dictum est, sua cuique definita sint munia, firma tamen communis manet lex, qua omnes administri debent absentium partes mutua vice supplere, ac fraterna caritate alter alteri adiumento esse, prout aequum Praepositi iudicaverint.

---

riore della Segreteria. Il denaro avuto dovrà conservarsi nella cassa della Segreteria, distinto però dal resto.

12°. Nei dicasteri, dove per il numero degli affari, non basti un solo distributore, se ne aggiungerà un secondo. E saranno divise fra loro le attribuzioni sopra indicate, secondo il prudente giudizio dei Superiori, in modo però che ad uno spetti principalmente la spedizione delle lettere, all'altro la spedizione dei rescritti e la riscossione delle tasse.

13°. Gli officiali di protocollo, di archivio, di spedizione e di scrittura sono equiparati fra loro. Possono quindi da un officio passare ad un altro, secondo il discreto giudizio dei Superiori senza nuovo concorso.

14°. Dagli offici, di cui al numero precedente, non v'ha diritto di passaggio all'officio di aiutante. Perciò vacando un posto di aiutante, si aprirà un concorso speciale.

15°. Non ostante l'assegnazione d'incombenze particolari sopra stabilite, rimane ferma la disposizione generale del regolamento, che tutti gli Officiali debbano supplirsi a vicenda, ed aiutarsi fraternamente per il disbrigo degli affari, secondo il discreto giudizio dei Superiori.

16°. Apparitores seu ianitores debent aedes sibi commissas custodire, earum nitorem curare, epistolas et actorum fasciculos ad quos spectant, vel ad stationes tabellarias ferre, aliaque peragere quae a Moderatoribus commissa habeant in sui Officii commodum.

Salvis, si quae sint, iuribus acquisitis a praesentibus Officiorum apparitoribus, ceteri ex eo numero posthac eligentur ad triennium, eaque nominatio poterit ad ulteriora triennia prorogari, prout ipsi sese integros idoneosque probaverint.

Omnes denique iusiurandum interponent de secreto servando in sui Officii rebus huic nexui subiectis.

Cap. VII.

DE SINGULIS SACRIS CONGREGATIONIBUS

Art. I. - *Congregatio Sancti Officii.*

1°. Huius Congregationis administri maiores, post Cardinalem a secretis, sunt Adsessor et *Commissarius*.

2°. Consilium constabit, ut ante, Consultoribus a Summo

16°. Agli uscieri spetta curare la custodia e la polizia dei locali, portare od impostare lettere e plichi, e compiere quegli altri offici che venissero loro commessi dai Superiori in pro del proprio dicastero.

Salvi, se esistono, i diritti acquisiti dagli attuali, per l'avvenire gli uscieri dei vari dicasteri saranno nominati a triennio, prorogabile ad altri trienni, secondo la loro condotta e capacità.

Tutti poi dovranno prestare il giuramento del segreto per le cose che nel rispettivo dicastero siano soggette a questo vincolo.

Capo VII. — Delle singole sacre congregazioni

Art. I. - *Congregazione del Sant'Offizio.*

1°. Gli Officiali maggiori di questa Congregazione, dopo il Cardinale Segretario, sono l'Assessore ed il Commissario.

2°. La Consulta, come attualmente, è costituita di Consultori da nominarsi dal Santo Padre. Oltre i Consultori continueranno ad esservi alcuni Qualificatori.

Pontifice nominandis. Praeter Consultores, pergent esse nonnulli Censores, vulgo *Qualificatori*.

3°. Minores administri ad cetera quae retinebunt munia adiunctam habebunt indulgentiarum expeditionem.

4°. Unus e substitutis notariis officium sibi assumet imponendae taxationis rescriptis, quibus dispensatio conceditur ab impedimentis *disparitatis cultus* et *mixtae religionis*, aut impertiuntur indulgentiae.

5°. Alterius erit epistolas et rescripta distribuere debitamque pecuniam exigere.

6°. In tractandis negotiis, quae ad catholicam doctrinam moresque pertineant, et in iudicio ferendo de criminibus haeresis aliisve suspicionem haeresis inducentibus, atque in iis omnibus quae ad dispensationes ab impedimentis disparitatis cultus et mixtae religionis referuntur, Congregatio Sancti Officii suo more institutoque procedit, sibique propriam consuetudinem retinet, servatis normis in hac lege constitutis, quantum cum necessaria S. Officii disciplina componi possint.

Congruenter ad haec, dubia quae circa competentiam Sancti Officii in aliqua re oriri possunt, ipsamet haec Con-

---

3°. Gli officiali minori, alle attribuzioni attuali, aggiungono quella della spedizione delle indulgenze.

4°. Uno dei notari sostituti avrà il compito di tassare i rescritti di dispensa dagli impedimenti di disparità di culto e di mista religione, e delle indulgenze.

5°. Un altro avrà cura della distribuzione delle lettere e dei rescritti, e della riscossione delle tasse relative.

6°. Nel trattare gli affari che riguardano il dogma e la morale, e nel giudicare dei delitti di eresia o di altre colpe che inducono sospetto di eresia, e per tutto ciò che risguarda le dispense dagli impedimenti di disparità di culto e di mista religione, il S. Offizio procede secondo la pratica che gli è propria e speciale, ferma però l'osservanza delle norme stabilite in questo regolamento, in quanto non siano incompatibili colla disciplina sostanziale del S. Offizio.

Ed in conformità di ciò, questa Congregazione dirimerà da sè i

gregatio per se dirimet, servatis semper terminis a Constitutione *Sapienti consilio* praefinitis.

7°. Mos procedendi S. Officii, de quo in superiore *num. 6°.* itemque temporalis suae administrationis gerendae ratio, quamprimum erunt scripto redigenda, et postquam a Patribus Cardinalibus revisa fuerint, per Cardinalem á secretis Summo Pontifici erunt subiicienda ut approbentur.

8°. *Circa indulgentias,* in ea parte quae est disciplinae et gratiae, nova Romanae Curiae ordinatione Sancto Officio tributa, haec Congregatio adhaerebit normis ea de re propositis a Clemente IX in Constit. *In ipsis* die VI mensis Iulii a. MDCLXIX, quae lex plene vigebit. Ipsius igitur erit « omnem difficultatem ac dubietatem in indulgentiis emergentem, Romano Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi; ac, si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi; causas vero iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias ty-

---

dubbi che potessero sorgere sulla sua competenza, osservati sempre i limiti stabiliti dalla Costituzione *Sapienti consilio.*

7°. La pratica di procedere del S. Offizio, di cui nel *num. 6°.* precedente, e così il regolamento per la sua amministrazione temporale, dovranno al più presto mettersi in iscritto, e, dopo essere stati riveduti dagli Emi Padri, per mezzo del Cardinale Segretario dovranno essere sottoposti al Sommo Pontefice per l'approvazione.

8°. *Circa le indulgenze,* per la parte disciplinare e di grazia che gli è stata attribuita nel nuovo ordinamento della Curia Romana, il S. Offizio procederà in conformità delle regole in proposito stabilite dalla Cost. *In ipsis* 6 Luglio 1669 di Clemente IX, le quali rimangono in pieno vigore. Sarà quindi suo compito « risolvere ogni difficoltà e dubbio che sorgesse nelle indulgenze, udito però il Romano Pontefice circa le cose più gravi e più difficili; correggere e riformare gli abusi, che in esse s'introducessero, omettendo ogni solennità di giudizio; rimettere ai propri giudici le cause richiedenti la forma giudiziale; vietare la stampa delle indulgenze false, apocrife e non discrete; riconoscere ed esaminare

pis imprimi vetandi; impressas recognoscendi et examinandi, ac, ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi; ac in concedendis indulgentiis moderationem adhibendi ».

Firma pariter manet lata lex per decretum sacrae Congregationis Indulgentiarum ac Reliquiarum a Benedicto XIV approbatum die XXVIII mensis Ianuarii a. MDCCLVI, et a Pio IX confirmatum die XIV Aprilis MDCCCLVI, hoc est: « Impetrantes posthac generales indulgentiarum concessiones teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad Secretariam sacrae Congregationis deferre ».

9°. Rebus huius partis liber protocolli destinabitur ac distinctum tabularium. Erunt etiam et administer maior titulo Substituti, et peculiares Consultores.

10°. Congressus pro his negotiis constabit Cardinali a secretis, Adsessore, Commissario, et Substituto indulgentiarum.

11°. Administri, Consultores, Cardinales, quibus de hisce rebus erit agendum, non obstringentur circa eas speciali

---

le stampate, e rigettarle a nome del Romano Pontefice, dopo averne fatta relazione; e usar moderazione nel concedere le indulgenze ».

Rimane egualmente fermo il disposto del decreto della sacra Congregazione delle Indulgenze e Reliquie, approvato da Benedetto XIV il 28 Gennaio 1756, e riconfermato da Pio IX il 14 Aprile 1856, cioè: « Per l'avvenire gl'impetranti concessioni generali d'indulgenze, sono tenuti, sotto pena di nullità della grazia ottenuta, ad esibire la copia delle stesse concessioni alla Segreteria della sacra Congregazione ».

9°. Per le materie di questa sezione vi sarà un libro di protocollo ed un archivio a parte. Vi sarà anche un Officiale maggiore col titolo di Sostituto ed alcuni Consultori speciali.

10°. Il Congresso per questa speciale materia viene formato dal Cardinale Segretario, dall'Assessore, dal Commissario e dal Sostituto delle indulgenze.

11°. Gli Officiali, i Consultori ed i Cardinali, che si dovranno occupare di queste materie, non saranno relativamente ad esse vincolati dal segreto speciale del S. Offizio, ma solo da quello comune del regolamento generale.

vinculo secreti Sancti Officii, sed communi a praesenti lege praescripto.

12°. Indulgentiarum petitiones, dubia, occurrentes quaestiones, relata prius in librum protocolli, ad Substitutum transmittentur primo eius examini subiicienda.

13°. Si, quemadmodum superius praescriptum est *cap. II. Norm. pecul.*, agatur de gratia, quae secundum vigentem consuetudinem communiter concedi soleat, et si dubiorum et quaestionum solutio obvia et perspicua fiat ex iam probatis receptisque sententiis, res in Congressu diiudicari poterit, ad normam facultatum, quas Pontifex Maximus concedendas censuerit.

Sin aliter, res in plena Congregatione tractabitur cum folio officii per Substitutum redigendo, atque uno aut pluribus Consultorum suffragiis. De soluta vero quaestione relatio erit peragenda Pontifici.

14°. Mittentur per *Breve* indulgentiae perpetuae, itemque ex temporariis illae, quae totam dioecesim, provinciam, regionem, vel universam Ecclesiam complectuntur; tum etiam facultates perpetuae applicandi indulgentias alicui piae supellectili.

12°. Le domande di concessioni di indulgenze, i dubbi, le questioni che venissero proposte, dopo registrate nel libro di protocollo, saranno passate al Sostituto per un primo esame.

13°. Se, in conformità al sopra disposto *cap. II. Norme spec.*, si tratti di grazia che, secondo la prassi vigente, si soglia abitualmente concedere, e se i dubbi e le questioni trovino un'ovvia e chiara soluzione nelle massime già stabilite, la cosa potrà essere risoluta in Congresso, secondo le facoltà che il Sommo Pontefice crederà di concedere.

In caso diverso essa sarà trattata in piena Congregazione, col foglio d'officio da redigersi dal Sostituto, ed uno o più voti dei Consultori. E della risoluzione si dovrà fare relazione al Santo Padre.

14°. Saranno spedite per Breve le indulgenze perpetue, e le temporanee estese a tutta una diocesi, provincia, regione, od a tutta la Chiesa, e le facoltà a vita di applicare le indulgenze a qualche oggetto di devozione.

Substitutus ab indulgentiis cum Cancellario Brevium communicabit de rebus necessariis ad exsecutionem Brevis.

15°. Epistolae ac rescripta de indulgentiis a Congregatione Sancti Officii exarata, subscriptum gerent nomen Cardinalis a secretis, aut alicuius ex Emis Patribus eiusdem sacri Consilii, contra posita subscriptione Adsessoris, eoque impedito, Substituti ab indulgentiis.

Art. II. - *Congregatio Consistorialis.*

1°. Post Cardinalem a secretis, maiores administri sunt Adsessor et Substitutus.

2°. Collegium erit Consultorum iuxta praescriptum Constitutionis *Sapienti consilio.*

3°. Habebitur quoque sufficiens administrorum minorum numerus pro expediendis negotiis huius Congregationis propriis, iuxta statuta in *cap. VI* praecedenti.

4°. Praeter commune iusiurandum, omnes qui aliquo munere in hac sacra Congregatione funguntur, illud etiam da-

---

Il Sostituto delle indulgenze farà le comunicazioni necessarie al Cancelliere dei Brevi per la spedizione del Breve.

15°. Le lettere ed i rescritti relativi alle indulgenze, spediti dal S. Offizio, saranno firmati dal Cardinal Segretario, o da un altro dei Cardinali della stessa sacra Congregazione, colla controfirma dell'Assessore, e questi impedito, del Sostituto delle indulgenze.

Art. II. – *Congregazione Concistoriale.*

1°. Officiali maggiori, dopo il Cardinale Segretario, sono l'Assessore ed il Sostituto.

2°. Vi sarà un Collegio di Consultori secondo il prescritto della Costit. *Sapienti consilio.*

3°. Vi sarà anche un numero sufficiente di officiali minori pel disimpegno degli affari propri di questa Congregazione, in conformità al disposto del *capo VI* precedente.

4°. Oltre il giuramento comune, tutti gli addetti a questa Congre-

bunt, quod Sancti Officii iusiurandum dicitur, his verbis expressum:

« In nomine Domini.

« Ego N. N. sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto et absque alia declaratione incurrendae, a qua, praeterquam in articulo mortis, a nullo nisi a Summo Pontifice, ipso quidem Cardinali Poenitentiario excluso, absolvi possim; et sub aliis poenis etiam gravissimis arbitrio Summi Pontificis mihi in casu transgressionis infligendis, spondeo, voveo ac iuro, inviolabile secretum me servaturum in omnibus et singulis quae ad Episcoporum, Administratorum Apostolicorum aliorumque Ordinariorum electionem, vitam, mores agendique rationem delata sint; itemque in omnibus quae ad dioecesum erectionem seu earumdem unionem spectent, exceptis dumtaxat iis quae in fine et expeditione eorumdem negotiorum legitime publicari contingat: et hoc secretum me servaturum cum omnibus qui eodem iuramenti vinculo constricti non sint, et cum iis etiam qui quamvis hoc secreto teneantur et ad Congregationem Consistorialem pertineant, nihilominus in Urbe habitualiter non commorantur: neque unquam, directe, nutu, verbo, scriptis, aut alio quovis modo et sub quocumque colorato praetextu, etiam maioris boni aut urgentissimae et gravissimae causae, contra hanc secreti fidem quidquam commissurum, nisi peculiaris facultas aut dispensatio expresse mihi a Summo Pontifice tributa fuerit.

« Denique si supplices libellos, commendationes aut litteras de memoratis negotiis a qualibet persona receperim, sacrae Congregationi rem patefaciam.

« Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango. »

---

gazione dovranno prestare il giuramento detto del Sant' Offizio nei termini seguenti.

FORMOLA DEL GIURAMENTO.

(Come sopra).

5°. Invitationes ad sollemnia pro decernendis Sanctorum Caelitum honoribus, ad aliasque sacras celebritates, fient per huius Congregationis epistolas.

6°. Plenae Congregationi ius competit nominandi Episcopos omnes, stabiles Ordinarios dioecesanos, Visitatores Apostolicos dioecesum. Ad eamdem pertinet novas dioeceses constituere, constitutas unire; canonicorum collegia, seu *Capitula,* erigere; Visitatorum atque Ordinariorum de statu suarum dioecesum relationes expendere; dioecesano regimini ac Seminariis universim prospicere; specialiter vero iis omnibus occurrere quae graviora videantur, prout ante praescriptum est; denique in conflictatione iurium dubia solvere circa competentiam omnium Officiorum, excepta Congregatione Sancti Officii, quae ipsa per se de sua competentia iudicabit, iuxta superius dicta.

In Episcopis nominandis, quoties id ei competat, Congregatio Consistorialis inhaerebit normis Constitutionis *Romanis Pontificibus,* diei XVII mensis Decembris MDCCCCIII.

5°. Gli inviti generali dei Vescovi, per le Canonizzazioni e per le altre sacre solennità, saranno fatte con lettere di questa Congregazione.

6°. Sono di competenza della piena Congregazione tutte le nomine dei Vescovi, degli Ordinari diocesani stabili e dei Visitatori Apostolici delle diocesi; l'erezione di nuove diocesi e l'unione delle esistenti, e la fondazione dei Capitoli; l'esame dei rapporti dei Visitatori e delle relazioni degli Ordinari sullo stato delle loro diocesi; ogni provvedimento d'indole generale per il governo diocesano e per i Seminari, e quelli d'indole particolare che presentino una non ordinaria gravità in conformità al disposto superiormente; in fine il giudizio sui dubbi o conflitti di competenza di tutti i dicasteri, eccettuato il Sant'Offizio, il quale della sua competenza giudicherà da per sè, come è disposto nell'articolo precedente.

Per le nomine dei Vescovi, nei casi di sua competenza, la Concistoriale si atterrà alle norme stabilite nella Costituzione *Romanis Pontificibus* del 17 Dicembre 1903.

7°. Ad Congressum pertinet, praeter ea quae communibus huius legis normis sunt constituta, nominare Administratores Apostolicos temporarios dioecesum, ubi necessitas urgeat; acta omnia conficere ad praeparandam positionem super eligendis in Italia Episcopis, et ad reliqua in plena Congregatione discutienda; ea providere quae dioecesum ac Seminariorum ordinarium regimen spectant, qualia sunt dispensationes Episcopis a commorando in sua sede, facultas iisdem protrahendi relationem de statu dioecesis, aliaque huiusmodi, quaecumque denique ad solvendam pro eiusdem Congregationis actis pecuniam referuntur.

8°. Relationes de statu dioecesum, nisi gravior urgeat providendi ratio, ad plenam Congregationem non deferentur seorsim singulae, sed pro variis provinciis regionibusve coniunctae.

Adiutor autem in redigendo summario res adnotabit maioris momenti, sive quae bene sive quae male successerint.

9°. Idem fere servabitur in relationibus Visitatorum Apostolicorum.

7°. Di competenza del Congresso, oltre quanto stabiliscono le norme generali del regolamento, sono le nomine degli Amministratori Apostolici temporanei in caso di urgenza; tutti gli atti necessari per preparare la ponenza per l'elezione dei Vescovi in Italia e per tutto il resto da discutersi in piena Congregazione; i provvedimenti per il governo diocesano e per il regime dei Seminari d'indole ordinaria, come dispensa di residenza per i Vescovi, dilazione per la presentazione della relazione sullo stato della diocesi, ecc.; ed in fine tutto quello che risguarda le tasse per gli atti della stessa Congregazione.

8°. Le relazioni sullo stato delle diocesi, meno il caso di qualche urgente provvedimento, non saranno portate in piena Congregazione isolatamente, ma riunite in gruppi per provincie o regioni.

E l'aiutante nel compilare il foglio riassuntivo dovrà notare le cose più importanti sia in bene sia in male.

9°. Lo stesso si osserverà possibilmente nei rapporti dei Visitatori Apostolici.

10°. Nominationes omnes, quae solent in Consistorio promulgari, non aliter fient, nisi per litteras signo Romani Pontificis impressas, seu per *Bullam*.

Eadem ratione decreta mittentur alicuius novae constituendae dioecesis, aut canonicorum collegii, seu Capituli, aut uniendarum dioecesum.

11°. Administri maiores Congregationis Consistorialis significationes opportunas ad *Bullam* conficiendam maioribus Cancelleriae administris exhibebunt. Eiusmodi significatio in Cancellaria retinebitur, et Bulla, debito sigillo et subscriptione munita secundum proprias Cancellariae Apostolicae normas, quamprimum transmittetur ad Officium a secretis Congregationis Consistorialis.

12°. Quae pro Bullae expeditione imponetur solvenda pecunia, Congregationi Consistoriali tradetur integra.

Ad hunc finem administri maiores aut adiutores Congregationis Consistorialis constituent pretium, quod referetur in librum; et ab administris expeditionum secundum normas communes percipietur.

10°. Tutte le nomine, che si sogliono preconizzare in Concistoro, dovranno spedirsi sempre e solamente per Bolla.

In egual modo saranno spediti i decreti di erezione di nuove diocesi, di fondazioni di Capitoli, e di unione di diocesi esistenti.

11°. Gli Officiali maggiori della Congregazione Concistoriale daranno le opportune partecipazioni agli Officiali maggiori della Cancelleria per la compilazione della Bolla. Tale partecipazione rimarrà nella Cancelleria, e la Bolla, debitamente sigillata e firmata secondo le norme proprie della Cancelleria Apostolica, nel più breve termine possibile verrà rimessa alla Segreteria della Concistoriale.

12°. La tassa, che secondo i casi sarà imposta per la spedizione della Bolla, dovrà versarsi per intero alla Concistoriale.

Ed a tale effetto gli Officiali maggiori o gli aiutanti della Concistoriale fisseranno l'importo dovuto, che sarà quindi registrato e riscosso dagli officiali di spedizione secondo le norme comuni.

ART. III. – *Congregatio de Sacramentis.*

1°. Maiores administri, post Cardinalem Praefectum, erunt Praelatus a secretis et Subsecretarii tres.

2°. Theologi et sacri iuris periti aliquot, a Summo Pontifice delecti, munere Consultorum fungentur.

3°. Aderit quoque congruus administrorum minorum numerus.

4°. Ex tribus Subsecretariis unus, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, in petitiones omnes circa impedimenta matrimonii praecipue incumbet.

5°. Alter Subsecretarius, cum adiutore ac scriptoribus aliquot, ceteras curabit preces ad matrimonia pertinentes, uti sanationes in radice, natalium restitutiones, quaestiones de iustis aut irritis coniugiis vel de dispensatione in matrimonio rato, dubia, et huiusmodi alia.

6°. Tertius Subsecretarius, cum adiutore et aliquot scriptoribus, sacrae Ordinationis aliorumque Sacramentorum rebus, excepto matrimonio, vacabit.

ART. III. – *Congregazione dei Sacramenti.*

1°. Officiali maggiori, dopo il Cardinale Prefetto, sono il Segretario e tre Sottosegretari.

2°. Alcuni teologi e canonisti, nominati dal Sommo Pontefice, presteranno l'opera loro come Consultori.

3°. Vi sarà anche un sufficiente numero di officiali minori.

4°. Un Sottosegretario, con un aiutante ed alcuni scrittori, sarà principalmente destinato a provvedere a tutte le domande di dispensa dagl'impedimenti matrimoniali.

5°. Un altro Sottosegretario, con un aiutante ed alcuni scrittori avrà cura di tutte le altre istanze in materia matrimoniale, come sanazioni in radice, legittimazione della prole, questioni di validità o nullità di matrimonio o di dispensa del matrimonio *rato,* dubbi, ecc.

6°. Il terzo Sottosegretario, con un aiutante e alcuni scrittori, attenderà a quanto risguarda la sacra Ordinazione e gli altri Sacramenti, eccetto il matrimonio.

7°. Protocolli duo libri sunto; alter precum pro dispensationibus ab impedimentis matrimonii; alter postulationum ceterarum, sive quae ad matrimonium sive quae ad reliqua Sacramenta referantur.

Bini administri primo potocolli libro redigendo praecipuam operam dabunt; bini secundo.

8°. Etiam tabularium duplici parte constabit; altera, cui erunt reservatae positiones dispensationum ab impedimentis matrimonii, altera pro ceteris.

9°. Potestas huius Congregationis propria statuta est a Constitutione *Sapienti consilio.*

10°. Peculiariter vero ad eam pertinet has concedere facultates, quae ad omnem tollendam ambiguitatem heic recensentur, hoc est

a) adservandi SSmam Eucharistiam in templis aut in sacellis eo iure carentibus;

b) celebrandi Sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans;

7°. I libri di protocollo saranno due; uno per le istanze di dispensa dagli impedimenti matrimoniali; un secondo per tutte le altre istanze relative sia al matrimonio sia agli altri Sacramenti.

Due officiali attenderanno principalmente alla compilazione del primo registro; due altri a quella del secondo.

8°. Anche l'archivio sarà diviso in due sezioni, una per le posizioni di dispensa dagl'impedimenti matrimoniali, l'altra per le altre.

9°. Le facoltà proprie di questa Congregazione sono definite dalla Cost. *Sapienti consilio.*

10°. Specialmente poi alla medesima è riservato di concedere le seguenti facoltà, che si crede opportuno qui specificare per togliere ogni incertezza, cioè

a) di conservare il SSmo Sacramento nelle chiese o negli oratorii, che non ne hanno il diritto;

b) di celebrare la santa Messa in oratorii privati, di concedere gli altri privilegi che sono in uso per tale materia, e di giudicare della decenza degli oratorii medesimi;

c) erigendi altaris ad litandum sub dio;

d) celebrandi ante auroram et post meridiem;

e) legendi Missam feria V in Coena Domini, itemque tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione SSmae Eucharistiae;

f) utendi pileolo vel capillamento in celebratione Missae aut in deferenda SSma Eucharistia;

g) coeco aut coecutienti ut litare possit cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis:

h) celebrandi Sacrum in navibus;

i) Episcopum consecrandi die alio ab iis qui in Pontificali Romano statuti sunt;

k) sacros Ordines extra tempora conferendi;

l) eximendi fideles, ipsosque Sodales religiosos, quoties opus sit, a lege ieiunii eucharistici.

11°. Plenae Congregationis iudicio reservatur

a) in re ad matrimonium pertinente, examen petitionum dispensationis ab impedimentis difficultatem non communem

---

c) di poter erigere un altare per celebrare la santa Messa all'aperto;

d) di celebrare avanti l'aurora e dopo il mezzodì;

e) di celebrare la Messa letta nel Giovedì santo, e le tre Messe di Natale negli oratorii privati, nella notte, con la distribuzione della Santissima Eucaristia;

f) di far uso dello zucchetto o della parrucca durante la celebrazione della Messa o nel trasporto del SSmo Sacramento;

g) di celebrare e di recitare la Messa votiva di Maria SSma o dei defunti, ad un cieco o quasi cieco;

h) di celebrare la Messa sulle navi;

i) di consacrare un Vescovo in un giorno diverso da quelli stabiliti nel Pontificale Romano;

k) di poter tenere la sacra Ordinazione *extra tempora;*

l) di dispensare i fedeli ed anche i religiosi, quando ne sia il caso, dal digiuno eucaristico.

11°. Al giudizio della piena Congregazione è riservato

a) in materia matrimoniale, l'esame delle domande di dispense da-

exhibentibus, sive ea exsurgat ex natura rei sive ex dubio de legitima dispensandi causa; separatio coniugum non pacifica; sanationes in radice; natalium restitutiones difficilioris negotii; cognitio causarum irriti matrimonii ac dispensationum super matrimonio rato, quae plenae Congregationis iudicium postulent; denique dubia omnia iuris circa disciplinam sacramenti matrimonii, quibus obvia et perspicua solutio nulla inveniatur in causis alias decisis, prout superius dictum est;

b) in ceteris Sacramentis, quaestiones omnes disciplinam spectantes, quarum flagitetur solutio, si haec in sententiis iam probatis et in rebus alias iudicatis nulla habeatur; item petitiones gratiarum ac dispensationum non communium, quae a Congressu disceptatione digna videantur. Quapropter plenae Congregationi competent dispensationes ab irregularitate ad sacram Ordinationem in casibus dubiis vel difficilioribus, aut ubi impetrata gratia in dedecus cessura sit ecclesiastici coetus; supplices libelli circa irritam sacram Ordinationem aut circa eiusdem obligationes, aut ab his exemptionem, ubi

---

gl'impedimenti che presentino straordinarie difficoltà, sia in sè sia per la legittimità delle cause; la separazione dei coniugi non pacifica; le sanazioni in radice; le legittimazioni dei figli che presentino gravi difficoltà; l'esame delle cause di nullità di matrimonio e di dispensa dal matrimonio *rato*, nei casi che esigano il giudizio della piena Congregazione; ed in fine tutti i dubbi giuridici circa la disciplina del sacramento del matrimonio, i quali non trovino una soluzione ovvia e chiara nelle massime stabilite, in conformità al sopra disposto;

b) negli altri Sacramenti, tutte le questioni disciplinari di cui si richiedesse la soluzione, e che non avessero un'ovvia e chiara soluzione nelle massime stabilite e nelle risoluzioni già date; e le domande di grazie e dispense straordinarie, che dal Congresso si giudicassero meritevoli di discussione. Laonde saranno di competenza della piena Congregazione le dispense d'irregolarità per la sacra Ordinazione nei casi dubbi, o difficili, o quando la grazia potesse riuscire indecorosa allo stato ecclesiastico; le istanze di nullità di sacra Ordinazione o degli obblighi

causa solo disciplinae tramite tractanda sit; quaestiones iuris de loco, tempore, conditionibus ad Sacrum faciendum, ad ipsum geminandum, ad recipiendam adservandamque Eucharistiam necessariis; item de loco, tempore, conditionibus ab ecclesiastica disciplina requisitis ad cetera Sacramenta legitime ministranda et recipienda; simulque petitae hac de re dispensationes extraordinariae.

12°. Ad Congressum pertinet iudicium de rebus ad plenam Congregationem deferendis, eorumque omnium instructio quae habendo consilio afferant lucem, sive institutis de facto investigationibus, sive exquisitis unius alteriusve Consultoris, aut etiam omnium, sententiis.

Eidem Congressui iudicare licet, atque etiam concedere, pro facultatibus quas Pontifex Maximus Cardinali Praefecto et Praelato a secretis tribuendas censuerit, dispensationes ab impedimentis matrimonii, ad normas inferius exhibendas.

Pariter ad Congressum pertinet ab aetatis ac tituli defectu dispensationes clero saeculari concedere; ab euchari-

---

della medesima, o di dispensa da questi obblighi, quando la causa si debba trattare in linea solamente disciplinare; le questioni di massima circa il luogo, il tempo e le condizioni necessarie per la celebrazione della santa Messa, per la *binazione,* per la Comunione eucaristica e per la conservazione della SSma Eucaristia; e circa il luogo, il tempo e le condizioni richieste dalla disciplina ecclesiastica per legittimamente amministrare e ricevere gli altri Sacramenti; non che le dispense straordinarie domandate in tale materia.

12°. Al Congresso appartiene giudicare quello che deve essere portato in piena Congregazione, e preparare quanto è necessario per un giusto giudizio in proposito, sia richiedendo informazioni per le cose di fatto, sia domandando i voti di uno o più Consultori, o anche dell'intera Consulta, in merito alla causa.

Gli appartiene inoltre giudicare, ed anche concedere, secondo le facoltà che il Sommo Pontefice crederà attribuire al Cardinale Prefetto ed al Segretario, le dispense dagl'impedimenti matrimoniali, in conformita delle norme che si daranno in seguito.

Egualmente al Congresso appartiene concedere le dispense dal di-

stico ieiunio dispensare; permittere ut Augustum Sacramentum adservetur in ecclesiis et oratoriis quae hoc iure carent, et ut sanctum sacrificium celebretur in privatis sacellis, in iis casibus quibus huiusmodi gratiae impertiri solent, ad vigentis disciplinae normas et secundum communem legem superius memoratam.

13°. Documento formâ Brevis, redacto tamen in huius Congregationis Officio secreto, mittentur dispensationes ab impedimentis matrimonii cuiusvis gradus, modo honestae naturae, si dispensationes ipsae sint maioribus obnoxiae taxationibus.

Ceterae dispensationes documento mittentur formâ rescripti.

14°. Indulta privati sacelli cuiusvis generis, sui, familiae, aliorumve commodi causâ petita, mittentur per Breve in proprio Secretariae Status Officio redigendum.

Ab hac tamen lege eximuntur sacerdotes vel senio vel morbo affecti, qui solvendo pares non sint. Ad hos gratia

---

fetto di età e di titolo per gli ordinandi del clero secolare; le dispense dal digiuno eucaristico; le facoltà di conservare il SSmo Sacramento nelle chiese e negli oratorii che non ne hanno diritto, e di celebrare la santa Messa negli oratorii privati, nei casi in cui queste grazie soglionsi abitualmente concedere, secondo la vigente disciplina ed in conformità della regola generale sopra menzionata.

13°. Saranno spedite con documento in forma di Breve, redatto però nella Segreteria di questa stessa Congregazione, le dispense dagl'impedimenti matrimoniali di qualsiasi grado, purchè di natura onesta, quando siano gravate di tasse maggiori.

Le altre dispense saranno spedite con documento a forma di rescritto.

14°. Gl'indulti di oratorii privati di qualsiasi genere, richiesti per comodità propria, della propria famiglia, o di altri, saranno spediti per Breve, redatto nella rispettiva sezione della Segreteria di Stato.

Si fa solo eccezione per gl' indulti richiesti da sacerdoti vecchi od infermi, i quali non siano in condizione di soddisfare le spese del Breve.

mittetur formâ rescripti et ad normas huius legis *cap. XI. Norm. comm.*

15°. Indulta perpetua SSmae Eucharistiae adservandae in aliquo templo vel sacello, privilegii huius expertibus, pariter per Breve mittenda sunt. Temporaria mittentur per rescriptum, iisdem quae superiore numero normis.

16°. Ubi gratia per Breve mittenda sit, Praelatus a secretis aut Subsecretarius, ad quem negotium pertinet, certiorem de re faciet Cancellarium Brevium cum eoque opportunas normas communicabit. Ille vero, cuius interest, hoc Officium adibit, suum documentum recepturus.

17°. Si Summus Pontifex consuetas Congregationi facultates concedat, circa dispensationes ab impedimentis matrimonii serventur hae leges

a) in impedimentis *minoris gradus,* de quibus inferius *num. 19°.*, ubi nihil obstet quominus dispensatio concedatur, gratiae concessio, loco maiorum Praepositorum, a Subsecretario *dispensationum,* aut ab eius adiutore signatur;

Per questi si spedirà la grazia a modo di rescritto e secondo le regole del *cap. XI. Norme gener.* del regolamento.

15°. Gl'indulti perpetui di conservare il SSmo Sacramento in qualche chiesa od oratorio, che non ne abbiano il diritto, dovranno egualmente spedirsi per Breve. I temporanei si spediranno per rescritto, colle stesse norme date nel numero superiore.

16°. Dovendosi spedire la grazia per Breve, il Segretario od il Sottosegretario, cui la materia spetta, darà la partecipazione e le norme opportune al Cancelliere dei Brevi. E l'interessato dovrà recarsi a quest'Officio per il ritiro del documento che lo riguarda.

17°. Se il Sommo Pontefice concede alla sacra Congregazione le facoltà consuete, per la dispensa dagl' impedimenti matrimoniali si osserveranno le norme seguenti

a) per gl' impedimenti di *grado minore,* di cui sotto al *num. 19°.*, quando non vi sia difficoltà per la concessione della dispensa, la grazia viene segnata per la concessione, in luogo dei Superiori maggiori, dal Sottosegretario *per le dispense,* o dal suo aiutante;

b) in impedimentis *maioris gradus,* de quibus proximo *num. 20°.*, si nil pariter obstet, dispensatio a Cardinali Praefecto conceditur, aut a Praelato a secretis.

18°. In dubiis, Subsecretarius de re conferet cum Praelato a secretis aut cum Cardinali Praefecto; hic ad Congressum plenamve Congregationem referet; ad ultimum, prout res ferat, relatio fiet Summo Pontifici.

19°. Dispensationes *gradus minoris* sunt ab impedimentis

a) consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio, et quarti vel tertii mixti cum secundo;

b) affinitatis in primo gradu, et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat;

c) cognationis spiritualis cuiusvis generis;

d) publicae honestatis, sive per sponsalia sive per matrimonium ratum, super quod iam dispensatum sit, fueritque solutum.

20°. Dispensationes *maioris gradus* concedi solitae, interveniente legitima causa, sunt ab impedimentis

---

b) per gl'impedimenti di *grado maggiore,* di cui al seguente *num. 20°.*, parimenti se non vi sia difficoltà, la dispensa vien concessa dal Cardinale Prefetto o dal Prelato Segretario.

18°. Nei casi dubbi il Sottosegretario si riferirà al Segretario od al Cardinale Prefetto; questi al Congresso od alla piena Congregazione; ed in ultimo, secondo i casi, se ne farà relazione al Santo Padre.

19°. Dispense di *grado minore* sono quelle dagl'impedimenti.

a) di consanguinità e di affinità di terzo e quarto grado in linea collaterale, sia pari sia dispari, cioè di quarto grado misto con il terzo, e di quarto o terzo misto con il secondo;

b) di affinità in primo grado, ed in secondo semplice o misto con il primo, quando questo impedimento provenga da relazione illecita;

c) di cognazione spirituale di qualsiasi specie;

d) di pubblica onestà, sia per sponsali sia per matrimonio *rato* già dispensato e disciolto.

20°. Dispense di *grado maggiore* solite a concedersi, data una giusta causa, sono quelle dagl'impedimenti

a) consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

b) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

c) criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii.

21°. Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis.* Sic vero concessae perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis.

22°. Nisi Cardinalis Praefectus aut Praelatus a secretis ali quam sibi petitionem aut plures reservarint, supplices libelli omnes ad impetrandam dispensationem ab impedimentis, relati prius in tabulas, a protocollo ad Subsecretarium dispensationum eiusque adiutorem transmittentur.

Hi, opere inter sese aequa ratione distributo, quae ad ipsos pertinent, secernent a ceteris. Supplicibus libellis sibi reservatis consulent, signando gratiae concessionem initialibus sui nominis et cognominis literis. Iidem constituent,

---

a) di consanguinità di secondo grado in linea collaterale eguale, e di secondo o terzo grado misto con il primo;

b) di affinità di primo e secondo grado in linea collaterale eguale, e di secondo o terzo grado misto con il primo;

c) di delitto a causa di adulterio con patto di futuro matrimonio.

21°. Le dispense dagl'impedimenti minori saranno tutte concesse *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis.* E largite in tal modo varranno come se fossero concesse *ex motu proprio et ex certa scientia;* e non saranno quindi più impugnabili per vizio di orrezione o surrezione.

22°. Quante volte il Cardinale Prefetto od il Segretario non abbiano riservato a sè qualche istanza o gruppo di istanze, tutte le domande per dispensa dagl'impedimenti, dal Protocollo, dopo la registrazione, passeranno al Sottosegretario *per le dispense* ed al suo aiutante.

Essi, dividendosi equamente il lavoro, scevereranno ciò che è di loro competenza, dal resto. Provvederanno alle domande di loro spettanza, segnando la grazia con le iniziali del loro nome e cognome, e

debeatne dispensatio esse gratuita, an et quanti taxanda. Si vero gratia mittenda sit formâ Brevis, id adnotare ne omittant. Post haec supplices libellos, quibus fuerit provisum, scriptoribus expediendos committent.

De ceteris petitionibus, quamprimum ad Cardinalem referent aut ad Praelatum a secretis, ut opportune ipsi provideant.

23°. Cardinalis et Praelatus a secretis, legitime impediti, possunt negotium Subsecretario committere largiendi dispensationes sibi reservatas, intra limites et cautelas quas duxerint necessarias.

24°. In dispensationibus minoris gradus et in negotiis minoris momenti poterit documento subscribere Subsecretarius ad quem pertinet res, aut, hoc impedito, alteruter e duobus reliquis Subsecretariis, contra posita subscriptione amanuensis qui documentum exaravit tamquam *officialis*.

In maioris gradus dispensationibus et in negotiis maioris momenti documento subscribet Cardinalis Praefectus, aut alius eiusdem Congregationis Cardinalis, contrà posita subscri-

---

stabiliranno se la dispensa debba esser gratuita, o tassata, ed in qual proporzione. Qualora la grazia debba essere spedita per documento in forma di Breve, aggiungeranno anche questa indicazione. Passeranno quindi le istanze provviste agli scrittori.

Per le altre faranno al più presto la relazione al Cardinale od al Segretario per gli opportuni provvedimenti.

23°. In caso di legittimo impedimento, il Cardinale ed il Segretario possono commettere al Sottosegretario di provvedere alle domande delle dispense loro riservate, con quelle restrizioni e cautele che stimeranno necessario stabilire.

24°. Il documento per le dispense di grado minore, i rescritti e le lettere di minore importanza, potranno firmarsi dal Sottosegretario cui la materia spetta, o da uno degli altri due, qualora quegli sia impedito, e controfirmarsi dallo scrittore che ha steso l'atto come *officiale*.

Il documento per le dispense di grado maggiore, i rescritti e le lettere di maggior gravità, saranno firmati dal Cardinale Prefetto o da altro Cardinale della stessa Congregazione, e controfirmati dal Segre-

secretariis, ut in superiore numero.

Art. IV. - *Congregatio Concilii.*

1°. Administri maiores, post Cardinalem Praefectum, sunt Praelatus a secretis et Subsecretarius.

2°. Erit collegium Consultorum a Summo Pontifice renuntiandorum, quorum aliqui probati sint temporalium etiam gerendarum rerum peritia.

3°. Aliquot etiam minores administri erunt, iuxta normas superius datas.

4°. Potestas huius Congregationis propria statuta est in Constitutione *Sapienti consilio*.

Ad omnem tamen tollendam ambiguitatem, quae forte in aliquibus casibus oriri posset, nonnullae heic peculiares singillatim recensentur facultates, quae uni Concilii Congregationi reservantur. Eius itaque dumtaxat erit in posterum concedere

---

tario, e, questi impedito, da uno dei Sottosegretari, come nel numero precedente.

Art. IV. - *Congregazione del Concilio.*

1°. Officiali maggiori, dopo il Cardinale Prefetto, sono il Segretario ed il Sottosegretario.

2°. V'avrà un collegio di Consultori da nominarsi dal Santo Padre, fra i quali alcuni dovranno essere particolarmente competenti per gli affari di ordine amministrativo e temporale.

3°. Vi sarà anche un numero sufficiente di officiali minori, secondo le norme date superiormente.

4°. Le facoltà proprie di questa Congregazione trovansi stabilite nella Costituzione *Sapienti consilio*.

Per togliere però ogni dubbio, che in alcuni casi potrebbe sorgere, si enumerano qui particolarmente talune facoltà, che sono esclusivamente riservate alla Congregazione del Concilio. Ad essa quindi unicamente spetta per l'avvenire di concedere

a) collegiis canonicorum, seu Capitulis, dispensationes ab obligatione celebrandi Missam feriae ac vigiliae; Missae canendae et applicandae conventualis; canendi atque in choro recitandi horas canonicas;

b) tum Capitulis, tum singulis e clero saeculari, anticipationem recitationis officii matutini;

c) Capitulis, anticipationem Vesperarum et Completorii ante meridiem;

d) sacerdotibus e clero saeculari commutationem recitationis officii divini cum aliis precibus;

e) dispensationem a ieiunio praescripto ante consecrationem sacrarum aedium;

f) facultatem in interno templi vel publici sacelli pariete fenestram faciendi exstruendique parvi chori, aut aperiendi ostii, quo privatus aditus patefiat;

g) dispensationem a laurea doctoris sive ex tabulis institutionis sive ex lege praescripta ad beneficium vel officium aliquod assequendum, quorum largitio ad Ordinarium pertineat.

---

a) ai Capitoli la dispensa dall'obbligo della Messa di feria e di vigilia; dal canto ed anche dall'applicazione della conventuale; dal canto ed anche dalla recita in coro delle ore canoniche;

b) l'anticipazione della recita del Mattutino tanto ai Capitoli, quanto ai singoli sacerdoti secolari;

c) l'anticipazione del Vespero e della Compieta nel mattino ai Capitoli;

d) la commutazione della recita dell'officio divino in altre preci ai sacerdoti secolari;

e) la dispensa dal digiuno prescritto avanti la consacrazione delle chiese;

f) la facoltà di poter aprire, nel muro interno d'una chiesa o di un pubblico oratorio, una finestra, un coretto, od una porta privata d'accesso;

g) la dispensa dalla laurea, richiesta dalle tavole di fondazione o da legge per ottenere un qualche beneficio od officio, se la collazione dei medesimi spetti all'Ordinario.

controversiis omnibus circa potiorem dignitatis locum, seu *praecedentiam,* exceptis iis quae Sodales religiosos attinent, (quae controversiae Congregationi religiosorum Sodalium sunt reservatae), iisque pariter demptis quae *Cappellam,* Aulam pontificiam et Patres Cardinales spectant, ad Caeremonialem deferendae.

Item ad eam pertinet videre, administrationis et disciplinae tramite, de servitutibus, quas aedi sacrae se constituisse aliquis iactet, aut quas eidem velit imponere, qualia sunt habitatio in superiori contignatione, murorum impositio, atque horum similia.

6°. Ad plenae Congregationis iudicium pertinent

a) examen dubiorum circa iuris interpretationem in huius Officii rebus, quae dubia nullam facilem solutionem atque perspicuam nanciscantur in constitutis legibus aut in alias decisis; examen petitarum gratiarum, dispensationum, indultorum, quae concedi fere non soleant eo modo, aut ea latitudine; aliaque quemadmodum superius dictum est;

5°. Egualmente spetta alla Congregazione del Concilio l'esame di tutte le controversie di precedenza deferite alla S. Sede, eccetto quelle che riguardano i religiosi, le quali sono riservate alla Congregazione dei Religiosi; e quelle che risguardano la Cappella, la Corte pontificia ed i Cardinali, le quali sono riservate alla Cerimoniale.

Parimenti le appartiene in via amministrativa e disciplinare il giudizio di ogni servitù che si vanti sopra una chiesa o vi si voglia imporre, come abitarvi sopra, addossarvi mura, ecc.

6°. Al giudizio della piena Congregazione è riservato

a) l'esame dei dubbi giuridici nelle materie proprie di questo dicastero, i quali nelle leggi e massime già stabilite non abbiano un'ovvia e chiara soluzione; l'esame delle domande di grazie, dispense ed indulti, che non sogliónsi ordinariamente concedere, o non si sogliono concedere nel modo o nell'estensione richiesta; ed altro, secondo quanto è sopra stabilito;

b) cognitio Conciliorum provincialium. — Qua in re, ad vigentis disciplinae normam, unius Consultoris primum exquiretur sententia; deinde horum Collegii, aut partis eiusdem, non infra numerum Consultorum quinque, per vices eligendorum. Tum vero adiutor regionis, ad quam pertinet provinciale Concilium, acta et suffragia typis imprimenda curabit.

Pariter quidquid maioris ponderis in Episcoporum coetibus contigerit statutumve sit, ad plenam Congregationem referatur.

7°. Congressus autem est, ad normam legis communis, necessaria parare ad negotiorum examen, quae plenae Congregationi sint reservata, ordinarias res expedire, solitas gratias concedere usitatis formis et pro facultatibus a Summo Pontifice acceptis.

8°. In administrandae pecuniae nogotiis, suae ac peculiares erunt servandae normae.

9°. In rebus sanctae Domus Lauretanae, normae pariter serventur superius constitutae.

---

b) la revisione dei Concilii provinciali. — Ed a questo effetto, attenendosi alla disciplina vigente, si richiederà prima il voto di un Consultore, quindi quello del collegio dei Consultori (o di una sezione dello stesso collegio non minore di cinque Consultori da scegliersi per turno); e l'aiutante della regione, cui appartiene il Concilio provinciale, curerà la stampa degli atti e dei voti.

Si riferirà inoltre in piena Congregazione quanto d'importante possa essere avvenuto o siasi stabilito nelle Conferenze Vescovili.

7°. Al Congresso spetta, in conformità della regola generale, preparare quanto è necessario per l'esame degli affari riservati alla piena Congregazione, il disbrigo degli affari ordinari e la concessione delle grazie consuete nei termini d'uso, e secondo le facoltà avute dal Sommo Pontefice.

8°. Per la trattazione degli affari di ordine economico si osserveranno i regolamenti speciali propri della materia.

9°. Per l'esame delle cose riguardanti il Santuario di Loreto, si seguiranno pure le regole sopra stabilite.

1°. Huius Congregationis administri maiores sunt pariter, post Cardinalem Praefectum, Praelatus a secretis et Subsecretarius.

2°. Erit collegium Consultorum a Summo Pontifice eligendorum.

3°. Erunt etiam aliquot officiales minores, quot necessarii sunt iuxta regulas superius datas.

4°. Alterius ex adiutoribus proprium officium esto curare quae ad religiosos Ordines pertinent; alterius quae ad congregationes et omne genus instituta virorum; tertii quae ad congregationes et instituta mulierum.

Pro unoquoque horum munerum sui erunt scriptores distributi.

5°. In decernendo quaenam in plena Congregatione tractanda sint, quaenam maioribus administris aut Congressui reservanda, prae oculis habeantur superius *cap. II.* consti-

---

ART. V. – *Congregazione dei Religiosi.*

1°. Officiali maggiori in questa Congregazione sono parimenti, dopo il Cardinale Prefetto, il Segretario ed il Sottosegretario.

2°. Vi sarà un collegio di Consultori nominati dal Romano Pontefice.

3°. Vi saranno anche gli officiali minori necessari, secondo le norme date superiormente.

4°. Degli aiutanti uno avrà per sua speciale attribuzione le cose spettanti agli Ordini religiosi; l'altro quelle spettanti alle congregazioni ed agli istituti maschili di qualsiasi genere; il terzo quelle spettanti alle congregazioni ed istituti femminili.

Gli scrittori saranno analogamente divisi.

5°. Nello stabilire quali cose siano da trattarsi in piena Congregazione, e quali riservate agli Officiali maggiori ed al Congresso, si avranno avanti gli occhi le norme più sopra date nel *cap. II.* e quelle indicate nelle precedenti Congregazioni.

tutae normae, et quae in memoratis hactenus Congregationibus indicatae sunt.

6°. Decretum quo laudatur probaturque institutum aliquod, et decretum approbationis constitutionum, itemque substantialis mutatio quaevis in iam probatis institutis inducenda, ad plenam Congregationem semper pertinebunt.

ART. VI. – *Congregatio de Propaganda Fide.*

1°. Congregatio haec retinet constitutionem, disciplinam agendique rationem sibi propriam, in iis omnibus quae cum dispositionibus Const. *Sapienti consilio* et praesentis legis componi possunt.

2°. Iuxta vero ea quae pro aliis Congregationibus statuta sunt, in officio a secretis alius administer adiicietur, nempe Subsecretarius.

3°. Indulta, quae hactenus haec sacra Congregatio concedere solebat iis etiam qui suae iurisdictioni non essent obnoxii, in posterum suis subditis tantum tribuet.

4°. Congregatio de Propaganda Fide pro Negotiis ritus orientalis sua munia ex integro servabit. In iis tamen, quae

---

6°. Il decreto di lode e d'approvazione di qualsiasi nuovo istituto, non che di approvazione delle costituzioni, come qualsiasi sostanziale modificazione allo stato d'istituti già approvati, sono sempre di competenza della piena Congregazione.

ART. VI. – *Congregazione di Propaganda Fide.*

1°. Questa Congregazione conserva l'ordinamento, le regole ed il modo di agire che le sono propri, per quanto sieno compossibili con il disposto della Costituzione *Sapienti consilio* e del presente regolamento.

2°. In conformità però di quanto è disposto per le altre Congregazioni, nella Segreteria sarà aggiunto un Sottosegretario.

3°. Gl'indulti, che finora questa S. Congregazione soleva concedere anche ad altri, in avvenire limiterà ai suoi sudditi.

4°. La Congregazione di Propaganda per i Riti orientali conserva tutte le sue attribuzioni. Però per tutto ciò, che riguarda l'interna disci-

internam Officii disciplinam et modum tractandi negotia spectant, huius legis normis sive communibus sive peculiaribus inhaerebit.

5°. Circa huius Congregationis et Camerae Spoliorum administrationem, peculiaris norma quamprimum dabitur, quae, a speciali Cardinalium coetu revisa, per Emum Praefectum Summi Pontificis approbationi subiicietur.

Art. VII. - *Congregatio Indicis.*

1°. In ratione gerendarum rerum et in disciplina ac muniis administrorum haec Congregatio suas retinebit normas, se tamen conformando statutis Const. *Sapienti consilio* et praesentis legis.

2°. Administri, Consultores, Cardinales huius Congregationis iusiurandum dabunt de secreto Sancti Officii servando, ut ipsis cognita sint quae ab eo sacro Consilio de prohibitione librorum agantur, ad normas memoratae Constitutionis.

---

plina del dicastero ed il modo di trattare gli affari, si atterrà alle norme generali e speciali del presente regolamento.

5°. Quanto all'amministrazione dei beni di questa Congregazione e della Camera degli Spogli, sarà dato al più presto un particolare regolamento, che, riveduto da una speciale Commissione Cardinalizia, per mezzo dell' Emo Prefetto sarà sottoposto al Sommo Pontefice per l'approvazione.

Art. VII. - *Congregazione dell'Indice.*

1°. Quanto al metodo proprio di trattare gli affari, e quanto alla disciplina ed agli offici propri degli Officiali, questa Congregazione starà alle sue regole, conformandosi però alle disposizioni della Cost. *Sapienti consilio* e del presente regolamento.

2°. Dovranno gli Officiali, i Consultori ed i Cardinali di questa Congregazione prestare il giuramento del segreto di S. Offizio, onde poter aver comunicazione di quanto, relativamente alla proibizione dei libri, si tratti in quella Congregazione, secondo il prescritto della detta Costituzione.

Art. VIII. – *Congregatio SS. Rituum.*

1°. Suam, quam hactenus, constitutionem retinet atque naturam, salvis praescriptionibus Const. *Sapienti consilio* atque huius legis, in iis quae ad Congregationem hanc referuntur.

2°. Itaque, quum huius proprium et cum aliis non commune sit munus curandi ut, in universa Ecclesia latina, sacri ritus ac caeremoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis; idcirco debet

a) advigilare liturgicis omne genus libris Ecclesiae latinae, eos inspicere, corrigere aut reprobare, salva Sancti Officii competentia in iis quae fidei capita, seu dogmata, respiciunt:

b) excutere atque approbare nova officia divina et calendaria;

c) dubia de ritibus iudicare ac dirimere;

d) quae hac in re necessaria videantur temperamenta, indulta, facultates concedere, veteri retento catalogo, novis ta-

---

Art. VIII. – *Congregazione dei Sacri Riti.*

1°. Essa conserva la sua organizzazione attuale, salve sempre le prescrizioni della Costituzione *Sapienti consilio* e del presente regolamento, in quanto riguardano questa Congregazione.

2°. Laonde, avendo essa per sua propria ed esclusiva attribuzione di curare in tutta la Chiesa latina l'osservanza dei sacri riti e delle sacre cerimonie per quanto risguarda il divin sacrificio, l'amministrazione dei Sacramenti e la recita dei divini uffici; deve

a) vigilare sui libri liturgici di qualsiasi genere della Chiesa latina, rivederli, correggerli o riprovarli, salva la competenza del S. Offizio per ciò che concerne il dogma;

b) esaminare ed approvare i nuovi offici divini ed i calendari;

c) giudicare e dirimere i dubbi che sorgessero in materia di riti;

d) concedere in questa materia quei temperamenti, quegl'indulti e quelle facoltà che fossero necessarie, attenendosi all'antico catalogo, limi-

men disciplinae normis circumscripto, iis praesertim quae superius allata sunt *num. 10°.* de Congregatione Sacramentorum, et *num. 4°.* et *5°.* de Congregatione Concilii.

3°. Negotiis ad plenam Congregationem deferendis aut in Congressu tractandis erunt aptandae regulae haud semel indicatae in superius memoratis Congregationibus, et superiore *cap. II.*

4°. In causis *Beatificationis* et *Canonizationis* standum normis eius rei propriis ac peculiaribus, servatis tamen semper huius legis praescriptionibus ad hoc genus materiae pertinentibus.

5°. Circa sacras Reliquias, Congregatio Rituum inhaerebit praescriptis Const. *In ipsis,* die VI mensis Iulii a. MDCLXIX, superius memoratae sub *art. I.* de Sancto Officio.

ART. IX. – *Congregatio Caeremonialis.*

Congregatio haec, suapte natura, constitutionem suam ac disciplinae rationem stabilem retinet nullique mutationi obnoxiam.

---

tato però dalle nuove norme disciplinari e segnatamente da quanto è sopra stabilito al *num. 10°.* della Congregazione dei Sacramenti, ed ai *num. 4°. e 5°.* della Congregazione del Concilio.

3°. Quanto agli affari da portarsi in piena Congregazione o da trattarsi in Congresso, anche in questo dicastero si dovranno applicare i criteri più volte sopra indicati nelle altre Congregazioni, ed al *cap. II.* precedente.

4°. Circa i processi per le cause di Beatificazione e Canonizzazione, si seguiranno le norme che sono proprie e speciali per questa materia, salva però sempre l'osservaza delle disposizioni di questo regolamento in ciò che possa riguardare questo ramo speciale di affari.

5°. Quanto alle sacre Reliquie, la Congregazione dei Riti si atterrà alle prescrizioni della Cost. *In ipsis* 6 Luglio 1669 mentovata superiormente all'*art. I.* del S. Offizio.

ART. IX. – *Congregazione Cerimoniale.*

Per la sua natura e costituzione, questa Congregazione rimane inalterata nella sua organizzazione e nel suo modo di procedere.

Art. X. – *Congregatio pro Negotiis eccl. extraordinariis.*

Huius pariter Congregationis natura et constitutio, non minus quam ratio disciplinae, immutata manet, salvis praescriptionibus eam spectantibus, in Const. *Sapienti consilio* et in hac adiecta lege comprehensis.

Art. XI. – *Congregatio Studiorum.*

1°. Quaenam sit huius Congregationis auctoritas statuitur in Const. *Sapienti consilio.* In iis vero quae ad internam disciplinam et negotiorum expediendorum rationem pertinent, regulas in hac lege statutas sive communes sive peculiares servabit.

2°. Plenae Congregationi huius Officii competunt condendae novae studiorum Universitates ac Facultates omnes, quibus ius est academicos gradus conferendi; mutationes maioris momenti in iisdem iam institutis; cognitio quaestionum graviorum in ipsis occurrentium de patrimonii administratione, de magistri alicuius decurialis nominatione, de ratione studio-

---

Art. X. – *Congregazione degli Affari eccl. straordinari.*

Anche questa Congregazione rimane inalterata nella sua organizzazione e nel suo modo di procedere, salve le disposizioni che la risguardano, contenute nella Cost. *Sapienti consilio* e nel presente regolamento.

Art. XI. – *Congregazione degli Studi.*

1°. Il potere e le facoltà di questa Congregazione sono determinate dalla Cost. *Sapienti consilio.* Quanto poi al modo di spedire gli affari ed all'interna disciplina, si osserveranno le norme sia generali sia speciali del presente regolamento.

2°. Di competenza della piena Congregazione in questo dicastero sono tutte le istituzioni nuove di Università e di Facoltà che concedono gradi accademici; le modificazioni di grande importanza allo stato delle Università e Facoltà attualmente istituite; l'esame delle controversie più gravi che sorgessero circa l'amministrazione temporale, circa la nomina di qualche professore, circa l'indirizzo scolastico, e simili; le disposizioni che

rum, et de aliis huiusmodi; item quae necessario capienda consilia in commune videantur; postremo iudicium de excellenti aliquo viro academicis gradibus *ad honorem* decorando.

3°. Congressus officium est ad plenam Congregationem deferenda parare; leviores controversias in aliqua studiorum Universitate vel Facultate subortas dirimere, ad normam praescriptorum superius.

4°. Si qua velit in posterum studiorum Universitas aut Facultas nova constitui, opus est id fieri per Breve. Nulla pariter in praesentem Facultatum et Universitatum statum gravior immutatio induci poterit nisi per Breve.

Cap. VIII.

DE SINGULIS TRIBUNALIBUS

Art. I. *Sacra Poenitentiaria.*

1°. Tribunalis huius ambitu ad solum forum internum coarctato, suis muniis addicti manebunt, praeter Cardinalem Poenitentiarium, Régens, Praelati quinque Signaturae, Pro-

---

si reputassero necessarie di prendere, sebbene di non grave entità, quando avessero un carattere generale; ed in fine il giudizio sulla concessione dei gradi *ad honorem* a qualche persona distinta per meriti.

3°. Spetta al Congresso preparare quello che deve essere portato in piena Congregazione, ed il dirimere le controversie di minor importanza che potessero sorgere in qualche Universisà o Facoltà, in conformità del già sopra disposto.

4°. L' erezione delle nuove Facoltà od Università dovrà farsi per Breve. Egualmente per Breve dovranno essere fatte le modificazioni d maggiore importanza allo stato esistente delle dette Facoltà ed Università.

Capo VIII. — Dei singoli tribunali

Art. I. – *Sacra Penitenzieria.*

1°. Ristrette le attribuzioni di questo Tribunale al solo foro interno, per il disimpegno degli affari che gli sono propri, oltre il Cardinale

curator, seu a secretis, Substitutus et aliquot inferiores officiales.

2°. In officii parte quam retinet, hoc sacrum Tribunal se geret ad normas praesertim Const. *In Apostolicae,* editae die XIII mensis Aprilis a. MDCCXLIV a Benedicto XIV, salvis immutationibus legitimo usu posterius inductis, quae erunt scripto redigendae et a Cardinali Poenitentiario subiiciendae approbationi Pontificis; firmisque praescriptis a Const. *Sapienti consilio* et ab hac lege, in omnibus quae hoc sacrum Tribunal spectent.

3°. Iuxta memoratae Constitutionis Benedicti XIV praescripta, *omnia secreto et gratis* in hoc sacro Tribunali expedientur.

ART. II. - *Sacra Romana Rota et Signatura Apostolica.*

1°. Utriusque Tribunalis quae debeat esse procedendi ratio, qui et quales administri, a *Lege propria* potissimum decernitur adiuncta Constitutioni *Sapienti consilio.*

Penitenziere, rimarranno il Reggente, i cinque Prelati della Segnatura, il Segretario, il Sostituto ed alcuni officiali minori.

2°. Nel suo modo di procedere, per la parte che le è rimasta, la Penitenzieria si atterrà alle regole stabilite particolarmente dalla Cost. *In Apostolicae* del 13 Aprile 1744 di Benedetto XIV, salvi quei temperamenti che la prassi legittima susseguente vi ha introdotto, i quali dovranno essere redatti in iscritto e dal Cardinal Penitenziere sottoposti al Pontefice per l'approvazione; e ferme sempre le disposizioni della Costituzione *Sapienti consilio* e del presente regolamento, per tutto ciò che possa riguardare questo sacro Tribunale.

3°. In conformità del prescritto della detta Costituzione Benedettina, in questo sacro Tribunale si dovrà spedire tutto gratuitamente e sotto segreto.

ART. II. - *Sacra Romana Rota e Segnatura Apostolica.*

1°. Il modo di procedere ed il personale che costituisce questi due Tribunali viene principalmente stabilito nella *Legge propria* aggiunta alla Cost. *Sapienti consilio.*

2°. Nihilominus in his etiam Officiis servanda sunt praesentis Ordinationis praescripta in iis omnibus, quae ad expedienda negotia, ad iusiurandum, ad administrorum munia horumque similia referuntur, quantum scilicet huius Ordinationis normae cum *Lege propria* consentiant.

Cap. IX.

DE SINGULIS OFFICIIS

Art. I. - *Cancellaria Apostolica.*

Purpuratorum Patrum coetus, constans Cardinalibus tribus, Cancellario, Datario et a secretis Consistorialis, reformandas quamprimum curabit formulas *Bullarum collationis* beneficiorum, sive consistorialium, sive aliorum; itemque *Bullarum* constitutionis dioecesum, Capitulorum; denique Regularum, quas *Cancellariae* vocant.

Art. II. - *Dataria Apostolica.*

1°. Ob inductam a Const. *Sapienti consilio* novam ordinationem Datariae Apostolicae hoc relinquitur munus, quod in

---

2°. Debbono però anche in questi dicasteri osservarsi le disposizioni del regolamento presente, per tutto ciò che riguarda la spedizione degli affari, il giuramento, il compito degli officiali, ecc., in quanto le norme quivi stabilite siano compossibili con la *Legge propria*.

Capo IX. — Dei singoli Offici

Art. I. - *Cancelleria Apostolica.*

Una Commissione, costituita dal Cardinale Cancelliere, dal Cardinale Datario, e dal Cardinale Segretario della Concistoriale, curerà che al più presto possibile siano riformati i formulari delle Bolle di collazione dei benefici sia concistoriali sia non concistoriali, e quelli delle Bolle di erezione delle diocesi e dei Capitoli, nonchè il tenore delle Regole di Cancelleria.

Art. II. - *Dataria Apostolica.*

1°. Pel nuovo ordinamento apportato dalla Cost. *Sapienti consilio*, il compito della Dataria Apostolica rimane circoscritto alla collazione

beneficiorum non consistorialium collatione versatur. Atque in hoc etiam Officio sunt retinendae normae huius legis in iis quae ipsum attingant.

2°. In collatione beneficiorum ea ratio servabitur, quam praesens lex et vigens usus praestituunt, cauto tamen ut hic cum novis praescriptionibus memoratae Constitutionis cohaereat, donec, reformatis Cancellariae Regulis, aliter provideatur.

3°. Bullae collationis prima praescriptio *(minuta)* fieri debebit ab uno adiutore, et loco erit veteris, uti vocant, *supplicationis*; eaque in actis servabitur ad cautionem et recognitionem, si qua forte inciderit impugnatio.

Nihil immutatur in invecto usu providendi nonnunquam beneficiis per decretum *simplicis signaturae,* hoc est nullis Bullis expeditis.

4°. Subscribetur Bullis a Cardinali Datario, eoque impedito, a Cardinali a publicis negotiis seu *a secretis Status,* contra posita subscriptione illius officialis, qui primus ordine temporis post Datarium sit, et in Officio adsit.

---

dei benefici non concistoriali. E saranno osservate, anche in questo dicastero, le norme del presente regolamento, per quanto esse lo riguardano.

2°. Quanto al modo di procedere per la collazione dei benefici, si osserverà il regolamento e la prassi oggi vigente, ponendola però in armonia con le nuove disposizioni date dalla detta Costituzione, fino a che per la riforma delle Regole di Cancelleria non siasi provveduto diversamente.

3°. La minuta della Bolla di collazione dovrà farsi da un aiutante, e terrà luogo dell'antica così detta *supplica,* da conservarsi in atti per garanzia e controllo in caso di contestazioni.

Nulla si muta quanto all'uso introdotto di provvedere talora i benefici per decreto di *semplice segnatura,* cioè senza spedizione di Bolle.

4°. Le Bolle saranno firmate dal Cardinale Datario, e, questi impedito, dal Cardinale Segretario di Stato, e controfirmate dal primo degli officiali dopo il Cardinale Datario, che si trovi presente in officio.

5°. Curabit praeterea Dataria ut imponantur et exigantur pensiones et onera beneficiis Urbis adnexa, ad arcam pensionum, quam vocant, pertinentia. Quare officialis distributor exiget solvendam ab iis pecuniam, qui oneribus aut pensionibus graventur; ac deinde ius habentibus ad pensiones aliave emolumenta debitis modis satisfaciet.

Trimestri quoque spatio Cardinalis Datarius, aut eius vice alius, arcae statum explorabit, supputatisque rationibus, suae auctoritatis testimonium adscribet.

Art. III. – *Camera Apostolica, Secretaria Status, Secretariae Brevium ad Principes et Epistolarum latinarum.*

1°. Haec Officia receptum huc usque suis muniis fungendi morem ut ante retinebunt, salvis praescriptionibus Const. *Sapienti consilio* et huius Ordinationis, in iis omnibus quae eadem attingant.

2°. Peculiaris coetus trium Cardinalium, quos inter Cardinalis *a secretis Status*, Brevium Apostolicorum formas instaurandas curabit, quae ab ea *Secretariae Status* parte mitti solent, cui est Apostolicorum Brevium cura commissa.

5°. La Dataria curerà inoltre l'imposizione e la riscossione delle pensioni ed oneri sui benefici di Roma, spettanti alla così detta *Cassa-pensioni*. Il distributore esigerà i pagamenti da coloro che sono gravati di oneri o pensioni; e soddisferà quindi nei debiti modi gli aventi diritto a pensioni o ad altri assegni.

Ogni trimestre il Cardinale Datario, o chi per lui, esaminerà lo stato di amministrazione e di cassa, e apporrà il *visto* ai conti.

Art. III. – *Camera Apostolica, Segreteria di Stato, Segreteria dei Brevi ai Principi e delle Lettere latine.*

1°. Per questi Offici rimane inalterato il modo di procedere, salvo a conformarsi alle prescrizioni della Costit. *Sapienti consilio* ed alle norme di questo regolamento per tutto ciò che possa riguardare questi dicasteri.

2°. Una Commissione speciale, composta dal Cardinale Segretario di Stato e di due altri Cardinali curerà al più presto l'emendazione dei formulari dei Brevi Apostolici, da spedirsi dalla sezione rispettiva della Segreteria di Stato.

APPENDIX

INSTITUTIO CIRCA MODUM IN TABULAS REFERENDI ET SCRIPTA EXPEDIENDI

1°. In omni Officio liber erit annui protocolli, in quod, ordine temporis, preces et expostulationes referentur singulae, quae per annum exhibeantur.

Haec in album adscriptio, post numerum ordinis, indicabit 1°. dioecesim, ad quam preces aut expostulationes pertinent; 2°. petentem aut expostulantem; 3°. cur, aut contra quem expostulatio fiat; 4°. exhibitionis diem; 5°. procuratorem, seu agentem, si fuerit interpositus. Subinde vacuum chartae relinquetur spatium, in quo notetur, qui fuerit negotii processus, hoc est, scriptumne sit ad Ordinarium, impetratane gratia, an transmissa, negata, dilata, et ita porro.

Numerus protocolli debet in supplicem libellum referri, scriptum ad modum fractae partis, cuius *numerator* exprimat ipsius numerum protocolli; *denominator* vero annum, elisis litteris. Ita si negotium, pertinens ad annum MDCCCCVIII,

---

APPENDICE

ISTRUZIONE SUL MODO DI REGISTRAZIONE E SPEDIZIONE

1°. In ogni dicastero vi sarà un libro di protocollo per ciascun anno, dove con ordine progressivo saranno registrate tutte le istanze e ricorsi, che di mano in mano vengano presentati.

Questa registrazione, dopo il numero d'ordine, indicherà 1°. la diocesi, a cui l'istanza od il ricorso appartiene; 2°. il petente o ricorrente; 3°. per qual motivo o contro chi si ricorre; 4°. la data di presentazione; 5°. l'agente, se vi sia. Vi sarà poi uno spazio libero per indicare il movimento dell'affare, cioè se siasi scritto all'Ordinario, se fatta la grazia, se spedita, se negata, se differita, ecc.

Il numero del protocollo si dovrà riportare sull'istanza segnandolo a modo di frazione, il cui *numeratore* esprima la cifra d'ordine del libro del protocollo, il *denominatore* l'anno sincopato; cosicchè p. es. un affare che nell'anno 1908 avesse nel libro di protocollo il num. 500,

in protocolli libro numerum ferat 500, inscribendum positioni erit fracta sic parte: $\frac{500}{08}$ Tergo praeterea supplicis libelli apponentur adnotationes earum fere similes, quae in libro protocolli, hoc est, nomina dioecesis, recurrentis, ac cetera.

2°. Habebitur etiam protocolli index, hoc est annua parva rubrica, in quam negotia ordine dioecesum digesta referantur, indicto, post nomen dioecesis, nomine postulantis cum numero protocolli, quo facilius investigationes in positionibus institui possint.

3°. Numerus protocolli, semel positioni adsignatus, manet, etsi negotium ultra annum trahatur. Quod si, aut instaurata post aliquot annos quaestione, aut alia quavis de causa contingat, ut alius ei sufficiatur numerus, huius mentio fiet in priore numero, tam in libro protocolli quam in parva rubrica.

4°. Relatis in protocollum chartis resumptisque, si quae sint, prioribus, positiones ad maiores administros aut adiutores transmittendae sunt, eorum cognitioni subiiciendae et ad rem, secundum suas cuiusque Officii normas, ad exitum deducendam.

---

dovrebbe sulla ponenza segnarsi con la frazione $\frac{500}{08}$. Inoltre sul dorso dell'istanza si scriveranno la diocesi, il nome del ricorrente, e le altre annotazioni fatte nel protocollo.

2°. Vi sarà inoltre un indice del protocollo cioè una rubricella annua, dove si richiamino gli affari per ordine alfabetico di diocesi, indicando, dopo il nome della diocesi, il nome del ricorrente col numero di protocollo, onde facilitare le ricerche delle ponenze.

3°. Il numero di protocollo assegnato da principio ad una ponenza rimane, sebbene l'affare si protragga oltre l'anno. Che se, o per la ripresa della vertenza dopo parecchi anni, o per qualsiasi altro motivo, avvenga che si dia alla medesima un altro numero, se ne farà il richiamo presso il vecchio numero tanto nel libro di protocollo quanto nella rubricella.

4°. Protocollate le carte, e fatte le riassunzioni dei precedenti, se vi sono, le ponenze devono trasmettersi agli Officiali maggiori, od agli aiutanti, per lo studio e il disbrigo secondo le norme di ciascun dicastero.

5°. Re deliberata et provisa, positiones deferendae sunt *a*) ad scriptores, quoties eadem de re aut epistola conficienda sit, aut aliquis vocandus, aut exarandum rescriptum; *b*) ad distributorem, si positio Consultori vel alio viro studii causâ committenda sit; *c*) ad protocollum, si aut iussum fuerit resumi priores, aut si coeptum consilium peculiarem exsecutionem non postulet, quemadmodum si rescriptum sit: *ad acta, reponatur, lectum,* aut horum aliquid simile.

6°. Nisi quid aliter in suis cuiusque Officii normis praescriptum sit, aut nisi Moderatores opportunum duxerint alia ratione consulere, communiter ad eum qui prior est inter addictos protocollo, haec munium partitio spectabit. Ipsius igitur erit suas cuique scriptori positiones adsignare, prout singulis competunt sive ratione territorii, sive materiae. Idem in protocolli libro rescripta, de quibus *litt. b* et *c num. 5°.* superioris, notabit. Priora vero illa, de quibus *litt. a,* in album referet absoluto negotio.

7°. Scriptores, expleto suo munere, positiones cum adiectis rescriptis ad ratiocinatorem transmittent.

5°. Preso un provvedimento, esse si devono trasmettere *a*) agli scrittori se siavi da fare una lettera, o chiamare alcuno, o stendere un rescritto; *b*) al distributore, se la ponenza sia da mandare ad un Consultore o ad altra persona per lo studio; *c*) al protocollo, se siasi ordinata una riassunzione di precedenti, oppure se il provvedimento non richieda speciale esecuzione, come per es. se siasi rescritto: *ad acta, reponatur, lectum,* o simile.

6°. Se nelle regole speciali di un dicastero non siavi altra disposizione, ed i Superiori non stimino opportuno un provvedimento diverso, normalmente il protocollista anziano avrà cura di questa ripartizione di affari. Distribuerà agli scrittori le ponenze secondo le competenze proprie di ciascuno, o territoriali, o di materia. Prenderà nota nel libro di protocollo dei rescritti *lett. b* e *c* del *num. 5°.* precedente. Quanto ai primi *(lett. a)* deve riservarsi a farne la registrazione dopo eseguito l'atto.

7°. Gli scrittori, soddisfatto il loro compito, passeranno le ponenze coi relativi rescritti al computista.

Hic acta tradet ad subsignandum. Actorum vero fasciculos, seu *positiones,* apud se retinebit, ut in suo administrationis folio et deinde super rescriptis, cum subsignata redierint, taxationes adnotet, si quae sint adiectae. Deinde positiones ad protocollum remittet, cum sigla ex convento constituta ad significandum omnia esse confecta; litteras vero et rescripta distributori tradet.

8°. Protocollo addictus rem in librum referet et positiones in suo quamque loco reponet. Distributor autem acta secundum proprias leges distribuenda curabit.

9°. Si non subscripta redierint acta, vel si cum aliqua animadversione coniuncta, administri, pro variis casibus, Praepositorum sese mandatis conformabunt.

10°. Memoratae normae sunt omnibus retinendae diligenter, nisi quid in iis quae sequuntur peculiaribus legibus exceptum sit pro aliquo Officio.

Quae superioribus capitibus continentur, SSmi D. N. Pii PP. X iussu accedunt Constitutioni Sapienti consilio *editae*

Questi invierà gli atti alla firma. Terrà poi le ponenze presso di sè, onde notare nel suo foglio mensile di amministrazione, e quindi sui rescritti che ritornano firmati, le tasse cui fossero soggetti. Quindi restituirà le posizioni al protocollo con una sigla per indicare che tutto è compito, e consegnerà le lettere ed i rescritti al distributore.

8°. Il protocollista da parte sua registrerà la risoluzione nel libro di protocollo, e metterà al posto le ponenze. Ed il distributore curerà la distribuzione degli atti secondo le sue regole.

9°. Che se gli atti tornino non firmati, o con qualche speciale osservazione, gli officiali si regoleranno secondo i casi in conformità delle istruzioni dei Superiori.

10°. Le regole sopra menzionate devonsi osservare con esattezza da tutti, salvo se nei regolamenti speciali non siasi fatta eccezione per qualche dicastero.

Le disposizioni contenute nei capi precedenti per ordine di Sua Santità Pio PP. X accedono alla Costituzione Sapienti consilio *del 29*

die XXIX *mensis Iunii a.* MDCCCCVIII *et Ordinationi communi tunc temporis vulgatae. Eâdem proinde vi pollent, anteriores abrogant contrarias leges, et servari ab omnibus integre debent, quavis alia ordinatione, usu, privilegio contrariis non obstantibus.*

Datum Romae, die XXIX *mensis Septembris an.* MDCCCCVIII.

De speciali mandato SSmi D. N. Pii Papae X.

R. Card. MERRY DEL VAL

Giugno 1908, ed al regolamento generale allora pubblicato. Hanno quindi, con l'una e con l'altro, egual valore, derogano alle leggi contrarie anteriori, e debbono da tutti essere pienamente osservate, non ostante qualsiasi disposizione, uso o privilegio contrari.

Dato in Roma, il 29 Settembre 1908.

Per mandato speciale di Sua Santità Pio Papa X.

R. Card. MERRY DEL VAL



ACTA ROMANI PONTIFICIS

EPISTOLA

Qua Pius PP. X gratulatur de felici exitu conventus Eucharistici in Anglia habiti.

VENERABILI FRATRI
FRANCISCO ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSIUM
WESTMONASTERIUM

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Solatium Nos, illudque tam grande quam fuerat ante expetitum, ex habito istic conventu Eucharistico cepimus, quem non Anglis modo, sed universo pene adspectanti orbi extitisse pietatis vestrae tum testem tum laudem accepimus. Allata enim publice nuncia gratiusque multo et luculentius Venerabilis Fratris Nostri Vincentii S. R. E. Cardinalis Vannutelli, Legati Nostri, enarratio sic descriptum exhibuere congressionis exitum ut sive celebri illustrium virorum frequentia, sive profunda disceptandi decernendique gravitate, sive praebitis fidei cultusque Eucharistiae testimoniis, sive denique comitantium splendore caeremoniarum, debeat is coetus, uti Anglis aetate et ordine prior, ita Ecclesiae universae amplitudine princeps existimari. Congressum cessisse tam prospere, a Deo primum repetendum. At non opera Nobis praetereunda illa est quam ipse, Venerabilis Frater, sollerter, prudenter studioseque contulisti, hoc demum digno recreatus praemio, catholicos vidisse tuos nobilitate fidei mirabiles. Eum vero commemorare insimul placet, cuius, quemadmodum ab omni catholicae Angliae gloria non seiunctum est nomen, ita huic adiunctum conventui manet: Ducem, id est, de Norfolk, qui coetu apparando et perficiendo atque etiam excipiendis honestissime primoribus laudem promeruit. — Utique singulorum heic afferre velimus nomina, quum ex ordine nobilium, tum e civibus ceteris, qui variis

modis celebrando prospere congressui adiumentum praestitere, delatisque liberaliter hospitiis, Angliam monstrarunt peregrinis splendide urbanam. Id vero quoniam expleri per Nos nequeat, tibi libenter demandamus ut gratias iis laudesque nomine Nostro persolvas. — Ad haec, iucundi beneque affecti animi Nostri testimonium iis etiam e saeculari regularique clero dare par est, qui diligentiam studiumque congressionis bono impenderunt, optime propterea de religione, de Nobis, de Eucharistico cultu promeriti. — Omnes denique filios ex Anglia Nostros cum amore et grati animi sensu complectimur, eos publice dilaudantes quod, professione fidei, exemplo ceteris existant. Deum postremo vehementer adprecati ut Eucharistici conventus fructus uberes reddat velitque pro utilitate patriae perennes, auspicem caelestium gratiarum Nostraeque dilectionis pignus Apostolicam benedictionem tibi, Duci de Norfolk, cunctisque Regni catholicis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae die XV Octobris MCMVIII, Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PP. X

EX SECRETARIA BREVIUM

Breve beatificationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel, institutricis Sororum scholarum christianarum a Misericordia.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christiani nominis dum nullo quidem tempore acerrimi desunt insectatores, qui ad catholicam fidem radicitus ex orbe divellendam, eius institutionem a scholis seiungere conentur, misericors Deus Sanctos suos identidem excitavit,

qui pueris excolendis pro viribus addicti, initium sapientiae timorem esse Domini perspicue demonstrarent. Quod cum multifariam, tum praesertim in Galliis evenit. Nam ibi, quum saeculo duodevicesimo nonnulli prodiissent, qui se philosophos iactantes, omnigenas doctrinas in ipsum doctrinae fontem ac principium obiicerent, complures, Deo favente, item orti sunt qui divina scientia pariter ac non fucato hominum amore praestantes, luculenter ostenderent, in religione simul cum veritate salutem contineri. Hos inter sane comperimus inclaruisse Venerabilem Dei Servam Mariam Magdalenam Postel, illius instituti conditricem, cuius religiosae sorores, quae Scholarum christianarum a Misericordia dicuntur, tum erga infirmos, tum potissimum erga puellas instituendas priora in Galliis beneficia novis ubique cumularunt. Nata est haec Venerabilis Dei serva Barflorei Galliarum oppido 4 Kal. Dec. anno salutis 1756 a Ioanne Postel et Theresia Levallois, piis honestisque parentibus. Cum vero ipso in ortu eius vita periclitaretur, statim sacro baptismate abluta, eodem exinde die Iulia Francisca Catharina rite est in templo vocata. Adhuc puerula summo in Deum amore conspiciebatur, et cum sacras aedes adiret, ibique effunderet preces, tam singularem modestiam praeseferebat, ut quasi angelus in divina abreptus videretur. Pueriles nugas ac solatia abhorrens, praeterquam quod arulis tantum instruendis exornandisque oblectabatur, de divinis etiam rebus aequales alloqui, et eos catechesim, quam diligenter memoriae complecteretur, docere potius habebat. Neque ei minor inerat erga pauperes benignitas, nam suos usque calceolos ipsis donavit, nudibus pedibus domum rediens, humilis semper et humanitate plena, ut omnes eam parvam sanctam esse censerent, et hoc nomine praedicarent. Peculiaris Iuliae consuetudo fuit, magna laetitia efferri ac gestire, cum horrida aliqua cooriretur tempestas, quae crebris fulguribus magnoque tonitruum fragore vel impavidos homines

terreret; et aliquando de causa tam inusitati moris interrogata, gaudere se, respondit, quod procellae tempore Deus non offenderetur, quin immo prae metu homines admissorum poeniteret, seque nunquam in posterum lapsuros promitterent. Peccatum quantum Iulia horruerit, patuit in singulari militum certamine, eius ante oculos indicto; nam pugnantium advoluta genibus et ostenso Crucifixo, tam enixe eos a sanguine dehortata est, ut ii, stupentibus omnibus, odium amore commutarent. Huc accedit, quod etsi e pueris nondum excesserit, victu et cultu tam aspero utebatur, ut eius conscientiae rector opportunum duxerit ipsam moderari. Praeterea cum matrem Sancta de altari libantem subinde sequeretur, tanto studio flagrabat se caelesti convivio recreandi, ut vix novem annos nata, quamvis per aetatem non liceret, tamen ad S. Synaxim admittenda fuerit, quam ex eo faustissimo nullo unquam vitae die celebrare praetermisit. Sub idem tempus se totam Deo pro hominum salute voto obstrinxit, ex quo tam laeti uberesque fructus usque adhuc percipiuntur. Virginibus deinde ex Ordine S. Benedicti Valloniis excolenda tradita, ibi pariter tantam redoluit sanctimoniam, quippe quae ceteris omnibus praeclarisque virtutibus rigidam regularum coniungeret observantiam, ut « filia boni Dei » una voce appellaretur. Sexennio autem elapso, tum divinae providentiae consilio tum parentum desiderio domum rediit, ibique in paternis aedibus scholam aperuit puellis instituendis. Mirari hic licet, quanta cura et sapientia Venerabilis Dei famula hoc obierit munus, in quo eius religio et caritas, dulci morum suavitate cumulatae, mirifice fulserunt. Puellis enim vel inopia vel orbitate laborantibus imprimis exceptis, eas non modo studiorum primordiis, sed mulieribus quoque operis erudiebat, atque ita ad rem familiarem administrandam comparabat, ut hae matresfamilias in exemplum evaderent. Ex eius ore verba vitae exibant, quae cum audirent alumnae, magistram, ut ipsas ad alloquendas

diem produceret, ingenue hortabantur. Merito igitur Iulia Postel S. Ioanni Baptistae de la Salle aequata fuit, cuius frugiferum pro pueris institutum suo pro puellabus opere complevit. His laboribus adde ieiunia fere nunquam polluta, somnos super nudis assibus constanter captos, eosque saepenumero propter preces abruptos, innocens et fragile corpus ferreis aciebus excruciatum, et haec omnia tanta animi demissione coniuncta, ut communis ferret opinio, christianae perfectionis apicem Iuliam attigisse. Sed Venerabilis Dei Servae fortitudo magis magisque in Gallica humanarum divinarumque rerum eversione eluxit, cum sacerdotes ad iusiurandum adigerentur. Qui enim illud reiecerint, hos extorres et in excidium quaesitos Iulia magno cum capitis discrimine abscondit ac tuetur: domi suae, facta potestate, sacram suppellectilem abdit, et Sacramentum Augustum, novo perfusa gaudio, adservat; catechesim praeterea omnes docet: pueros mystici epuli expertes ad hoc ineundum comparat; virili denique pectore laborat, ut morituri sacrae Eucharistiae viatico muniantur. Ab ea cerneres Dominicum Corpus, ante quod orando noctes ageret, industria cum generositate iniuriis prohiberi, eamque immortaliter laetari, quod simili Deiparae fortuna, sibi Iesum in ulnis gestare contigisset. Quocirca optimo iure Virgo-sacerdos appellata est, nam usque eo dum religionis cultus per scelus vexatus et praepeditus fuit, ad sacrum fidei ignem custodiendum assidue advigilavit. Ubi vero fere decennio post teterrima ea conquievit tempestas, Iulia ob sacerdotum penuriam Evangelii praeconis munus suscepit, et qua erat sacrae doctrinae peritia, atque incenso salutis animarum studio, debiles excitando fortesque firmando, novam admirationem sui omnibus iniecit. Cui, quum se humillima Dei Serva subducere vellet, mestis civibus consalutatis, ex natali oppido Caesaroburgum venit. Praetereundum non est, quamdam puellam, primum se in mortis lectulo Sacro convivio reficientem, Iuliae ante hunc

discessum praecipuos vitae eventus vaticinatam esse, quos, cum in eius mente constanter insedissent, plene vidit posthac comprobari. Cum igitur Caesaroburgi ad SS. Trinitatis se caelesti pabulo recreaturam contulisset, Aloisio Cabart, sacerdoti virtutibus insigni, consilium instituendae Societatis patefecit, quae iuventutem pietatis laborisque imbueret amore, atque egenos et miseros iuvaret. Et interrogata quibusnam subsidiis se id assecuturam speraret, « manuum opere » divino quodam afflatu concitata respondit. Constantiensis inde Episcopi freta suffragio, anno 1807, die Mariae nascenti sacro, simul cum tribus sociis vota nuncupavit, nomenque sibi Mariae Magdalenae imposuit. Quo quidem sanctae illius mulieris, quae multum dilexit, nomine, non modo suum in Christum amorem significare voluit, sed quamvis innocens esset, culpas expiandi desiderium. Ita haec Dei Serva sinapis sevit granum, quod licet sexcentis oppressum adversis, tandem in arborem succrevit, et suos ramos longe lateque diffudit. Incredibile est enim dictu, quot quantisque angustiis pauperes hae filiae Misericordiae suam inierint provinciam. Pane unico cibo vesci, aqua tantum sitim explere, super stramento paullisper obdormire, ac reliquam noctem in labore pervigilare, eaque tamen omnia placide ferre, id unice spectantes, quod animas Deo lucrarentur. In quibus omnibus Maria Magdalena sororibus exemplo praecessit, et per finitima oppida peregre cum eis proficisci coacta, neque in stabulis, neque in casis commorari recusavit, gaudio nimirum exultans, quod ita Infantem Iesum sibi liceret imitari. Constantis animi mulier quinque sororum ex undecim morte a proposito non deterretur; piis ipsis viris, qui huiuscemodi Sodalitatem, quasi divino favore destitutam, solvendam censerent, non consentit; se suaque omnia arbitrio Dei permittit, et Crucem arctius complexa, potiores sibi poenas ab Eo continenter implorat. Suum enim fuit institutum: hominibus quam maxime in Christo prodesse, seque eos omni studio celare. Ex quo

factum est, ut si alicubi Venerabilis Mater scholas iam ductas invenisset, statim a quavis contentione vehementer abhorrens, puellas orbas erudire ac populum ad christianae vitae decus adhortari satis haberet. Sanctae igitur feminae, quae tantum Deo confideret, seque tam submisse gereret, exspectatum solatium deesse non poterat. Loci revera, qui vulgo « Tamerville » audit, optimates, eximiis Mariae Magdalenae dotibus permoti, eam ad scholas habendas arcessunt, eique vetus monasterium incolendum tradunt. Tunc semper magis effulsit Venerabilis Dei Servae animi demissio, nam licet duos et sexaginta annos nata, tamen in legis obsequium periculum facere non refugit, ut ad docendum idonea iudicaretur. In hoc oppido diu commorata, praeclarissima pietatis ac sollertiae praebuit exempla, utpote quae catecheseos dissertationibus institutis, ac pia Mariani mensis exercitatione inducta, frequentes ad populum sacras habuerit conciones. Sed latior ei patuit laborum campus; anno enim 1832, die festo S. Theresiae, quacum pientissimae Matris vita ac sanctimonia iure conferri potest, principe Sodalitatis domo in vetusto Benedictinorum coenobio oppidi S. Salvatoris « Le-Vicomte » constituta, ibique orphanis exceptis, publicas aperuit scholas in exemplum habitas ac reipublicae rectorum laudibus honestatas. Sacra tunc auctoritate eaedem leges eius familiae regendae latae sunt, quae Ioannis Baptistae la Salle institutum moderabantur, iisque Venerabilis Mater ea obedientia, quam in deliciis habuit, acceptis, sibi uni impetravit, ut asperiore qua antea vita uteretur, ac sibi pariter fas esset, prope tabernaculum Sacramentum augustum adorare. Postea anno tirocinii expleto ac sub pietatis magistro religioni opera data, sorores Scholarum christianarum a Misericordia, die S. Matthaeo Apostolo sacro, anno 1838 propositas regulas acceperunt, ac sibi veste ex praescripto induta, vota perpetua solemniter renovarunt. De exantlatis a Venerabili Matre laboribus illustris coenobii veteres aedes instauratae, ac praecipue

dilapsum templum, in pristinum splendorem per eam restitutum, adhuc civibus et advenis loquuntur. Heroica illa mulier, etsi quartum et octogesimum suae aetatis ageret annum, prima suis ipsius manibus rudera purgavit, amotos lapides in ordinem disposuit, atque ita omnium animos ad opus erexit, ut sperare licuerit, hoc brevi absolutum iri. Virgo igitur Sanctissima, cuius per diuturnum vitae cursum angelica puritas ne levissimis quidem nubeculis obscurata fuit, et quae omnium sententia ad perfectionis fastigium pervenerat, suis innumeris meritis hoc quoque adiecit, quod templum Domini, gravibus impedimentis invicto animo superatis, instaurandum curaverit. Itaque non miramur Deum tantas suae dilectae laudes supernis etiam donis rependisse. Occulta enim saepe detexit, intimas hominum latebras scrutata, ad bonam frugem eos revocavit, futura praenovit, ac non semel sopitis sensibus in Deum rapta et caelesti luce circumdata visa fuit. At Venerabili Matri instabat iam supremus ab ipsa praenuntiatus dies, quo suis erat abripienda et inter beatos Caelites cooptanda. Septimo enim decimo Kal. Augustas anno 1846, aetatis suae nonagesimo, qua hora Christus spiritum emisit, Sacramentis refecta, candidae instar columbae ad superos evolavit. Religiosae eius sorores, tunc ad centum et quinquaginta, hanc gloriosam Conditricis mortem diu lacrimarunt, hoc uno acquiescentes solatio, quod si in terris teneram matrem amiserint, potentem in coelum haberent patronam; idque adeo sibi erat persuasum, ut potius quam ei requiem, suas quaeque ab ea gratias imploraret. Sanctum illius corpus, quod omnes intueri et osculari cupiebant, biduo expositum fuit, atque inde celebri hominum concursu, eius os lumine circumfusum admirantium, in templum prope tabernaculum elatum, et floribus opertum. Ex eo igitur tempore, cum sanctitatis fama in dies augeretur, ob caelestia quoque prodigia, quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius beatificationis et canonizationis causa penes sacrorum Rituum

Congregationem agitari coepta est, ac probationibus iuridice sumptis riteque expensis rec. me. Leo Papa XIII Dec. Noster Pridie Kal. Iunias anno 1903 Mariae Magdalenae Postel virtutes heroicum attigisse gradum sollemni decreto sancivit. Deinde quaestio de miraculis suscepta est, quae ipsa intercedente a Deo patrata ferebantur, ac rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, cum tria ex illis vera et explorata iudicata fuerint; Nos alio decreto, 12 Kal. Sextiles superioris anni edito, de eorum veritate constare suprema auctoritate Nostra declaravimus. Illud tantum supererat discutiendum, num Venerabilis Dei Serva inter beatos Coelites recensenda foret. Quod dubium propositum est a dilecto Filio Nostro Dominico S. R. E. Card. Ferrata, causae Relatore, in comitiis generalibus coram Nobis habitis 6 Kal. Dec. superioris pariter anni, et in quibus omnes qui aderant, tum Cardinales tum S. Rituum Consultores unanimi consensu affirmative responderunt. Nos, tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quo facto, tandem, die auspicatissimo Dominae Notrae Mariae labis nesciae sacro, adstantibus Card. Seraphino Cretoni sacrorum Rituum Congregationis Praefecto et Dominico Ferrata, causae Relatore, nec non Venerabili Fratre Diomede Panici, Archiep. Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, et Rev. Patre Alexandro Verde sanctae fidei Promotore, auctoritate Nostra pronunciavimus, tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Servae Mariae Magdalenae Postel beatificationem. Quae cum ita sint, plurimorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Antistitum et universae familiae sororum Scholarum christianarum a Misericordia vota implentes, Apostolica auctoritate Nostra praesentium tenore facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Serva Maria Magdalena Postel, eiusdem familiae fundatrix, Beatae nomine in posterum nuncupetur, et eius corpus et lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus sup-

plicationibus deferendae, publicae venerationi fidelium proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica auctoritate Nostra concedimus, ut de illa recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de communi Virginum cum orationibus propriis, per Nos approbatis, iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Constantiensi et Abricensi. Itemque omnibus in templis et sacellis, quibus ubique terrarum utitur institutum sororum Scholarum christianarum a Misericordia, ab omnibus qui horas canonicas recitare teneantur; et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad ecclesias in quibus festum agitur, convenientibus, servato tamen decreto sacrorum Rituum Congregationis n. 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895. Demum facultatem impertimus, ut sollemnia beatificationis Venerabilis Dei Servae Mariae Magdalenae Postel supradictis in templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis sacrorum Rituum Congregationis die 16 Decembris anno 1902 de triduo intra annum a beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima aucoritate intra item annum designandis, postquam eadem sollemnia in Vaticana Basilica fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et sanctionibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis etiam impressis dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII Ianuarii MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Breve beatificationis Ven. Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat, institutricis Societatis sororum a S. Corde Iesu.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inexhausta Deus charitate non desinit in Ecclesia sua subinde heroes excitare, qui in novis eius necessitatibus nova afferant adiumenta, ac dum summis virtutibus miraculisque catholicae religionis veritatem confirmant, aeternae hominum saluti quam maxime prospiciunt. Quod cum, divino consilio, omni tempore factum est, tum praesertim trepidis in rebus, ut quo mala ingravescerent, eo potiora adessent remedia. Ita quidem evenisse scimus erumpente haeresi Luterana, ita duodevicesimo exeunte saeculo quando cuncta divina et humana eodem incendio deleri videbantur. Inter eos igitur, qui hac postrema aetate Christi amore et de animis sollicitudine mirifice inclaruerunt, iure meritoque recensenda est Venerabilis Dei Serva Magdalena Sophia Barat, illius societatis auctor et magistra, quae a sacro Iesu Corde nomine adscito, primum in Galliis ac brevi ubique gentium salutares fructus non minus fidei pietatisque, quam christianae puellarum institutionis dedit. Ortus, quem ipsa pridie Idus Decembres anno 1779 e Iacobo et Magdalena Foufé, pauperibus honestisque parentibus, habuit, futuri sui ardentisque in Deum amoris ignem visus est portendere; illum enim flammae sociarunt, quibus natale oppidum *Joigny* in Burgundia eadem nocte fere absumptum fuit. Ex quo secutum est, ut puella de sua nativitate deinceps interrogata, se ex igne prodiisse candide responderet. Flagrans revera in Deum et in parentes pietas, incensa cupiditas discendi simul cum vividis mente, eloquio et ipso obtutu, conspicuae eius usque ab ineunte aetate dotes et ornamenta fuere. Catechesim, quam diligenter memoriae tradiderat, prima in curiali templo reddere, in ea interpretanda longe ceteris praestare, et quasi praecipiens

futura cogitatione, se Aloisio germano fratre, duce et institutore, tum litteris, graecis praecipue et latinis, tum scientiis erudire; singulis momentis fortem virili pectore se foeminam praebere. Ideo frater, iam sacris addictus, quum, augescente in Galliis christiani nominis insectatione, Parisios venisset, qua in urbe paulo post in carcerem coniectus est, duas illinc imagines sanctissimi Iesu et immaculatae Mariae Cordium ad suos muneri misit. Neque id absque praecipuo divinae Providentiae contigit consilio; nam Venerabilis Dei famulae cultus erga sacras huiusmodi effigies, parva habita est scintilla, quae vastum in eius animo amoris incendium excitavit. Postea cum, fratre a custodia forte soluto, se Lutetiam Parisiorum adhuc puella contulisset, ita in studium, religionis potissimum, ac pietatem curam operamque contulit, ut praepotens in ea oriretur desiderium se omnino Deo pro aeterna hominum salute dedicandi, ob temporum acerbitatem insidiis undique petita. Hoc vitae genus, ad quod divini Cordis charitas eam urgebat, sibi facilius consequendum non modo assidua precatione cruciatibusque existimavit, verum etiam perfecta sui despicientia, caeterarum virtute custode, per quam omnia caute accurateque fiunt, nam *ubi... est humilitas, ibi et sapientia* (Prov. XI, 2). Evangelii enim verba *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. XI, 29), in eius animo constanter insederunt. Tanta igitur Virginis merita, ingenio, doctrina ac pietate praeclarae diutius latere non potuerunt, eaque admiratus Iosephus Varin, piissimus e societate Iesu sacerdos, qui tunc inter Patres fidei adlectus erat, Magdalenae suasor et auctor esse voluit de mulierum societate a sacro Iesu Corde condenda, cuius sorores ac puellarum addicerent institutioni. Obstupefacta illa primum, atque incepti gravitate perterrita, tempus ad cogitandum exposcit et implorat, sed vehementi sacerdotis oratione commota, qui divino quodam afflatu eam lapidem angularem novi operis fore praenoverat, illud *fiat* tandem

pronuntiavit, ex quo tam laeti uberesque fructus ab ineunte superiore saeculo non intermisse percipiuntur. Die igitur festo Mariae Virginis ad templum deductae anno 1800 in privato eiusdem domus sacello, in qua Magdalena apud piam mulierem Parisiis commorabatur, tum ipsa tum primae eius sorores se sacratissimo Iesu Cordi penitus devoverunt, atque ita iacta sunt illius instituti fundamenta quod divini Cordis gloriam in primis spectans, sanctis moribus puellas imbuere contendit neque aliquid pro eis perpeti recusat. Quod omni laude dignum consilium Deus ipse fortunavit. Etenim ne expleto anni curriculo, die festo Beatae Margaritae Alacoque, prima Societatis domus, tanti operis incunabula, Ambiani condita fuit. Satum est ita sinapis granum, quod in arborem succrescens et ramos longe lateque diffundens, sua sub umbra tot animas in Christo solatium expetentes brevi tempore congregavit. Tum scilicet Venerabilis Dei Servae humilitas affulsit, nam dignissima habita, cui primae huius domus moderatricis munus deferretur, summis initio precibus ac fletu obtestata est, ut ipsam onere eximerent immerito, at deinde obedientiae officio ad assentiendum inducta, se totam arbitrio Dei permisit. Nihilominus se vel demissius gerens, ante sorores prostrata earum pedibus tam effusa charitate oscula dedit, ut ipsae prae animorum commotione a lacrimis temperare nequirent. Ambianensi domui cito altera addita fuit in monasterio, quod ad Gratianopolim positum, Sanctae Mariae ab Alto dicunt. Ibi postquam Venerabilis Mater Pium PP. VII Dec. Nostrum Parisiis redeuntem, ab eo coelesti Convivio recreata, Lugduni humillime salutaverat, leges sodalitati regendae tulit; ibique eius sorores, festo Praesentationis Virginis Mariae, vota solemnia nuncuparunt, quibus ipsa se paucis ante annis obstrinxerat. Auctis praeterea huiusmodi domibus, ad quas undique virgines confugiebant, cum necesse esset supremam antistitam creare, iterum spes omnes in Magdalena Sophia collocatae

sunt, utpote quae in obeundo moderatricis munere luculenta non modo religionis, prudentiae, consilii, sed singularis quoque humanitatis dedisset testimonia. Aliquot igitur dies supplicationibus habitis, et divino Spiritu invocato, anno 1806, quo die B. Petri Apostoli Romae recolitur adventus, maior Matrum pars, coetum ad Ambiani celebrantium, Magdalenae sunt suffragatae, eamque summam antistitam ad vitam renuntiarunt. Incredibile est dictu, quo pavore inopinatam hanc renuntiationem pientissima mulier audierit; tanta in ipsa de supremo munere erat opinio, tamque ei nihil se sufficere persuasum. In divina voluntate tandem acquiescens, demandatam sibi provinciam non sine trepidatione suscepit, eamque sexaginta fere annos omnigenas exercens virtutes administravit. Universi enim in ea praeter ceteras eximias animi dotes, iustitiam simul cum charitate coniunctam admirati sunt, easque tam apte inter se consentientes, ut nulla unquam filia, quas omnes aequo amore curaque complectebatur, eius animadversiones consequeretur. Paulo post Pictavium, ad aliam domum in veteri Cisterciensium coenobio erigendam arcessita, gravi diuturnoque morbo divinitus ex itinere liberatur, et compluribus puellabus, ad maternam eius opem confugientibus, illuc Burdigala deductis, primum suae Societatis tirocinium instituit. Iucundum est memoratu, quanta industria et studio Venerabilis Dei Serva has puellas ad religionis vitam compararet! Princeps enim eis datum praeceptum mutuus fuit amor, quocum tum sui contemptus, tum ardens se pro aliis immolandi voluptas coniungebantur, praeter quam erat illis in muliebres operas incumbendum, atque id potissimum spectandum, quod mentem, spiritum, cogitationes denique omnes in sacratissimo Christi Corde defixa haberent, cuius nomen et gloriam erant in terrarum orbem propagaturae. Verum humani generis osor, qui nuperrimis insolens victoriis, nunc ob religionis dignitatem restitutam novis cladibus opprimebatur, nullo modo pati poterat, illam

quoque mulierem christianae vitae decus reddituram fore, ideoque acerrimis contra eam inimicis excitatis, spes in tanto opere totque exantlatis laboribus positas acriter frustrari conabatur. Quo circa leges ab illa sodalitati conditas tunc ex alieno arbitrio cerneres vitiari; novas domus, ipsa insciente, institui; fidei Patres, eam consilio et opere iuvantes, domo exturbari atque in exilium pelli; nonnullas usque filias, a veteri sodalitio sua sponte desciscere; eaque omnia tum vehementer illius matris animum torquere, ut subito morbo prae dolore correpta, in vitae discrimen brevi adduceretur. Haec vero aliaeque mali genii contentiones et damna nihil aliud effecerunt, nisi ut fortis foeminae humilitas et immutata Dei fiducia magis ac magis eluceret. Neque tantae fidei abfuit solatium. Nam coeleste auxilium, quod precibus, fletu, poenitentiisque pro dilecta societate sua diu flagitaverat, praeter expectatum impetravit.

A postremo itaque morbo confirmata, novas leges sub finem anni 1815 iubere potuit, quibus in conscribendis incliti Patres e Societate Iesu, qua prudentia, ac rerum usu pollerent, admodum ei profuerant; suae sodalitatis inimicos, mendacii manifestos, obmutescere comperit; novam tironibus domum Parisiis fundavit; sibi dissociatas filias, ipsam in matrem rursus habentes peramanter complexae, de eis omnibus sereno gaudio dicere tandem licuit: *Cor unum et anima una in Corde Iesu.* Quid plura? Ipse rec. me. Pius PP. VII Dec. Noster eidem societati a sacratissimo Iesu Corde, cuius operibus se laetitia affectum ostendit, omnia fausta ac felicia ominabatur. Ex eo igitur tempore huiusmodi sodalitas coepta est celeriter diffundi, neque in Europam dumtaxat, verum etiam in longinquam Americam, quo dilectissima Magdalenae filia, Philippina Duchesne, 4 Kalendas Iunias divino Cordi sacro anno 1818 feliciter appulsa, in societatem augendam tantae matris attulit ardorem. Tunc princeps ipsa domus Parisiis transferretur oportuit, ubi in aedibus, quae

vulgo *Hôtel Biron* audiunt, nobilem et aptam sedem invenit, et clarissimos cuiusvis ordinis, vel e regia progenie viros excepit, Venerabilis Dei Servae nomine atque instituto summopere adlectos. Humilis vero Christi ancilla se humanis subducens honoribus, nihil potius sibi habebat, quam ut religiosae sorores ipsis traditam iuventutem pietate ac profanis disciplinis, tempori et personis consentaneis excolerent « monentes eam... *seipsam irreprehensibilem exhibere* » (Tob. X, 13). Praeterea, ut non minus honestioris quam obscurioris loci puellae hac frui possent institutione, singulis domibus scholas pro pauperibus adiiciendas curavit. Ad quae omnia assequenda neque laboribus neque malefirmae parcens valetudini, huc et illuc occurrens, ac iam ingenti numero domos frequenter invisens, sororum puellarumque animos adspectu, verbo atque ipsa potissimum, quam redoluit, sanctimonia, ad maiora in Domino concitabat. Ac semper nova excogitans instituta, actuosae virtutis exemplum prodibat. Ut enim cetera omittamus, praetereundam non esse ducimus filiarum Mariae ab ea conditam congregationem, quae quanta usui fuerit modestis familiarum moribus, nemo est qui ignoret. Itaque compluria et singularia beneficia a religiosis sororibus, Iesu Cordi devotis, in puellas docendas tam scite naviterque collata, eidem fel. rec. Leoni PP. XII Dec. Nostro, qui biennio ante societatis leges sanxerat, facile persuaserunt, ut ea almae quoque Urbi compararet. Ad sanctissimae Trinitatis igitur in Hortorum Colle prima huiusmodi domus Romae aperta fuit, quam duae aliae sunt postea secutae, et eae quidem omnes Venerabilis Matris praesentia exemploque diu recreatae. Demum reliquum vitae iter, quam Deus usque ad provectam aetatem producere decreverat, legifera societatis Mater, nonnullis aliis adversis invicto animo superatis, novam recte factorum segetem in Christi Cordis honorem demetendo porrexit. In assiduis precibus totam saepe noctem pervigilare, corpus aspere usque ad sanguinis

effusionem habere, adeoque dimissum animum, ut vel octogesimum agens annum, sordidiora sponte obiret officia, et crebro puellarum pedes oscularetur. E contrario in alios, egenos praesertim ac pueros, summa uti caritate, societati provehendae se pro viribus dedere, omnia denique fortiter suaviterque moderari. Mirandum ergo non est quod Deus tot christianae sapientiae ac virtutis merita supernis quoque in sua famula rependeret donis, quippe quae intimas hominum latebras scrutans, ad bonam frugem eos revocaret, futura praenosceret ac saepenumero a sensibus in divina abriperetur. Sed sanctae huius feminae suprema ab ipsa praedicta iam aderat hora, et cum ea beatitas aevi sempiterni. Quum enim multo mane, constantia flecti nescia surrexisset, atque iteratas Deo funderet preces, tacta apoplexi, licet non dubiis pietatis actibus integram mentem usque ad extremum possedisse ostenderet, obmutuit, ac Parisiis 8 Kalendas Iunias, die Christo Iesu in coelum ascendenti sacro, piacularium sacrorum ope praesidioque instructa, in Domino requievit. Acerbus ob hanc orbitatem filiarum dolor vix cogitatione mitigabatur, quod Matre in terris amissa, coelestis essent Patronae tutelam consecutae. Iusta soluta sunt confertissimo populo, qui tantae Matris sanctitate adductus, eius exuvias inspicere, osculari, floribus pluries operire, atque ad eas precaria serta et sacra numismata admovere continuum triduum nunquam satis habuit. Humile nunc hypogeum in societatis sacello, Virgini Perdolenti dicato, venerabilis illius Matris corpus tergit, quae Mariae Immaculatae amantissima, pridie quam incideret in morbum, suas filias, ut demisso forent animo, ultimis adlocuta verbis, adhortabatur. Ex illo igitur die, cum sanctitatis fama magis magisque augeretur, ob coelestia quoque prodigia, quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius beatificationis et canonizationis caussa apud sacrorum Rituum Congregationem suscepta fuit, ac singulis probationibus ex ordinariis et apostolicis

processuum tabulis rite expensis; Nos pridie Idus Februarias anno 1905 Venerabilis Dei Servae Magdalenae Sophiae Barat virtutes heroicum attigisse gradum solemni decreto declaravimus. Deinde quaestio de miraculis coepta est agitari, quae ipsa intercedente, a Deo patrata ferebantur, ac rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, cum duo miracula vera et explorata iudicata fuissent, Nos solemni alio decreto, in vulgus edito 6 Idus Decembres superioris anni, ea suprema auctoritate Nostra rite probavimus. Postea illud unum supererat dubium proponendum, num Venerabilis Dei Serva inter beatos Coelites recensenda foret. Quod propositum fuit a dilecto Filio Nostro Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata caussae relatore, in comitiis generalibus coram Nobis habitis postridie Idus Ianuarias huius vertentis anni, et in quibus omnes qui aderant, tum Cardinales, tum sacrorum Rituum Consultores affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam coeleste auxilium Nobis compararemus. Tandem Dominica tertia post Epiphaniam, qua auspicatissimum festum S. Familiae recolitur, adstantibus Cardinalibus Seraphino Cretoni sacrorum Rituum Congregationis Praefecto et Dominico Ferrata, caussae relatore, nec non Venerabili Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Laodicensi, eiusdem Congregationis Secretario, et Revm̃o Patre Alexandro Verde, sanctae fidei Promotore, auctoritate Nostra pronunciavimus: tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Servae Magdalenae Sophiae Barat beatificationem. Quae cum ita sint, enixa plurimorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Antistitum atque universae societatis a sanctissimo Iesu Corde vota implentes, Apostolica auctoritate Nostra harum Litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Serva Magdalena Sophia Barat Beatae nomine in posterum nuncupetur, et eius corpus et lipsana, seu reliquiae, non tamen in solemnioribus supplicationibus deferendae, publicae vene-

rationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica auctoritate Nostra concedimus, ut de illa recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum cum orationibus propriis per Nos adprobatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii romani. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus dumtaxat in dioecesi Parisiensi, itemque omnibus in templis et sacellis, quibus ubique terrarum utitur societas a sacratissimo Iesu Corde ab omnibus fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato tamen decreto sacrorum Rituum Congregationis 3862 *Urbis et Orbis* die 9 Decembris 1895. Demum concedimus, ut solemnia beatificationis Venerabilis Dei Servae supradictae, praefatis in templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis sacrorum Rituum Congregationis die 16 Decembris anno 1902 de triduo intra annum a beatificatione solemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus diebus legitima auctoritate intra pariter annum designandis postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XI Ianuarii MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Breve beatificationis Ven. Servi Dei Gabrielis a dolorosa Virgine, clerici professi congregationis Clericorum regularium excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Mirabilis in Sanctis suis Deus, omni tempore Ecclesiae sanctae, clara virtutis exempla a fidelibus imitanda proposuit, atque angelis simillimos interdum excitavit adolescentes, qui utpote Aloisius Gonzaga, Stanislaus Kotska ac Gerardus Majella, illecebris mundi florenti aetate posthabitis, cereae in vitium iuventuti, exquisitissima pietatis puritatisque testimonia exhiberent. Hos inter iuvenes, qui tamquam a coelo ostensi «consummati in brevi, implerunt tempora multa, placita enim Deo erat anima illorum» iure meritoque accensus est Venerabilis Dei famulus Gabriel a dolorosa Virgine, quem genuit Umbria Sanctorum parens et altrix, et qui Sanctorum pariter fastis perinsignem Clericorum regularium excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. I. C. congregationem, novo quidem angelicae vitae splendore illustravit. Asisi natus a Sancte Possenti et Agnete Frisciotti, piis honestisque coniugibus, Kalendis Martiis anno 1838, ad sancti Rufini eodem in fonte, quo Franciscus lustralibus aquis ablutus est, atque in memoriam seraphici legiferi Patris Francisco nomen illi fuit. Auspicatissimum pro certo infanti illi omen, qui postea ad instar divi Francisci Christum Crucifixum et paupertatem tantummodo adamare debuisset. Adhuc puer est matre orbatus, quam immatura mors sustulit, atque a Patre qui civilis gubernatoris munere fungebatur, Spoletum deductus, ibi a Fratribus Scholarum christianarum religionis ac litterarum rudimenta didicit. Inde missus ad Patrum Societatis Iesu Collegium doctorum fama ac discipulorum frequentia spectatum ob acris ingenii non minus quam germanae pietatis praestantiam, amplissimas laudes ac prae-

mia sortitus est. Erat enim in adolescentulo virtuti parissima forma, hilaris, humanus, dicto audiens, venuste dicens, omnium sibi corde devinciebat, omnium admirationem sibi iustis de causis comparabat. Dum sedulam studiis operam daret, aetatis aestu, saeculi blanditiis aliquantum indulgere visus est, sed quem Deus sibi elegerat semel atque iterum gravi morbo tentavit, ut terrena exosus inhiaret ad coelestia: donec a beatissima Dei Matre, superni amoris iaculo ex sacra Icone mire perculsus, illico divinam novit voluntatem, et quod iam cogitaverat, puer, se ad vitam religiosam suscipiendam vocatum persensit. Continuo propositum genitori aperit; se asperam Clericorum Passionis D. N. I. C. vitam elegisse fatetur, omnibusque difficultatibus quibus a propinquis et amicis circumveniebatur expeditus, visitato prius filiali affectu Lauretanae Virginis sanctuario, die 10 Septembris mensis anno 1856, ad recessum Morrovallensem Patrum a Cruce et Passione Christi, optatissimum veluti in portum convolavit. Vix tyrocinium posuerat assumpto religionis habitu et nomine Gabrielis a dolorosa Virgine, cum initae vitae statum genitori per litteras describens, ac si cum aspera veste novum sibi hominem induisset. Sacri illius recessus quietem ad dulcedinem summopere commendat saecularibus spectaculis ac solatiis minime comparandam. Quare ex toto corde mundo valedixit, atque in ipso exordio, christianae perfectionis formam in omnibus actis apprime referre visus, tyronibus non modo, sed provectioribus etiam sodalibus absolutissimum omnium virtutum exemplar extitit. Tyrocinio summa cum laude expleto, die vigesima secunda Septembris mensis sequentis anni 1857, altera feria infra octavam festivitatis Virginis dolorosae, coelesti perfusus laetitia religiosa vota nuncupavit. Ex his sensit se arctius Deo devinctum ad perfectiora teneri. Itaque regularis disciplinae observantissimus ne in minimis quidem illi defuit. Admirabilis in eo dimissio animi, angelica corporis modestia, assiduum orandi studium.

Erga omnes comes et affabilis, in se unum rigidus ac durus. Igitur in omnibus actionibus totus in Deo exultavit ut gigas ad currendam viam perfectionis ac sanctimoniae. Itaque paupertatem, castimoniam, charitatem, obedientiam singulari prorsus amore prosecutus est, atque in exercitatione uniuscuiusque virtutis ita enituit ac si caeteris posthabitis illam unam omni sedulitate excoluisset. Paupertatem et humilitatem ita dilexit ut in victu cultuque vilissima quaeque semper requireret, vestibus uteretur obsoletis, angustiorem cellam libens habitaret, dimissiora officia hilari vultu impleret. Obedientiae votum mirandum in modum servavit praepositis subditus, ac nulla unquam interposita mora mandatis obtemperans. Vigili ac perenni sensuum omnium et oculorum potissimum castigatione, innocentiae lilium ad pretiosam usque in conspectu Domini mortem incontaminatum retinuit. Sed Venerabilis Dei famulus Gabriel praestitit summopere in spiritus interioris exercitio. Dum continenti meditatione passionis divini Redemptoris mysterium recoleret, saepe numero ex eius corde ardentes in Crucifixum adspirationes manabant. Sanctam vero Dei Genitricem tam vehementi affectu complectebatur, ut nihil ei suavius esset iucundiusque, quam matris nomine illam compellare, atque omnibus filialis pietatis officiis venerari. Saepe in obtutu Virginis defixus atque haerens, tanto aestuabat ardore ut coelestis ille ignis ex ore ipso vultuque emicaret. Ordinibus minoribus initiatus ob temporum iniquitatem et civiles turbulentias ad maiores promoveri nequivit, et humilis corde Dei famulus non sine interiori laetitia, sed ad Domini voluntatem libens conformavit. Tot tantisque singularibus virtutibus ornatus Gabriel in asceteriis in quibus diversatus et plebis Taurinae in dioecesi Camerinensi et Insulae in dioecesi Pinnen. nedum inter religiosos confratres, verum etiam apud extraneos sanctitatis fama coepit inclarescere. Conventuum moderatores illum sodalibus in exemplum dabant, quotquot Gabrielem fortem vidissent adspectu tan-

tum ad devotionem excitabantur, qui cum ipso colloqui poterant recreati ac meliores abibant. Sed coelo dignior quam terris in recessu Insulae Pinnensis phthisi correptus ac diuturna febri consumptus proximum mortalis vitae finem praesentit. Destinati morbi dolores aequo animo passus, dissolvi cupiens et cum Christo esse imminentis mortis nuntium laetus excepit. Plures per dies moerentibus confratribus, morientis Dei famuli cubiculum schola virtutum fuit; donec Ecclesiae sacramentis rite munitus ac magis charitatis fervore quam morbi vi consummatus, Iesum, Ioseph, Mariam suaviter invocans placidissimo exitu animam efflavit die 28 mensis Februarii anno 1857 aetatis suae vigesimo quarto. Quae de Venerabilis Dei famuli Gabrielis a dolorosa Virgine sanctitate, invaluerat opinio magis ac magis postquam e vivis excessit, percrebuit, accedente potissimum prodigiorum celebritate. Etenim quae abdita virtus existimationi hominum viventem eripuerat, hunc suo tempore mirandum in modum, divina potentia coelestibus signis plena in luce collocavit. Et sane lapsis ab eius decessu triginta annis cum mortales Venerabilis Dei famuli exuviae solemni ritu exhumatae ac recognitae fuerunt, plurima eaque splendida prodigia, quae Ecclesiae nascentis illustrarunt exordium, penes illius sepulchrum renovari visa sunt; et statim fortunatus ille recessus Pinnensis Insulae, ubi eaedem pretiosae reliquiae asservantur, coepit miraculorum copia ita clarescere ut non sine magno spirituali populorum emolumento, piarum peregrinationum ad hunc diem meta sit non intermisso fidelium turmatim confluentium concursu. Sepulchrum eius continuo sanctuarium factum, ex quo veluti ex fonte perennis haustus, mirae divinae voluntatis significationes manarunt et manant. Quare penes sacrorum Rituum Congregationem mature causa agitari coepta est. Decessor Noster sa. me. Leo PP. XIII per decretum die 7 Iulii anno 1896 editum causae ipsius introductionis Commissionem signavit, Nosque iuridicis inquisitio-

nibus rite persolutis auditisque testimoniis per decretum pridie idus Maias anno 1905 datum, Venerabilis Dei famuli Gabrielis a dolorosa Virgine virtutes heroicum attigisse fastigium asseruimus. Inita est deinde actio super duobus miraculis, quae eo deprecante patrata a Deo ferebantur, omnibusque iuridicis probationibus item rite confectis per decretum septimo Kalendas Februarias vertentis anni 1908 evulgatum, de ipsis duobus miraculis constare ediximus. Cum autem de virtutibus ac de miraculis cum esset iudicium prolatum, unum supererat inquirendum nimirum ut Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Congregationi S. Rituum praepositi interrogarentur utrum beatorum Coelitum honores Venerabili Deo famulo Gabrieli a dolorosa Virgine decerni tuto possent. Hoc praestitit dilectus filius Noster Dominicus S. R. Ecclesiae Cardinalis Ferrata causae relator in generali conventu coram Nobis in vaticanis aedibus die quarto ante Kalendas Maias vertentis anni habito, omnesque tum memorati Cardinales, tum qui aderant Patres Consultores affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorare Deum oportere ante edendum in re tam gravi supremum iudicium. Quod cum impense fecissemus tandem die Inventioni SSmae Crucis sacro huius anni, eucharistico litato sacrificio, accitis et adstantibus Seraphino S. R. E. Cardinali Cretoni S. Rituum Congregationi Praefecto, et Dominico S. R. E. Cardinali Ferrata causae Ponente una cum Venerabili fratre Diomede Panici, Archiepiscopo tit. Laodicen. eiusdem Congregationis Secretario nec non Reverendo Patre Alexandro Verde sanctae fidei Promotore, solemni decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei famuli Gabrielis a dolorosa Virgine beatificationem.

Quare cum haec omnia ita sint Nos precibus permoti universae Congregationis Clericorum regularium excalceatorum sanctissimae Crucis et Passionis D. N. I. C. aucto-

ritate Nostra Apostolica harum Litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei famulus Gabriel a dolorosa Virgine, clericus professus eiusdem congregationis a Cruce et Passione Domini, Beati nomine in posterum nuncupetur eiusque corpus et lypsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa celebretur singulis annis de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis a Nobis approbatis. Eiusmodi vero Missae celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in dioecesi Pinnen. et in omnibus ecclesiis atque oratoriis quibus ubique terrarum utitur religiosa congregatio tam Clericorum quam Monialium a Cruce et Passione D. N. I. C. ab omnibus fidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad templa in quibus Beati eiusdem festum agitur confluentibus, servato decreto S. Rituum Congregationis sub numero ter millesimo octingentesimo sexagesimo secundo *Urbis et Orbis* die nona Decembris mensis anno 1895. Denique concedimus ut solemnia beatificationis Venerabilis Dei famuli Gabrielis a dolorosa Virgine in dioecesi ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis sacrorum Rituum Congregationis die 16 Decembris 1902 de triduo intra annum a beatificatione solemniter celebrando, quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides

habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III Maii MDCCCCVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL.

EX SECRETARIA STATUS

Litterae circulares ad Galliae Metropolitas de non permittenda clericis frequentia Universitatum civilium.

Vatican, 30 Septembre 1908.

Monseigneur,

Au milieu des tristesses que le cœur paternel du Souverain Pontife éprouve en présence des innombrables difficultés et des maux qui affligent l'Eglise, une consolation on ne peut plus précieuse — il est bien doux de le dire encore une fois — lui est toujours venue du zèle et de la fidélité inébranlable de l'Episcopat français.

Il a trouvé, dans ces nobles pasteurs des âmes, des collaborateurs insignes dans l'œuvre entreprise contre les erreurs qui menaçaient d'entamer la pureté de la foi, surtout parmi le clergé, et il ne saurait se réjouir assez des efforts que les évêques ont faits pour mettre en exécution les mesures édictées par le Saint-Siège à ce sujet.

Ces prescriptions toutefois, notamment en ce qui concerne la défense faite aux clercs de fréquenter les Universités civiles n'ont pu avoir partout, dès l'année passée, une application complète, plusieurs ecclésiastiques se trouvant déjà inscrits aux Facultés de l'Etat.

A présent que cette circonstance spéciale, qui avait conseillé, dans des cas particuliers, quelques tempéraments trans-

itoires, a cessé, le Saint-Père désire vivement, pour le bien de l'Eglise et des âmes, que les instructions contenues dans la lettre-circulaire du 10 Octobre 1907 soient strictement observées (1).

C'est pourquoi je serai très reconnaissant à Votre Grandeur si elle voulait bien rappeler à ses vénérés suffragants toute l'importance des instructions susmentionnées, et leur signaler en même temps, dans cette constante sollicitude du Souverain Pontife, une preuve nouvelle de la grandeur de son amour pour l'Eglise de France.

Agréez, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments dévoués en N.-S.

R. Card. MERRY DEL VAL.

(1) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 41, pag. 41.



ACTA ROM. CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Definitive approbantur constitutiones Societatis Missionariorum SS. Cordis Iesu.

SSmus Dnus Noster Pius div. prov. PP. X, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. C. Episcoporum et Regularium Praefecto, die 1 huius mensis, constitutiones societatis Missionariorum SS. Cordis Iesu latino idiomate exaratas, quae iam auctoritate Apostolica ad decennium per modum experimenti a. 1877 et definitive a. 1891 approbatae fuerant, attentis immutatis rerum et temporum adiunctis, noviter revisas et in aliquibus reformatas prout continentur hoc exemplari cuius autographum in archivio eiusdem S. C. asservatur, iterum approbare et confirmare dignatus est prout praesentis decreti tenore constitutiones ipsae approbantur et confirmantur, salva Ordinariorum iurisdictione ad normam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum. Contrariis, etiam speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. EE. et RR. in pervigilio festi immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, anni 1907.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*

Ph. Giustini, *Secretarius.*

SCHOLARUM PIARUM

ADMISSIONIS AD PRIMAM COMMUNIONEM

An parochus habeat ius exclusivum admittendi pueros ad primam Communionem.

Facti series. Praepositus generalis Scholarum Piarum a S. Sede declarari postulavit nihil obesse quominus proprii

Religiosi possint in propriis ecclesiis vel sacellis solemniter pueros vel discipulos tam internos quam externos ad primam Communionem admittere. Nam, etiamsi a primordiis institutionis Ordinis ea fuisset constans praxis admittendi in propriis ecclesiis alumnos ad primam Communionem cum plausu proprii dioecesani et etiam parochi, nihilominus haud semel invenitur aliquis parochus vel etiam Episcopus, qui contradicat et adhuc prohibeat hanc solemnitatem. In Hispaniis insuper habetur Rituale proprium a S. C. Rituum approbatum ad ritum primae Communionis complendum ea solemnitate, aedificatione et spirituali fructu, quod iam traditionale habetur. — Haec quaestio proposita fuit dirimenda cum Consultoris voto.

Dubium. *An et quomodo Clerici regulares Scholarum Piarum ius habeant admittendi ad primam Communionem alumnos tam internos quam externos suarum scholarum, in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. C. Episcoporum et Regularium in plenariis comitiis diei 14 Martii 1908 responderunt: *Affirmative* (1).

(1) Nemo profecto in dubium vocare potest ius parochorum quoad primam Communionem suorum parochianorum; agitur enim de iure quod nititur gravi obligatione qua tenentur parochi curandi vitam aeternam fidelium ipsorum curae commissorum non solum divini verbi praedicatione sed praeterea sacramentorum etiam administratione. Hinc Pius X litteris ad Emum Urbis Vicarium datis die 12 Ian. 1908 (Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 37, pag. 425) in memoriam revocat hanc parochorum obligationem atque Urbis parochis praescribit « che in tutti gli anni ed in ogni parrocchia sia fissato..... il tempo per la istruzione ed insieme il giorno solenne per la prima Comunione, facendo precedere questo dì da un esame, in cui i giovanetti dieno prova di essere convenientemente istruiti, e dalla preparazione di tre giorni sempre in parrocchia ». At exinde argui nequit ius exclusivum parochorum admittendi pueros ad primam Communionem: nulla enim lex generalis Ecclesiae hoc ius illis contulit. Antiqui scriptores, quando loquantur de iuribus parochorum, inter haec nullimode recensent ius administrandi primam Communionem. Cfr. Reiffenstuel *(Ius canonicum, lib. 3, tit. 29)*. Nonnisi circa medietatem saeculi elapsi loqui incoeptum est de hoc exclusivo iure parochorum uti habetur apud Bouix *(De iure Regul., tom. 2, quaest. 12,*

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

DE IUCATAN.

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM ET REFECTIONIS DAMNORUM

Conceditur beneficium restitutionis in integrum adversus iniustam sententiam.

Species facti. Occasione translationis exuviarum Episcopi praedecessoris Iucatanensis, medicus Miró die 24 A-

---

pag. 210). Nunc vero non desunt doctores docentes hoc esse ius privativum parochorum, e. gr. Berardi *(Theol. part. seu de parocho, n. 758)*, et magis absolute Sebastianelli *(Prael. iuris can., de personis, n. 277)*; sed generatim doctores qui post medietatem saeculi elapsi scripserunt vel nullimode loquuntur de hoc iure exclusivo parochorum vel hoc ius admittunt multis limitibus circumscriptum. Sunt etiam doctores qui tradunt hoc ius exclusivum parochorum esse de iure particulari seu consuetudine vel statutis synodalibus in aliqua regione inductum: ita Brabandère *(Compendium iuris can., tom. 1, n. 471)*, Bargillat *(Prael. iuris can., n. 922)*, Wernz *(Ius Decret., tom. 2, n. 830)*, Card. Gasparri *(De SS. Eucharistia, n. 1073)*, Piat *(Prael. iuris Regul., tom. 2, part. 5, cap. 2, quaest. 8)* et Bouix *(loc. cit.)*. Caeterum Catechismus romanus tradit: « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata », ubi nec mentio fit de parocho. Congruenter S. C. Concilii die 15 Martii 1851 reformavit quemdam articulum Concilii provincialis Rothomagensis hoc modo: « Nemo ad sacramentum Eucharistiae prima vice suscipiendum admittitur, qui nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habeat, iudicio praesertim parochi ac sacerdotis, cui peccata puer confitetur ». Idem habetur ex Concilio Latino Americano, quod n. 258 statuit: « Qua vero aetate pueris Sacra danda sint, nemo melius constituere potest quam pater et sacerdos cui confitetur peccata, ad illum enim pertinet explorare et a pueris percunctari an huius admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint ». Cfr. Benedictus XIV *(de Syn. dioec., lib. 7, cap. 11, n. 2)*, et supra citatae litterae Pii X ad Emum Urbis Vicarium. Hinc infertur nedum non esse ius exclusivum parochorum admittendi pueros ad primam Communionem, verum etiam haud esse exclusivum parochorum ferre iudicium de idoneitate pueri ad suscipiendam primam Communionem. Nihilominus in praxi standum est locali consuetudini a legitima auctoritate approbatae, salvis tamen exemptionibus ac privilegiis quae S. Sedes concessit Ordinibus religiosis aliisque collegiis ad iuventutis institutionem destinatis, uti in casu de quo agitur *(N. R.)*.

prilis 1900 articulum vulgavit, quo graviter conquerebatur de omissione solemnitatum, et censoria nota inurebat canonicum Bosada, Vicarium capitularem; qui de hoc certior factus illico per suum cancellarium canonicum Zavala citavit medicum Miró ad comparendum coram Curia et ad faciendam retractationem iniuriosi articuli. Verum doctore Miró non comparente, die 28 eiusdem mensis altera citatio expedita fuit termino praefixo ad retractationem edendam. Tunc medicus Miró transmisit ad Curiam libellum, in quo declarabat, se rem in articulo tantum historice enarrasse absque animo iniuriandi Vicarium et, facta recusatione iudicis utpote partis in causa, a comminatione poenarum et ab imposita retractatione appellabat ad Metroplitanum de Antequera. Vicarius capitularis nihili ducens factam exceptionem de recusatione iudicis, attenta doctoris Miró contumacia, die 1 Maii sequentis eum declaravit exclusum a cultu et sacramentis; quod per litteras circulares sacerdotibus dioecesis notificavit.

Suscepta a Curia Metropolitana interposita appellatione, iudex perpendens quod in infligenda poena non praecesserunt monitiones ad formam iuris, et acta processus confecta fuerant post irrogatam poenam, et ob carentiam iurisdictionis in Vicario capitulari, attenta recusatoria exceptione et appellatione a Miró interposita; die 20 Dec. 1901 iniustam declaravit illatam poenam, a qua proinde doctorem Miró absolvit, salvis insuper eius iuribus ad damnorum refectionem. Ad huius sententiae tramitem die 14 Aug. 1904 medicus Miró actionem pro refectione damnorum intentavit coram Curia de Iucatan. contra memoratos canonicos Bosada et Zavala, petens eos damnari ad solutionem scutatorum 3980 titulo damnorum, et ad expensas iudicii.

Dein actualis Episcopus omnem lapidem movit pro amicabili compositione obtinenda; sed cum duo conventi canonici nihil solvere voluissent, ideo necesse fuit instituere iudicium apud Curiam Iucatanensem, quae die 29 Sept. 1905 damna-

vit canonicos Bosada et Zavala ad solvendos 3908 *pesos* et 30 *centavos* pro refectione damnorum et ad omnes iudicii impensas. Ab hac sententia duo canonici appellarunt, sed appellatio alterâ sententiâ diei 14 Oct. declarata fuit utpote non emissa tempore utili et hinc reiecta, taxatis expensis totius iudicii a duobus canonicis supportandis in *pesos* 202,50 favore doctoris Miró et in *pesos* 1000 favore Curiae ecclesiasticae. Pro solutione enunciatarum summarum dictis canonicis praefixum fuit quatrimestre tempus; cui oneri cum non satisfecissent, reditus suorum beneficiorum sequestro suppositi fuerunt et ipsi declarati suspensi ab officio et beneficio.

Interim canonici Bosada et Zavala mense Martio 1906 apud hanc S. C. institerunt petentes, ut tum sententia lata a Curia Metropolitana de Antequera 20 Dec. 1901, tum sententia Curiae de Iucatan. diei 29 Sept. 1905 prorsus infirmarentur. Et hic S. O., antequam quaestionem dirimeret, mandavit novo Episcopo ut praefatos canonicos ad Missae celebrationem et ad chorale servitium lite pendente rehabilitaret. Verum mense Aprilis 1907 medicus Miró coram Curia Iucatanensi intentavit actionem quoque criminalem contra duos enunciatos canonicos pro falsitate processus circa irrogatam excommunicationis poenam transmissi ad Curiam de Antequera et de crimine periurii in iudicio. Hinc novo instituto ex hoc capite processu, iudex delegatus die 10 Maii 1907 condemnatoriam protulit sententiam in duos canonicos ob crimen falsi et periurii, eosque ab officio et beneficio iterum suspendit. At quum etiam ab hac sententia tempore utili canonici Bosada et Zavala appellassent ad S. C., haec opportunum censuit eos liberare, pendente iudicio, a suspensione ab officio et beneficio.

Dubia. I. *An sit locus restitutioni in integrum adversus sententiam diei 29 Septembris 1905.* — Et quatenus affirmative:

II. *An eadem sententia sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

III. *An sententia diei 10 Maii 1907 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Resolutiones. Emi Patres S. Congr. Concilii in pleno conventu diei 27 Iulii 1908 respondere censuerunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Sententiam esse infirmandam* (1).

Ad III. *Sententiam esse infirmandam, et ad mentem* (2).

MEDIOLANEN.

NULLITATIS MATRIMONII

De accusatione matrimonii post mortem coniugis.

Species facti. Consul Franciscus Tomasini, domicilium fovens in civitate *Kertch* dioecesis Tiraspolensis in Russia et uxore viduatus, mense Augusti 1895 Mediolanum petiit, atque e Parisiis vocavit viduam Mariam Biedermann, quam in antecessum noverat in patria Kertchensi. Dein simul a die-

(1) Restitutio in integrum, haud obstante re iudicata, iuxta Reiffenstuel *(Lib. 1, tit. 41, n. 3)* definitur: « extraordinarium iuris remedium, quo graviter laesus ex naturali aequitate per officium iudicis reducitur in eum statum sive ius quo fuerat ante laesionem ». Itaque beneficium hoc conceditur propter gravem laesionem et iusta causa intercedente. In casu autem sententia diei 1 Maii 1900, a Vicario capitulari Iucatanensi edita, fuit valida et iusta, quum revera doctor Miró et impactum crimen admiserit et confessus sit, neque ei amplius ius erat recusandi iudicem et appellandi ad iudicem superiorem. Praeterea una cum sententia Curiae metropolitanae de Antequera iniusta quoque erat sententia Curiae de Iucatan. diei 29 Sept. 1905, quippe quae graviter laedebat iura duorum canonicorum in causa, et quae proinde infirmata fuit *(N. R.)*.

(2) Etiam iniusta habenda est altera sententia Curiae Iucatanensis diei 10 Maii 1907, qua duo canonici damnati sunt uti periuri ac falsarii, quum canonici imputati iuraverint tantum processum peractum fuisse ante sententiam, quod utique licet summario modo confectum est; dum nihil edixerint de apographo eiusdem processus, quod revera post editam sententiam confectum et ad iudicem superiorem transmissum est. Hinc merito sacra Congregatio praefatos canonicos absolvit, eosque per *mentem* iussit compensare litis expensas et actum obsequii praestare Episcopo dioecesano *(N. R.)*.

runt diversorium *Rebecchino* in paroecia S. Fidelis situm, et statim egerunt penes finitimum parochum S. Thomae, Clavinum Motta modo defunctum, de nuptiis inter se contrahendis; quae revera, obtenta prius Mediolanensis Curiae dispensatione a duabus denuntiationibus et omisso civili ritu, locum habuerunt die 7 Sept. eiusdem anni. Quod ut facilius obtinerent nupturientes, uno vel altero die ante coniugium, cubiculum conduxerunt in domo cuiusdam feminae nomine Cardella in paroecia S. Thomae posita, ex qua ad matrimonium celebrandum processerunt, et ad quam, eo vix inito, redierunt. In ipsa nuptiarum die coniuges ad diversorium *Rebecchino* reversi sunt, et unum post mensem in urbem Kertchensem profecti sunt, ubi die 15 Decembris 1905 vir supremum diem obiit, legans suae secundae uxori usumfructum propriae substantiae.

Verum die 9 Maii 1906 Olga Pallastrelli, quam idem Tomasini ex prima uxore habuit, statim adipisci cupiens paternam haereditatem, supplices preces obtulit Pontifici ut per Curiam Mediolanensem declararetur invalidum ex capite clandestinitatis matrimonium a patre Tomasini cum dicta Maria, quae adhuc in vivis est, celebratum. Et haec S. C. informationes petiit a Curia Mediolanensi, quae retulit, in archiviis tum Curiae tum paroeciae documenta desiderari dicti coniugii, nihilque obstare quominus coniuges in casu se declaraverint vagos ideoque facultatem oretenus obtinuerint ab eadem Curia. Unde haec S. C. die 20 Iunii 1906 rescripsit: *Reponatur.* Attamen cum eadem actrix directe institisset apud ipsam Curiam Mediolanensem, ut causam iudiciario modo ageret, tribunal constitutum fuit atque, processu ad exitum deducto, sententia die 7 Iulii 1907 prolata est, vi cuius matrimonium, de quo est sermo, nullum declaratum fuit propter impedimentum clandestinitatis.

Contra quam sententiam localis defensor vinculi ad hunc S. O. provocavit, qui, acceptis animadversionibus tum pa-

troni actricis tum Romani defensoris matrimonii, quaestionem proposuit sub dubio: *An sententia Curiae Mediolanensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.* Et Emi Patres in comitiis generalibus diei 1 Februarii 1908 rem comperendinarunt respondendo: *Dilata, et compleantur acta iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

Habito igitur actorum supplemento, causa iterum proposita fuit cum deductionibus patronorum ex utraque parte contendente et novis animadversionibus defensoris vinculi.

Dubium. *An sententia Curiae Mediolanensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. Congr. Concilii in plenariis conventibus diei 22 Augusti 1908 respondendum censuerunt: *Sententiam esse infirmandam* (1).

---

(1) Alterutro vel utroque coniuge vita functo, admitti possunt etiam extranei ad matrimonii valorem impugnandum, sed docere tenentur de interesse non quidem materiali sed spirituali ob cuius motivum in iudicio sistunt. Ad rem Wernz (*Ius Decret.*, vol. 3, pag. 1105): « Ex natura rei accusatio matrimonii etiam post mortem *(coniugis)* non est exclusa, imo in casibus extraordinariis etiam ex disciplina vigenti permissa, ut in foro ecclesiastico introducatur aut saltem continuetur, v. g. si cedat in favorem legitimitatis prolis, aut ordinetur ad praeiudicium tollendum de nullitate alterius matrimonii..... Quae causae cum plerumque ob lucrum temporale institui solent *(post coniugis mortem)*, accusatores saltem regulariter a limine repellendi sunt, praesertim si matrimonium publice in facie Ecclesiae fuit celebratum et viventibus coniugibus in dubium vocatum ». Consonat praxis sacrorum Tribunalium, ex. gr. in causa *Ianuen.–Matrimonii* anni 1842 haec adnotantur: « Diligenter perquisitas fuisse sacri huius Ordinis resolutiones, et nullum reperiri potuisse exemplum, quo ob quaestum et civiles effectus admissa fuerit instantia accusantis matrimonium, postquam fuerunt priores nuptiae iudicialiter dissolutae. Praeterea nullum in praecedentibus resolutionibus repertum fuisse exemplum introductae nullitatis post obitum alterutrius coniugis ». Hinc cum in controversiam adducitur matrimonium, morte utriusque vel alterutrius coniugis solutum, etiam leves et coniecturales probationes ad proclamandum matrimonii valorem sufficiunt: in huiusmodi enim quaestionibus non de matrimonio in se sed de matrimonii consectariis agitur. Unde S. Rota *dec. 198, n. 1, part. I Recent.* docet: « Cum de matrimonii veritate et validitate incidenter agitur ad solum effectum legitimationis prolis et successionis, leviores sufficiunt probationes ». Et *Dec. 341, n. 1*

DREPANEN.

IURIUM PAROCHIALIUM

De canonico coadiutore archipresbyteri uti parocho habendo.

Factispecies. Urbs Drepanensis olim distributa erat in tres paroecias, quarum antiquior S. Petri, praeter rectorem archipresbyterum et cappellanos pro Missarum satisfactione, habebat cappellanum curatum *portionarium* nuncupatum, qui cum rectore participabat in animarum cura. At anno 1737 per Bullam Clementis XII haec ecclesia, suppressis ex praehabita titularium resignatione beneficiis inibi existentibus excepta parochialitate, elevata est ad Collegiatam, in qua institutus fuit archipresbyter prima dignitas, cum omnimoda animarum cura et cuius collatio fuit reservata S. Sedi; ca-

---

et 5, part. II Recent. addit: « Ubi principaliter non agitur super foedere, sed solum incidenter, matrimonium levioribus probationibus imo etiam praesumptionibus et coniecturis probatur ». Quin imo hoc idem operatur matrimonium putativum, quod scilicet, coram Ecclesia initum, habitum fuit validum durante coniugum vita, quamvis nullum ob aliquod impedimentum. Nam De Angelis *(lib. 4, tit. 17)* habet: « Nomine iustarum nuptiarum veniunt tum matrimonia in veritate valida, tum quae putative talia habentur, nempe in quibus ad valorem retinendum concurrit tum probabilis communitatis credulitas, tum utriusque aut saltem alterutrius parentis bona fides ». Cfr. etiam S. Rota, *dec. 367, n. 18, part. 16; et dec. 668, part. 19, tom.* 2, ubi hoc traditur: « Sat est solum matrimonium putativum, dummodo adsit bona fides coniugum vel alterius ipsorum, et dummodo in gradu prohibito contractum non sit ». Etiam codices civiles admittunt matrimonium putativum uti iustam causam legitimationis prolis et successionum. Ita Codex italicus art. 116 habet: « Il matrimonio dichiarato nullo, qualora sia stato contratto in buona fede, produce gli effetti civili tanto riguardo ai coniugi, quanto riguardo ai figli. Se un solo dei coniugi sia in buona fede, il matrimonio non produce gli effetti civili se non in favore di lui e dei figli ». Ita etiam in codicibus gallico, art. 201; hispanico, art. 69; germanico, § 1699. In casu autem demonstratum fuit nullum extitisse dubium de validitate matrimonii Tomasini-Biedermann durante ipsorum vita, atque ab omnibus uti validum habitum fuisse. Praeterea ex allatis documentis constat Mariam Biedermann, post obitum primi viri, dereliquisse domicilium *Kertch* atque pluribus in locis fuisse, et postremo in Gallia absque commorandi animo *(N. R.)*.

nonicus decanus secunda dignitas, cuius munus erat archipresbyterum assidue coadiuvandi in eadem cura; canonicus thesaurarius tertia dignitas, absque animarum cura, et tandem undecim canonici, ex quibus novem per turnum et ad libitum ipsius archipresbyteri curam animarum explere debebant.

Ex citata Bulla decanus tenebatur archipresbyterum coadiuvare « assidue ac eisdem modo et forma, quibus antea uti cappellanus portionarius forsan nuncupatus primitus tunc existentem rectorem dictae parochialis ecclesiae S. Petri ». De novem vero canonicis legitur quod « per turnum dumtaxat et ad libitum dicti archipresbyteri respective coadiuvare et in dicta parochiali ecclesia S. Petri confessiones sacramentales audire et sacramenta ministrare aliaque onera parochialia huiusmodi obire respective debeant et teneantur ». Pro congrua vero sustentatione archipresbyteri assignatae fuerunt libell. 510, et decano lib. 255; item ratione distributionum archipresbyter, praeter domum paroecialem, annuatim lucrifacere poterat lib. 102, et decanus libell. 51. Canonicorum curatorum congrua erat pro singulis statuta in lib. 51, et ratione distributionum annuatim consequi poterant singuli lib. 100. Hae vero summae erant desumendae ex cumulo incertorum seu obventionum provenientium praesertim ex funeribus. At notandum quod tres ex novis canonicis curatis suam praebendam habebant ex pio relicto *Greco,* canonicus vero thesaurarius et alii duo canonici non curati e pio relicto *Nobili.* Erecta Collegiata, haud non multo post cum Episcopus comperiisset praefatam incertorum assignationem satis non esse ad manutentionem sex cappellanorum seu canonicorum curatorum, eorum numerum ad duos reduxit, quibus tamen postea tertius accessit ex pia institutione *Mauro.*

Die autem 18 Dec. 1781 ex pragmatica sanctione Marchionis Caracciolo, Vice-regis Siciliae, abolitae fuerunt congruae paroeciales ex supra memoratis incertis efformatae, et de iis persolvendis gravata manserunt respectiva municipia,

quando parochi aliunde non haberent pro congrua sustentatione. Hinc archipresbyter S. Petri tunc temporis institit apud municipium Drepanense, ut congrua pecuniae summa assignaretur tum pro se et canonico decano tum pro duobus canonicis curatis. Et reapse municipium obligationem suscepit rependendi annuatim lib. 1637.50, quam implevit usque ad annum 1861, quo ex rerum politicarum conversione Sicula insula cessit sub ditione novi italici gubernii. Ab eo tempore per plus quam 30 annos Depranense municipium refragatum est persolvere archipresbytero S. Petri assignatam summam. Verum actione intentata, facta assignatio sententiâ tribunalis civilis an. 1874 redintegrata fuit, et municipium Drepanense declaratum fuit uti gravatum dicto onere adhuc existente, et insuper damnatum ad persolvendas iam decursas ratas. Interea usque ab anno 1864 vacans extabat canonicatus decanalis, institutus in adiutorium archipresbyteri in pastorali ministerio, et nonnisi 30 Martii 1901, praevia dispensatione a lege concursus, electus fuit Salvator Viacava.

Novo nominato decano non pauca impedimenta parata sunt ex parte archipresbyteri Leonardi Calvino: hic siquidem contendit canonicum decanum nullimode uti parochum esse considerandum, sed potius uti simplicem coadiutorem in exercitio curae animarum omnino a nutu et iurisdictione archipresbyteri pendentem; aliis verbis esse habendum ad instar aliorum duorum canonicorum qui de turno curati nuncupantur. Altera quaestio excitata ab archipresbytero Calvino versatur circa exclusionem decani a participatione incertorum paroecialium, et in assignatione eidem facienda lib. 306, dum decanus eam praetendit in lib. 363. Tandem decanus instat pro restitutione ab archipresbytero facienda de ratis assignationis iam decursis, et a municipio in manibus archipresbyteri persolutis. Hae quaestiones a decano Viacava sub finem an. 1901 huic S. C. delatae sunt, sed

nonnisi hodie ex manifesta culpa archipresbyteri proponi possunt in plenis comitiis.

Dubia. I. *An canonicus decanus in Collegiata ecclesia S. Petri institutus in adiutorium archipresbyteri haberi debeat ut verus parochus, vel potius ut simplex coadiutor dependens a nutu archipresbyteri in casu.*

II. *An et qua proportione decanus participare debeat de incertis paroeciae, et qua quantitate de assignatione municipali libell. 1397.28 in casu.*

III. *An et quae summae solvendae sint ab archipresbytero Calvino favore decani Viacava in casu.*

Resolutiones. Emi Patres S. C. Concilii in generalibus comitiis diei 22 Augusti 1908 responderunt:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* (1), *ita tamen* ut *decanus functiones parochiales exercere debeat sub dependentia archipresbyteri.*

Ad II. *In divisione dictorum fructuum et proventuum canonico decano spectare portionem dimidio minorem ea quae spectat archipresbytero.*

Ad III. *In supradicta mensura decanum ius habere ad redituum et proventuum portionem a die captae canonicae possessionis sui decanatus.*

IANUEN.

TRANSACTIONIS ET IURIUM CIRCA ABBATIAM

Approbatur inita transactio et decernitur abbatiam in posterum conferendam esse ad normam iuris communis.

Compendium facti. Haud longe ab urbe Ianuensi celebris adest ob sui historiam abbatia S. Bartholomaei *del*

(1) Nam cappellanus portionarius uti verus parochus habitus fuit ante Collegiatae erectionem; nec haec qualitas defuit post Collegiatae erectionem in decano, qui antiquo portionario cappellanus substitutus fuit *(N. R.)*.

Fossato di Promontorio nuncupata, quae erecta anno 1064 primum obtenta fuit a Religiosis Vallumbrosanis. Cum autem in suo territorio nonnullas ecclesias subiectas haberet abbas, ad sacramenta et spiritualia subsidia fidelibus praebenda Religiosum deputabat in viciniori cappella, appellata vicaria S. Bartholomaei *della Costa di Promontorio.* Anno 1519 Vallumbrosani hanc abbatiam reliquerunt; et ex eo tempore, cum ageretur de praelatura regulari, ea conferri coepit a S. Sede in commendam viris e clero saeculari: hinc eamdem obtinuerunt modo Episcopi, modo Cardinales, et ab anno 1767 Archiepiscopi Ianuenses, quorum ultimus fuit Emus Archiepiscopus Tadini defunctus an. 1847. Ab hoc aevo desiit eius provisio; verum, ut consuleretur bono spirituali fidelium, Archiepiscopi Ianuenses consueverunt deputare oeconomum spiritualem in memorata vicaria.

Anno 1855 a Gubernio pedemontano edita lege super constitutione arcae ecclesiasticae, bona abbatiae ad hanc avocata sunt; dein, conversis rebus politicis in Italia et anno 1867 publicata lege eversiva proprietatis ecclesiasticae, bona abbatiae obnoxia manserunt oppilationi Gubernii italici et anno 1874 venui subiecta fuerunt. Verum Archiepiscopus Ianuensis Reggio sacerdotem Brizzolara, qui iam vindicaverat abbatiam *del Borzone,* rogavit ut bona huius abbatiae ab unguibus fisci vindicare satageret; quo melius id consequi valeret, per Bullam diei 13 Maii 1893 idem sacerdos renunciatus est abbas parochus S. Bartholomaei.

Hac habita collatione dictus sacerdos institit apud oeconomatum, ut immitteretur in possessionem bonorum abbatiae; at oeconomatus ex facta denegatione a Gubernio concessionis regii *exequatur* Bullae, refragatus est. Tunc sacerdos Brizzolara, interveniente etiam Praesule Ianuensi, litem intentavit coram laico magistratu contra Gubernium et oeconomatum regium pro restitutione praedictorum bonorum. Tribunal Ianuense admisso quod abbatia et vicaria unum

curatum beneficium constituerent, sententiâ diei 2 Martii 1900 damnavit Gubernium ad concedendum *exequatur* et oeconomatum ad bonorum restitutionem. Ab hac sententia succumbentes appellarunt ad superius tribunal; sed dein satius duxerunt transactionem inire; vi cuius favore beneficii curati abbatialis assignatus fuit annuus reditus libell. 2850 in versuris publicis italicis, cuius decursus ab an. 1901 inciperet.

Modo parochus Brizzolara, praeter beneplacitum apostolicum pro inita transactione, petit etiam: 1°. ut post factam bonorum vindicationem abbatia S. Bartholomaei *del Fossato di Promontorio* declaretur canonice adhuc existere cum omnibus suis iuribus et praerogativis; 2°. ut tam haec abbatia quam illa S. Andreae *del Borzone,* quoad earum collationem declarentur S. Sedi reservatae; 3°. ut ecclesia sanctuarii vulgo *Belvedere,* quae per decretum Archiepiscopi Reggio exempta fuit ab abbatis iurisdictione, iterum declaretur eidem subiecta; 4°. ut declaretur abbatiam, quando ea tradebatur in commendam, etiam tunc subiectam fuisse legi concursus; 5°. ut Ordinarius Ianuensis adstringatur ad concurrendum in expensis pro recuperatione domus abbatis, pro restauratione sacrarum aedium et provisione sacrarum suppellectilium; 6°. ut eveniente vacatione abbatiae in aedes abbatiales redintegrentur religiosi Vallumbrosani, vel in eorum defectu in eas vocentur religiosi congregationis vulgo *D. Bosco*; 7°. demum ut documenta respicientia temporalitates duarum abbatiarum nempe S. Bartholomaei *del Fossato* et S. Andreae *del Borzone* restituantur et custodiantur in archivio abbatiali.

Libellus enunciatas petitiones continens remissus fuit pro informatione et voto ad hodiernum Archiepiscopum, qui in omnibus sese opposuit eiusdem parochi postulationibus.

Responsum. Emi Patres S. C. Concilii in plenario coetu diei 22 Augusti 1908 respondendum censuerunt:

Praevia approbatione quoad initam transactionem (1), *et firmo rescripto huius S. Congregationis diei 14 Decembris 1907 quoad custodiam documentorum* (2), *et decreto Archiepiscopi diei 8 Octobris 1895 circa immediatam subiectionem ecclesiae sanctuarii vulgo* Belvedere, *ecclesiam paroecialem seu abbatiam nuncupatam* S. Bartolomeo del Fossato, *in futuris provisionibus conferendam esse ad normam iuris communis, facto verbo cum SSmo, et ad mentem* (3).

MONTIS REGALIS

ADIUDICATIONIS REDITUUM CANONICALIUM

De reditibus canonicatus dividendis inter canonicum et sacristiam ecclesiae cathedralis.

Factiseries. Anno 1751 quidam Viotti in cathedrali ecclesia Montis Regalis fundavit simplex beneficium sub titulo S. Petri, quod, extinctâ linea masculina descendentium Grosso

(1) Beneplacitum apostolicum tunc concedi solet quando constet vel de necessitate vel saltem de evidenti utilitate factae stipulationis aut transactionis. Cfr. Urceolus *de transact.* XI, *23, n. 2,* et haec S. C. in *Perusina* diei 20 Decemb. 1823 *(N. R.).*

(2) Citato rescripto statutum fuit ut staretur voto Archiepiscopi, quod in eo consistebat ut expetita volumina documentorum servarentur in archivio Curiae, facta facultate eidem parocho videndi et examinandi, quoties ex aliquo rationabili motivo id expostularet *(N. R.).*

(3) Abbatia S. Bartholomaei in sua origine fuit vere regularis cum territorio et cum iurisdictione super nonnullas ecclesias, nec effecta est saecularis ex quo tradi coepit in commendam viris e clero saeculari in ecclesiastica dignitate constitutis. Caeterum S. Sedes, quamvis ultimis temporibus abbatiam non contulisset ob politicas perturbationes, non ideo censendum est eius civilem extinctionem tacite saltem ratam habuisse; imo eius existentiam partim recognovit cum postremo de illa providit sacerdotem Brizzolara. Hinc cavetur ut in posterum fiat collatio iuxta ius commune, nempe a S. Sede et cum iuribus et pertinentiis adnexis, sed quoad insignia et functiones pontificales servandum est decretum S. Congr. Rituum die 14 Dec. 1904, quod relatum invenitur in *Acta S. Sedis,* vol. 37, pag. 389 *(N. R.).*

a testatore vocata, erigi debebat in canonicatum. Reditus ita assignati fuerunt, ut ex quatuor partibus tres cederent pro distributionibus quotidianis, reliquum pro praebenda; distributiones vero amissae ob absentiam a choro, exceptis duobus vacationum mensibus, si canonicatus extra massam extaret, devolvebantur ad sacristiam Cathedralis. Deinde in art. 14 tabularum fundationis quoad ius eligendi reservatum Capitulo et reditum canonicatus tempore vacationis cavetur: « che il Capitolo abbia il commodo e benefizio del tempo di mesi quattro per fare suddetta nomina ogni qualvolta che il canonicato verrà a vacare, in qual mentre non restando tal canonicato unito alla massa capitolare li redditi delle distribuzioni cedono a beneficio del canonico nominando, ed essendo unito, accrescono a beneficio degli altri signori canonici per il tempo, che sarà vacante il canonicato medesimo, e circa il frutto e reddito della prebenda spetterà sempre al canonico successore, senza che mai la Camera apostolica, nè altri possano ingerirsi o aver ragione alcuna sovra i frutti di detta prebenda e canonicato in qualunque dei casi suddetti a riserva dei diritti spettanti alla sagristia ».

Initio saeculi XIX, publicatis legibus Gallicis, hoc beneficium fuit suppressum; verum eius dos vindicata fuit a Theresia Grosso, quae anno 1819 beneficium in canonicatum erexit, servatis fere in omnibus conditionibus a fundatore Viotti appositis, cauto dumtaxat ut electio, quae prius spectabat Capitulo, in posterum, excepta prima electione reservata fundatrici, fieret ab Episcopo vel a Vicario capitulari, praehabito concursu et infra utile tempus quadrimestre inter idoneos cives seu sacerdotes civitatis Montisregalensis. Capitulum vero consensum praestitit sub conditione ut « in ciò che potesse interessare il Capitolo e la sagrestia della chiesa della Cattedrale, si osservasse il solito a praticarsi nelle ultime erezioni dei nuovi canonicati ». Haec nova erectio sancita fuit tum ab Episcopo tum a Poenitentiaria Apostolica rescripto

diei 25 Ianuarii 1820. Ex eo tempore hic canonicatus numquam massae capitulari fuit incorporatus.

Anno 1843 hic canonicatus effectus fuit vacans et tantum post 4 annos vacationis, nempe anno 1847, illum obtinuit ex praehabito concursu sacerdos Garelli. Exinde lis exorta est inter Capitulum cathedrale quod praetendebat distributiones canonicatus tempore vacationis spectare sacristiae, et novum investitum qui ad tramites fundationis eas sibi vindicabat. Controversia, delata coram Aula Senatus Taurinensis, finita fuit transactione, vi cuius conventum fuit, ut canonicus Garelli ex fundo distributionum 4 annorum vacationis canonicatus, praelevaret libell. 1500 favore sacristiae. Dein anno 1871, per resignationem canonici Eula, canonicatus iterum vacavit. Hunc obtinuit sacerdos Lanza cui anno 1872 eius canonica investitura fuit data; verum cum ageretur de canonicatu ultra numerum duodenarium tantum civiliter recognitum, Gubernium renuit regium *placet* concedere Bullae episcopali collationis. Canonicus Lanza numquam choro interfuit, et postea cum fuisset renunciatus Praefectus realis Basilicae Supergae, anno 1894 eidem canonicatui nuncium misit. Ad hunc canonicatum per aliam Bullam diei 22 Oct. 1894, quae die 16 Iulii successivi anni 1895 munita fuit regio *placet,* electus fuit Iosephus Aimo, qui tamen, obtentâ paroecia loci *Carassone,* die 7 Ian. 1900 illum dimisit.

Canonicus Aimo iam ab initio agere coepit apud oeconomatum generalem Taurinensem, ut ad tramites tabularum fundationis sibi tribuerentur fructus canonicatus seu distributiones, quae durante tempore vacationis beneficii decursae erant ab initio anni 1871 usque ad annum 1895; fructibus praebendae nuncium iam miserat. Sed cum oeconomatus eas restituere renuerit, asserens sibi ex regaliae iure easdem spectare, tunc canonicus Aimo, relicta via ut dicunt administrativa, selegit contentiosam, et anno 1898 oeconomatum vadavit coram laico tribunali, ut damnaretur ad sibi resti-

tuendas tres ex quatuor partibus fructuum beneficii seu distributiones, pro tempore quo eius vacatio perduravit. Quoniam vero oeconomatus lite pendente exceptionem promovit circa eventualia iura, quae proferri possent ex parte sacristiae ecclesiae cathedralis, hinc anno 1899 etiam Capitulum in causa intervenit petens ut sua et sacristiae iura recognoscerentur. oeconomatus rem tutiorem duxit devenire ad transactionem, quae die 21 Martii 1900 stipulata fuit inter canonicum Aimo et oeconomatum; cui transactioni Capitulum consensum praestitit die 23 successiva. Per hanc transactionem oeconomatus sese obligavit ad illico solvendum libell. 12,000, et canonicus Aimo ex parte sua sese adstrinxit ad relevandum oeconomatum a quacumque molestia vel praetentione ex parte Capituli et sacristiae ecclesiae cathedralis. Praefata summa persoluta fuit in manibus eiusdem canonici qui eam impendit in reparationem domus paroecialis *Carassone.*

Capitulum vero contendit super dictam summam sibi uti sacristiae administratori quaedam iura sive dimidiam saltem summae quotam spectare, hinc ab hac S. C. exposcit ut decidatur, an et in qua parte, detractis prius litis expensis, praefata summa libell. 12,000 sit adiudicanda favore sacristiae ecclesiae cathedralis.

Decisio. Emi Patres S. C. Concilii in conventu generali diei 22 Augusti 1908 responderunt:

Dimidiam partem summae 12,000 libellarum tribuendam esse sacristiae ecclesiae cathedralis; earumdemque solvendam esse a sacerdote Aimo annuis ratis ab Episcopo determinandis (1).

---

(1) Capitulum, in consensu praebendo pro erectione novi canonicatus, ius habet apponendi conditiones, quae, dummodo approbatae sint a superiori auctoritate, legis vim obtinent. Capitulum autem Montis Regalis conditionem adiecit ut fructus tempore vacationis canonicatus cederent favore sacristiae. In casu itaque quum negatio regii placiti nullimode infirmare valeat canonicam provisionem canonicatus, eius emolumenta iuxta tabulas fundationis semper

CAIETANA

EXECUTIONIS DECRETI

Denegatur suppressio et unio ecclesiae paroecialis.

Acta haec causa fuit in generalibus comitiis diei 20 Maii p, elapsi, et ad propositum dubium: *An et quomodo sit executioni mandandum decretum huius S. Congregationis diei 10 Aprilis 1906 in casu;* responsum fuit: *Ad mentem: mens est, attentis omnibus illico deveniendum esse ad erectionem paroeciae S. Bartholomaei in loco* Selva Cava.

Hac cognita resolutione archipresbyter Petronio beneficium novae audientiae expostulavit, quia 1°. consensus a se praestitus pro erectione novae paroeciae in loco *Selva Cava* fuit alligatus conditioni, quod id fieret praevia suppressione et incorporatione oeconomalis ecclesiae S. Mariae *del Castello* suae paroeciae; 2°. ex conservatione paroeciae oeconomalis praefatae dissidia exorta inter utramque ecclesiam perpetuantur.

Dubium. *An ex noviter deductis sit locus suppressioni et unioni ecclesiae S. Mariae* del Castello *paroeciae archipresbyterali in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. C. Concilii in generali conventu diei 22 Augusti 1908 respondendum censuerunt:

Negative, firma tamen resolutione diei 30 Maii p. e., et ad mentem (1).

---

ad sacristiam spectarent. Verum cum canonicus Aimo propriis expensis litem intentaverit oeconomatui regio, et summam sibi erogatam bona fide in piam causam erogaverit, quin exinde ditior evaserit, hinc decisio ad tramitem aequitatis emissa fuit *(N. R.)*.

(1) Cf. *Acta S. Sedis,* vol. 41, pag. 382.

BERGOMEN.

LEGATORUM PIORUM

De dismembratione legatorum in paroecia dismembrata.

Compendium facti. Decreto diei 31 Oct. 1878 Episcopus Bergomensis ecclesiam B. M. V. vulgo *delle Grazie,* in ipsa civitate episcopali extantem, in paroeciam erexit, cuius territorium in maiori parte dismembravit e paroecia S. Alexandri in *Colonna,* et in parte minori ex altera S. Annae in *Borgo Palazzo* nuncupata. At in actu erectionis nihil statutum est circa plura pia legata cultus ac beneficentiae opera ad paroeciam S. Alexandri in Columna spectantia. Duo rectores moderno antecessores in regimine nuperae paroeciae B. M. V. Gratiarum querelas quidem movisse videntur de ipsorum exclusione a legatis ac beneficentiis quibus praesertim ecclesia S. Alexandri fruebatur; verum nonnisi actualis parochus Musitelli sub die 18 Iulii 1904 ab Episcopo postulavit ut declararet: « 1°. doversi ammettere la parrocchia filiale di S. Maria Immacolata alla partecipazione proporzionale delle beneficenze e dei legati di culto che già esistevano, all' epoca della sua separazione, nelle matrici *(nempe S. Alexandri et S. Annae)*; 2°. dovere perciò i parroci delle matrici passare al parroco della filiale il corrispondente capitale, che renda frutti proporzionati ai diritti della filiale; 3°. essere obbligo delle matrici offrire alla filiale un compenso da determinarsi per i danni patiti sinora per la esclusione diuturna dalla beneficenza ecc. ». Episcopus enatam controversiam de bono et aequo componere curavit, sed incassum: hinc quaestio ad hanc S. C. delata est dirimenda.

Dubium. *An, quomodo et qua proportione paroecia S. Mariae Immaculatae Gratiarum sit admittenda ad participationem piorum legatorum in casu.*

Resolutio. Emi Patres S. Congr. Concilii in generalibus comitiis diei 22 Augusti 1908 respondere censuerunt: *Prouti proponitur negative, et ad mentem* (1).



EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI



ZULIEN. IN REPUBLICA DE VENEZUELA

Reductio praebendarum in Capitulo cathedrali.

Quum in Zuliensi dioecesi sacrorum ministrorum numerus ita sit imminutus, ut proeciales ecclesiae diu vacare debeant, compluresque earum de suis rectoribus ne provideri quidem possint, SSmus Dñus Noster Pius PP. X malis spirituali fidelium saluti exinde obvenientibus, pro Apostolica Sua in universam Ecclesiam sollicitudine, occurrere volens, canonicales praebendas in cathedrali Capitulo reducere existimavit.

Quamvis enim Sanctitas Sua ecclesiastica beneficia, tum ob divini cultus splendorem, tum ob cathedralis ipsius Zu-

(1) Dismembratio paroeciae per se importat etiam dismembrationem piorum legatorum quia praesumitur testatores gratificari voluisse omnes fideles quibus tunc paroecia constabat. Cfr. ad rem Lucidi *(de Visit. SS. LL., vol. 1, p. 3, n. 20)*. Item confirmatur ex nupera resolutione huius S. C. in *Bergomen. — Interpretationis ultimae voluntatis*, diei 25 Iunii 1904, relata in *Acta S. Sedis*, vol. 37, pag. 335. Quin imo hoc ipsum firmavit auctoritas civilis Bergomensis, quum compositionem a paroecia matrice *Gazzaniga* cum paroecia filiali *Fiorano-Gemonte* initam recognovit, vi cuius, habito respectu incolarum, utrique paroeciae tributa est portio reditus legatorum ab unoquoque parocho independenter ab altero eroganda. In themate autem sacra Congregatio reposuit quidem *negative* ad petitionem parochi S. M. Gratiarum, sed cum clausula *uti proponitur;* quia plura postulavit v. gr. legatorum sortem, reditus iam distributos etc., quae absolute concedi non poterant. Hinc addita fuit *mens,* qua datae sunt instructiones ac facultates Episcopo, qui iuxta speciales cuiusvis legati circumstantias provideret ad tramitem iuris et aequitatis *(N. R.)*.

liensis ecclesiae dignitatem, in eadem augeri potius numero quam imminui vehementer cuperet, ne tamen animarum cura ullatenus negligatur, satius duxit canonicales quasdam praebendas supprimere, quam ut paroeciae suis parochis orbatae maneant.

Beatitudo itaque Sua cunctis, quae consideranda erant, matura deliberatione perpensis, exquisita antea, uti rei gravitas expostulabat, S. R. E. Cardinalium, qui negociis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt, sententia, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, dignitates omnes atque canonicales praebendas cathedralis Zuliensis Capituli actu existentes, de Apostolicae potestatis plenitudine, ceteris suppressis, cum primum vacaverint ad quinque numero reducendas decrevit. Cathedrale porro Zuliense Capitulum decanatu, qui prima et unica erit Capituli dignitas, deinceps constabit, et quatuor aliis canonicatibus seu officiis: lectoratu nempe, cui theologi munera incumbent, doctoratu, magistratu et praebenda poenitentiaria, cum iisdem iuribus, redditibus, praeeminentiis, insignibus et praerogativis, quibus decanatus dignitas ceteraeque eaedem canonicales praebendae hactenus praeditae fuerunt, iisdemque prorsus oneribus, quibus vel ex fundatione vel ex beneficiorum natura, secundum Apostolicas Constitutiones, sacrosancti praesertim Tridentini Concilii decreta, gravatae sunt: cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad praemissa autem exsequenda eadem Beatitudo Sua deputari voluit, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, R. P. D. Antonium Raymundum Silva, dioecesis Emeritensis in Indiis Praesulem,

cui ex decreto sacrae huius Congregationis die XII Februarii hoc anno edito, Zuliensis dioecesis cura in administrationem demandata est, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, mandavitque praesens hisce de rebus fieri decretum consistoriale, perinde valiturum, ac si super iisdem Apostolicae Litterae in forma Brevis vel sub Plumbo expeditae fuissent, et inter acta referri sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die XV Februarii, anno Dñi MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli
S. C. Cons. et Secr. S. Coll. Substitutus.

S. IACOBI DE VENEZUELA SEU CARACEN.

Reductio praebendarum in Capitulo metropolitano.

Quum in metropolitana ecclesia Sancti Iacobi de Venezuela seu Caracensi sacrorum ministrorum numerus ita sit imminutus, ut paroeciales ecclesiae diu vacare debeant, earumque complures de suis rectoribus ne provideri quidem possint, SSmus D. N. Pius PP. X malis spirituali fidelium saluti exinde obvenientibus pro Apostolica Sua in universam Ecclesiam sollicitudine occurrere volens, metropolitanae ipsius ecclesiae Caracensis canonicatus seu praebendas reducere existimavit.

Quamvis enim Sanctitas Sua ecclesiastica beneficia tum ob divini cultus splendorem, tum ob archiepiscopalis ipsius Sancti Iacobi de Venezuela ecclesiae dignitatem, in eadem augeri potius numero quam imminui vehementer cuperet: ne tamen animarum cura ullatenus negligatur, satius duxit ca-

nonicatus quosdam supprimere quam ut paroeciae suis rectoribus orbatae remaneant.

Beatitudo itaque Sua, cunctis quae consideranda erant, mature perpensis, exquisita antea, uti rei gravitas expostulabat, S. R. E. Cardinalium, qui negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt, sententia, suppleto quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, dignitates omnes atque canonicales praebendas metropolitani Capituli Sancti Iacobi de Venezuela actu existentes, de Apostolicae potestatis plenitudine, ceteris suppressis, cum primum vacaverint, ad decem numero reducendas decrevit. Metropolitanum perinde Caracense seu S. Iacobi de Venezuela Capitulum duabus dignitatibus, decanatu nempe, qui prima erit dignitas, atque archidiaconatu, quatuor officiis seu muneribus, lectoratu, cui theologi munera incumbent, doctoratu, magistratu, ac praebenda poenitentiaria, et quatuor simplicibus aliis canonicatibus deinceps constabit, cum iisdem iuribus, redditibus, praeeminentiis, insignibus, praerogativis quibus hactenus eaedem dignitates et canonicales praebendae omnes praeditae fuerunt, iisdemque prorsus oneribus, quibus vel ex fundatione vel ex beneficiorum natura, secundum Apostolicas Constitutiones et sacrosanctae praesertim Tridentinae Synodi decreta, gravatae sunt, cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Hisce autem super rebus eadem Sanctitas Sua hoc edi mandavit consistoriale decretum, perinde valiturum ac si super iisdem Apostolicae Litterae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris expeditae fuissent, illudque cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam ecclesiastica dignitate insignitam, itemque definitive pronunciandi super quacumque oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, exsequendum commisit R. P. D. Ioanni Baptistae Castro Cara-

censi Archiepiscopo, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, et decretum ipsum inter acta referre iussit sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae, hac die xv Februarii, anno Dñi MCMVII.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli,
S. C. Cons. et Secr. S. Coll. Substitutus.



INDEX ANALYTICUS

ACTA ROMANI PONTIFICIS

Constitutio Apostolica de Romana Curia . . . . *pag.* 427
Lex propria sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae . » 440
Ordo servandus in sacris Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae . . . . 462 et 683
Constitutio Apostolica de promulgatione legum et evulgatione actorum S. Sedis . . . . » 619
Exhortatio ad clerum catholicum SSmi D. N. Pii div. prov. Papae X in quinquagesimo natali sacerdotii sui . . . . » 555
Litterae Apostolicae Pii PP. X quibus ritus ruthenus constituitur in Statibus foederatis Americae Septentrionalis . . . . . . » 3
Epistola qua Pontifex grati animi sensus profitetur erga imperatorem Sinarum . . . . » 12
Epistola Pii X ad conventum eucharisticum Catanensem . . . » 13
Epistola qua Pontifex gratulatur de nova editione Theologiae moralis S. Alfonsi de Ligorio . . . . » 15
Epistola Pii X ad Episcopos Borussiae ob solemnia Bonifaciana. » 16
Epistola qua Pontifex gratulatur de regiis nuptiis Gustavi Adolphi et Margaritae de Connaught . . . . » 18
Epistola qua Pius X abolet scholas Pontificii Seminarii Vaticani. » 19
Epistola qua Pius X laetatur de habito Concilio provinciali Burgensi. » 20
Epistola qua Pontifex mittit Legatum Apostolicum ad quinquagesima solemnia in honorem B. M. V. de *Lourdes* . . . . . » 65
Epistola Pii PP. X de capite S. Agnetis M. et V. in ecclesia eiusdem nominis ad Forum agonale asservando . . . . » 66
Epistola qua Pius PP. X occasione congressus generalis hortatur catholicos Austriae ad concordiam contra Ecclesiae hostes . . » 129
Epistola qua Pius X laudat Archiepiscopum Quebecen. ob promotam actionem socialem catholicam . . . . » 193
Epistola Pii X ad Episcopos Hungariae pro solemniis septem saecularibus S. Elisabeth Hungaricae . . . . » 195
Epistola qua Pontifex dilaudat et commendat consociationem Hungaricam pro catholico prelo favendo . . . . » 198
Epistola qua Pius PP. X approbat opusculum Episcopi Limericiensis circa scripta Card. Newman . . . . » 200
Epistola qua Pius X gratulatur Emo Archiepiscopo Toletano ob quinquagesimum annum sacerdotii . . . . » 297

Epistola qua Pius X laudat edentes Commentaria a *Nova Gallia*. *pag*. 298
Epistola qua Pontifex gratias agit ob comparatam domum pro Internuntio Apostolico Reipublicae Argentinae . . . . » 299
Epistola qua Pius PP. X reprobat Mutualitates ecclesiasticas sic dictas *approbatas* in Gallia . . . . » 361
Epistola qua Pius PP. X bene ominatur de saecularibus solemnibus religiosis et civilibus a natione Canadensi celebrandis . . . » 491
Epistola Pii PP. X ob saecularia solemnia archidioecesis Neo-Eboracensis . . . . » 495
Epistola qua Pius X laetatur de centesima solemni faustitate ab erectione dioecesis Philadelphiensis . . . . » 578
Epistola qua Pontifex gratulatur de saeculari celebritate erectionis archidioecesis Bostoniensis. . . . . » 579
Epistola Pii X circa coronationem simulacri S. Cordis Iesu . . » 621
Epistola qua Pius PP. X gratulatur de felici exitu conventus eucharistici in Anglia habiti . . . . » 747
Allocutio quam Pius X habuit in Consistorio secreto diei 16 Decembris 1907, de mendaci ac insolenti modernistarum superbia. » 21
Allocutio Pii PP. X die 18 Dec. 1907 habita ad novos Cardinales. » 31
Allocutio quam die 13 Febr. 1908 Pius X habuit ad Orientales. » 130
Allocutio a Pio X die 7 Sept. 1908 habita ad peregrinos Galliae. » 622
Motu proprio quo reformatur Collegium Poenitentiariorum Franciscalium Basilicae Lateranensis . . . . » 34
Motu proprio de Familia Fratrum Minorum Neapoli ad Sanctae Clarae commorantium reformanda . . . . » 35

EX SECRETARIA BREVIUM

Pontifex laudat Collegium Americanum Lovanii in Belgio occasione quinquagesimi anni ab erectione . . . . » 37
Indulgentia plenaria in forma iubilaei conceditur visitantibus cryptam de *Massabielle* civitatis Lapurdensis . . . . » 134
Indulgentia toties quoties pro visitantibus ecclesias congregationis SS. Sacramenti in festo Corporis Christi . . . . » 300
Breve quo sacerdotibus qui operam suam impendent pio Operi Propagationis Fidei facultas benedicendi Rosaria eisque adnectendi indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas conceditur . . » 301
Indulgentia plenaria favore archidioecesis Quebecensis . . . . . » 580
Indulgentia plenaria adnectitur piae exercitationi Septem Sabbatorum in honorem B. M. V. a Mercede . . . . » 581
Praefectura Marochiensis erigitur in Vicariatum Apostolicum . . » 623

Breve beatificationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel, institutricis sororum scholarum christianarum a Misericordia. *pag.* 748
Breve beatificationis Ven. Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat, institutricis Societatis sororum a S. Corde Iesu . . . . . » 757
Breve beatificationis Ven. Servi Dei Gabrielis a dolorosa Virgine, clerici professi congregationis Clericorum regularium excalceatorum SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. . . . . » 766

EX SECRETARIA STATUS

Litterae ad Episcopos Galliae circa taxam pro sacro cultu . . . » 39
De frequentia Universitatum civilium clericis permittenda dumtaxat in casu necessitatis . . . . » 41
De Commissariatu dioecesano constituendo pro tuendis documentis ac monumentis a clero asservatis in Italia . . . . » 67
De frequentia Universitatum civilium ex parte clericorum . . . » 136
Circa casus necessitatis pro permittenda clericis frequentia Universitatum civilium . . . . » 137
Lyceum magnum catholicum Lugdunense dilaudatur ob orthodoxam doctrinam et fidem . . . . » 138
Ludovicus Pastor constituitur secretarius cardinalitii coetus ad progressum scientiarum in catholico orbe fovendum . . . . . » 139
Facultates Ordinariis Galliae concessae circa bonorum ecclesiasticorum alienationem . . . . » 202
Litterae gratulatoriae ad P. Lemius ob opus *Catéchisme sur le modernisme* etc. . . . . » 209
Litterae gratulatoriae ob solemnia festa celebrata in honorem B. M. V. de *Bonaria* in Sardinia . . . . » 364
Protocollon inter S. Sedem et Hispaniam . . . . » 625
Litterae circulares ad Galliae Metropolitas de non permittenda clericis frequentia Universitatum civilium . . . . » 772

ACTA ROMANARUM CONGREGATIONUM

EX S. CONGR. S. R. ET U. INQUISITIONIS

Damnatur opusculum *El Immaculado San José* . . . . » 43
Decretum quo damnantur duo diaria modernistica . . . . » 141

Decretum quo sacerdos Alfredus Loisy nominatim ac personaliter excommunicatur . . . . *pag.* 141
Circa denegationem sepulturae ecclesiasticae . . . . » 583

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Decreta quibus damnantur ac prohibentur quidam libri. *pag.* 211 et 366

EX S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Indultum pro pernoctatione minorum intra claustra . . . . . . » 44
Ordinis S. Benedicti. Datur facultas transferendi monachos S. Benedicti de una ad aliam congregationem . . . . » ib.
Revalidantur vota simplicia Religiosarum quae tempore novitiatus habitum religionis non gestarunt . . . . » 142
Normae ad instaurandam institutionem et disciplinam in Seminariis Italiae a SS. D. N. Pio PP. X approbatae . . . . » 212
Ordinis S. Mariae de Mercede. Professio votorum simplicium in Ordine votorum solemnium non inducit vacationem beneficii. » 304
Litterae circulares quoad sacerdotes Italiae meridionalis Neapolim petituros . . . . » 367
Approbantur constitutiones Instituti Ursulinarum S. Caroli et S. Ambrosii in civitate Mediolanensi . . . . » 583
Definitive approbantur constitutiones Societatis Missionariorum SS. Cordis Iesu . . . . » 774
Abulen. - Transitus ad strictiorem religionem. Decernitur pro nunc non expedire transitum Carmelitarum Calceatarum Abulensium ad Discalceatas . . . . » 242
Brictinorien. – Cessionis. Revocatur donatio ob non impletum modum . . . . » 586
Culmen. – Iurium. Confirmatur erectio cuiusdam vicariae paroecialis . . . . » 368
Ianuen. – Dismembrationis. Confirmatur decretum dismembrationis et erectionis novae paroeciae . . . . » 306
Missionariorum Filiorum S. C. B. M. V. – Desertionis. Confirmatur decretum saecularizationis perpetuae . . . . » 143
Praenestin. – Receptionis alumni in Collegium. Religiosi admitti nequeunt in Collegium Capranicense . . . . » 584
Scholarum Piarum. – Admissionis ad primam communionem. An parochus habeat ius exclusivum admittendi pueros ad primam Communionem . . . . » 774

Sorana – Matricitatis. Cuinam ex duabus paroeciis collegialibus competat ius matricitatis seu praeeminentiae . . . . . . *pag.* 70
Tlascalen. seu Angelorum – Iurium. De iure proprietatis quoad publicum oratorium . . . . » 311

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

De licita missarum distributione in Oriente etiam per Delegatos Apostolicos et per Superiores religiosos . . . . » 145
Bergomen. – Iurium et privilegiorum. De iuribus et privilegiis Capituli cathedralis Bergomensis . . . . » 334
Bergomen. – Legatorum piorum. De dismembratione legatorum in paroecia dismembrata . . . . » 793
Bononien. et aliarum. – Iterationis Missae. De moderanda lege binationis Missae . . . . » 45
Caesaraugustana – Privilegii conferendi baptisma. Recognoscitur ecclesiae cathedrali Caesaraugustanae privilegium baptizandi. » 589
Caietana – Executionis decreti. Praecipitur erectio novae paroeciae. » 382
Caietana – Executionis decreti. Denegatur suppressio et unio ecclesiae paroecialis . . . . » 792
Cameracen. – Dispensationis matrimonii. Conceditur dispensatio matrimonii rati et non consummati . . . . » 373
De Iucatan. – Restitutionis in integrum et refectionis damnorum. Conceditur beneficium restitutionis in integrum adversum iniustam sententiam . . . . » 776
De Linares – Exemptionis ab onere. In casu decernitur exemptio a solutione taxae episcopalis . . . . » 377
Derthusen. – Substitutionis in servitio chori et altaris. De facultate substituendi in servitio chori et altaris . . . . » 316
Drepanen. – Iurium parochialium. De canonico coadiutore archipresbyteri uti parocho habendo . . . . » 782
Forolivien. – Dispensationis ab irregularitate. Clericus caecutiens dispensatur ab irregularitate . . . . » 342
Hildeshemien. – Fructuum beneficii ex salis fodinis. Quaenam emolumenta ex salis fodinis derivantia pertineant ad beneficium et quaenam ad beneficiarium . . . . » 630
Iacen. – Distributionum. Distributiones *inter praesentes* idem sunt ac distributiones extraordinariae . . . . » 320
Iacien. – Dispensationis ab irregularitate. Circa dispensationem irregularitatis propter epilepsiam . . . . » 627

Ianuen. – Iurisdictionis paroecialis. Admittitur iurisdictio paroecialis in controverso territorio ex facto immemorialis possessionis. *pag.* 327
Ianuen. – Transactionis et iurium circa abbatiam. Approbatur inita transactio et decernitur abbatiam in posterum conferendam esse ad normam iuris communis . . . . » 785
Imolen. – Decimarum. Circa ius decimandi Capitulo cathedrali competens in quatuor paroeciis iurispatronatus . . . . . . » 374
Mediolanen. – Nullitatis matrimonii. De accusatione matrimonii post mortem coniugis . . . . » 779
Montis Regalis – Adiudicationis redituum canonicalium. De reditibus canonicatus dividendis inter canonicum et sacristiam ecclesiae cathedralis . . . . » 788
Nullius Sublacen. – Nullitatis matrimonii. Confirmatur sententia nullitatis matrimonii ex capite affinitatis secundi gradus ob copulam illicitam . . . . » 369
Parisien. – Bannorum matrimonii. Conceditur indultum pro denuntiationibus scriptis matrimoniorum in dioecesi Parisiensi . » 246
Privernen. – Iuris nominandi administratorem. Cuinam competat ius nominandi administratorem confraternitatis . . . . . . » 47
Regien. – Dispensationis matrimonii. Conceditur dispensatio a matrimonio rato et non consummato . . . . » 153
Romana et aliarum – Dubiorum circa decretum de sponsalibus et matrimonio . . . . *pag.* 80, 251 et 510
Senogallien. – Iuris funerandi. De privilegiato iure funerandi competente ad ecclesiam in solo Lateranensi fundatam . . . . » 147
Signina – Iubilationis. Conceditur indultum iubilationis post quadragenarium servitium chorale in duabus ecclesiis expletum. » 497
Treien. – Nominationis ad canonicatum. Quandonam ad impetrandum beneficium requiratur qualitas sacerdotalis in actu . . » 323
Vicen. – Praebendae theologalis. Decernitur canonicum theologum in casu haberi praesentem in choro pro horis tantum quibus docet in Seminario . . . . » 501
Victorien. – Dispensationis ab irregularitate. Dispensatur super irregularitate ob defectum visus . . . . » 637
Viglevanen. – Exonerationis taxae. Decernitur taxam vulgo *di ricchezza mobile* sustinendam esse a pensionario . . . . . . » 73

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

Decretum quo datur statutum Missionariis SS. Cordium Iesu et Mariae et Adorationis perpetuae SS. Sacramenti . . . . . . » 155

Laudes tribuuntur Praefecto Ap. Insularum Carolinarum . . *pag.* 388
Conceditur ad annum prorogatio decreti *Ne temere* in Sinis . . » 544
De matrimonio infidelium et de privilegio Paulino . . . . . . » 545
Conceditur facultas ordinandi sodales instituti dioecesani ad titulum mensae communis. . . . . » 639
De ratione transmittendi Missas ad Ecclesias orientales . . . . » 640

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

Ordinis Praedicatorum. Conceditur transferri festum S. Francisci Assisiensis . . . . » 112
Luganen. De benedictione episcopali petenda a canonico theologo sacram Scripturam fidelibus explicaturo . . . . » ib.
Decretum super festo SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariae Virginis. . . . . » 113
Angelopolitana. De usu lucis electricae et de cantu mulierum in ecclesiis . . . . » 114
Novarien. De missa et officio persolvendis iuxta ritum ecclesiae. » 116
Benedictio novae campanae, quae ad usum ecclesiae sive sacelli inserviat . . . . » 118
Dubiorum. De usu corollae ligneae in altari, de cantu *Tantum ergo* deque Eucharistiae asservatione . . . . » 122
Romana. Conceditur Officium cum Missa propria de S. Melania iuniore, vidua, sub ritu duplici minori . . . . » 161
Ordinis Fratrum Minorum Provinciae germanicae inferioris. Regulares addere tenentur in missa Symbolum infra Octavam Patroni principalis iam alio titulo celebrandam . . . . . . » 163
Decretum de typica editione vaticana Gradualis Romani . . . » 290
Varianda et addenda in Martyrologio Romano . . . . » 292
Nicosien. De abusu sedium cameralium in Missis et Vesperis . . » 293
Circa Pontificalia peragenda a Priore S. Pauli I Eremitae in Polonia . . . . » 344
Ordinis Fratrum Minorum Conventualium. Circa ordinem praeferentiae in translatione festorum . . . . » 345
Dubium de cantu *Libera me Domine* post Missam privatam . . » 346
De novo Tabernaculo pro adservanda SS. Eucharistia . . . . » 347
Decretum seu Litterae ad Archiepiscopos, Episcopos aliosque Ordinarios de editione typica vaticana Gradualis Romani . . . » 348
Neapolitana. Decretum introductionis causae pro beatificatione Ven. P. Ludovici a Casaurea, sacerdotis professi ex Ordine Minorum. » 389

Faesulana. Decretum confirmationis cultus B. Benedicti Ricasoli a Coltibono, monachi et eremitae Congr. Vallisumbrosae . *pag.* 395
Cameracen. Decretum introductionis causae pro beatificatione Ven. quindecim monialium ex Instituto Puellarum caritatis et ex Ordine Ursulinarum . . . . » 398
De Missarum solemniis ritu graeco pontificaliter celebrandis ob XV saecularia solemnia S. Ioannis Chrysostomi . . . . » 403
Varianda et addenda in Proprio Sanctorum Breviarii Romani . » 407
Urbis et Orbis. Decretum quo festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae tertiae Septembris affixum, ad ritum duplicem secundae classis elevatur pro universa Ecclesia . . . . » 409
Osnabrugen. Circa indulta Officiorum votivorum de SS. Sacramento et de Immaculata Conceptione B. M. V. . . . . . . » 410
Atrebaten. De ordine servando quoad commemorationes in secundis Vesperis, et de versu *Fidelium animae* . . . . » 411
Celebratio Missae permittitur sacerdoti absque brachio dextero . » 548
Superioren. Circa formam ostii in tabernaculo SS. Sacramenti. » 549
Gallipolitana. De distantia altaris a loculis, et de altaribus mobilibus in sepulcretis . . . . » 550
Americae, Oceaniae atque Australiae. Indultum litandi Sacrum in navi pro Episcopis Americae, Oceaniae et Australiae . . . » 593
Urbis et Orbis. Sanctus Ioannes Chrysostomus declaratur et constituitur Patronus sacrorum oratorum . . . . » 594
Additiones et variationes in Breviario et Missali Romano . . . » 595
Novae Lectiones historicae in festo S. Bonaventurae . . . . . . » 597
Fulden. De anniversario celebrando pro ultimo defuncto Episcopo, non autem pro administratore . . . . » 599
Provinciae ecclesiasticae Mediolanensis. Festa SS. Ambrosii et Caroli elevantur ad ritum duplicem maiorem pro dioecesibus suffraganeis Provinciae Mediolanensis . . . . » 601
Taurinen. Decretum introductionis causae beatificationis Ven. Ioannis Bosco, sacerdotis fundatoris piae Societatis Salesianae . . » 641
Tridentina. Decretum confirmationis cultus S. Romedii Confessoris. » 648
Ordinis Fratrum Minorum. Indultum Missae votivae de S. Familia in ecclesia Nazarena S. Ioseph . . . . » 651
Ordinis Fratrum Minorum. Conceditur Missa votiva de Mysteriis Viae Dolorosae D. N. I. C. in oratoriis Hierosolymitanis eiusdem Viae . . . . » ib.
Addenda in Martyrologio Romano . . . . » 652

EX S. CONGREGATIONE CONSISTORIALI

Nova in Reipublicae de Venezuela dioecesibus finium circumscriptio, administratio atque sedis episcopalis translatio . . *pag.* 653
Amazonum in Brasiliana Republica. Dismembrationis et erectionis in Abbatiam Nullius. . . . . » 659
De Guadalaxara et de Aguascalientes in Mexicana Republica. Dismembrantur et uniuntur paroeciae *Oujelos* et *Paso de Sotos* nuncupatae. . . . . » 664
De Aguascalientes – Territorii seu finium. Declaratur paroeciam *de Asientos* ad dioecesim de Aguascalientes pertinere . . . » 667
Auxitan. in Republica Gallica – Adiectionis titulorum. Conceditur ut archidioecesis Auxitana denominari possit etiam titulo trium episcopalium sedium iam suppressarum . . . . » 668
Zulien. in Republica de Venezuela. Reductio praebendarum in Capitulo cathedrali . . . . » 794
S. Iacobi de Venezuela seu Caracen. Reductio praebendarum in Capitulo metropolitano . . . . » 796

EX S. C. INDULGENTIARUM ET SS. RELIQUIARUM

Indulgentia Benedictina toties quoties lucranda extenditur ad oratoria semipublica . . . . » 50
Indulgentia pro prece infirmorum a N. D. de *Lourdes* . . . . » 51
Ordinis S. Benedicti. Indulgentia plenaria toties quoties lucranda in ecclesiis Benedictinis est affixa diei secundae Novembris. » 54
Indulgentia conceditur orantibus pro peccatoribus moribundis . . » 123
Indulgentia adnectitur oblationi omnium Missarum pro peccatoribus moribundis. . . . . » 124
Indulgentia pro clericis in superpelliceo assumendo . . . . . . » ib.
Indulgentia pro iaculatoria prece ad Cor Iesu eucharisticum . . » 125
Indulgentia conceditur recitantibus precem in honorem S. Luciae. » ib.
Indulgentia adnectitur salutationi B. M. V. Immaculatae . . . . » 126
Associationi sacerdotum adoratorum conceditur facultas adnectendi coronis indulgentias PP. Crucigerorum . . . . » 164
Indulgentiae ac privilegia extenduntur ceteris ecclesiis Hollandiae per Fratres Minores administratis . . . . » 165
Augetur indulgentia pro iaculatoria *Notre-Dame de Lourdes, priez pour nous* . . . . » 166
Prorogatur in perpetuum indulgentia plenaria pro speciali consecratione Deiparae Virgini . . . . » 167

Associatio sacerdotalis reparationis commendatur et indulgentiis ditatur . . . . *pag.* 170
Indulgentia pro versiculis *Requiem aeternam* etc. . . . . » 173
Circa Scapulare Nostrae Dominae a S. Corde . . . . » ib.
Indulgentia pro iaculatoria *Signore conservateci la fede* . . . » 293
Indulgentia plenaria toties quoties lucranda pro pio exercitio Scalae Sanctae in Urbe . . . . » 294
Facultas benedicendi et indulgentiandi Coronas Viae Crucis . . » 350
Nova concessio quoad Coronas Viae Crucis . . . . » 351
Indulgentia pro iaculatoria ad SS. Nomen Iesu . . . . » 352
Declarationes circa concessiones pro mense SS. Cordis Iesu . . » 353
Sanantur invalidae receptiones in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo . . . . » 355
Indulgentia pro visitantibus sanctuarium S. Blasii loci Maratea . » ib.
Particularis concessio circa tempus pro celebrandis triduanis supplicationibus in honorem SS. Eucharistiae . . . . » 356
Urbis et Orbis. Decretum quo Episcopis datur facultas statuendi tempus pro triduanis supplicationibus SS. Eucharistiae . . » 358
Urbis et Orbis. Conceditur anticipatio confessionis pro indulgentiis lucrandis . . . . » 359
Indulgentia adnectitur duabus orationibus pro clericis . . . . . » 412
Indulgentia plenaria conceditur recitantibus actum consecrationis SS. Cordi Iesu . . . . » 551
Indulgentia pro quadam invocatione ad obtinendam unitatem mentium et cordium . . . . » 552
Indulgentia plenaria adnectitur orationi pro consecratione familiae SS. Cordi Iesu . . . . » 553
Indulgentia plenaria toties quoties lucranda conceditur in festo B. M.V. de Mercede. . . . . » 602
Indulgentia adnectitur cuidam orationi pro Pontifice . . . . . » 603
Indulgentia pro invocatione *Mater amoris* etc. . . . . » 604
Indulgentia conceditur orationi pro moribundis . . . . » 605
Indulgentia adnectitur orationi ad Spiritum Sanctum . . . . . » 606
Conceditur indulgentia pro adoratione SS. Sacramenti . . . . » 607
Summarium indulgentiarum, privilegiorum et indultorum confratribus S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo a Romanis Pontificibus concessorum . . . . » 608
Indulgentia pro invocatione ad SS. Cor Iesu . . . . » 611
Concessio militibus facta pro receptione in confraternitatem S. Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo. . . . . » 670